ANTEHADRIANAE

QUAE SUPERSUNT

EDIDIT

F. P. BREMER

PARS PRIOR

LIBERAE REI PUBLICAE

IURIS CONSULTI



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCVI

Reprint der Originalausgabe von 1896

VLN 294/375/4/85 · LSV 0886
Printed in the German Democratic Republic
Gesamtherstellung: (52) Nationales Druckhaus,
Betrieb der VOB National, Berlin
Bestell-Nr. 666 233 3
04500

I. QUINTI SAECULI IURIS CONSULTI.

II. SEXTI SAECULI IURIS CONSULTI.

III. SEPTIMI SAECULI IURIS CONSULTORUM SERIES PRIMA.

IV. SEPTIMI SAECULI IURIS CONSULTORUM SERIES SECUNDA.

V. SEPTIMI SAECULI IURIS CONSULTORUM SERIES TERTIA.

VI. OCTAVI SAECULI IURIS CONSULTORUM SERIES PRIMA.

VII. OCTAVI SAECULI IURIS CONSULTORUM SERIES SECUNDA.

1 *v. corrigenda.*

VIII. OCTAVI SAECULI IURIS CONSULTORUM SERIES TERTIA.

Corrigenda et addenda.

p. 24 fr. 8: cf. quae p. 97 dicta sunt.

p. 26 fr. 2 (infra) lin. 2 pro res *scribi debet* aes.

p. 73 inter fr. 2 et 3 inserendum est (cf. quae p. 347 sq. exposui) hoc fragmentum:

D. 32, 55, 2. Ulpianus libro vicensimo quinto ad Sabinum (P. 2679). Idem libro secundo negat arbores nondum concisas [nisi quae minutatim conciduntur] videri ei legatas, cui ligna legata sunt.

p. 96 post fr. 3 addendum videtur (cf. infra p. 223):

D. 17, 2, 65. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 495). .. scriptum est posse procuratori quoque meo socium meum renuntiare.

p. 101 fr. 2 transferendum est ad p. 104: fr. 6[a] et 6[b].

p. 118 fr. 2 pro frugem *scribi debet* fructum.

p. 130 sq.: de L. Valerio errore hic dictum est: v. p. 244 sq.

p. 173 fr. 20 pro Pegreus *scribi debet* Pegasus.

p. 187 fr. 61: num uncos recte posuerim, iam dubito: v. p. 187.

p. 192 fr. 80 cf. p. 307.

p. 195 fr. 90: legi debet: lenes ⟨et⟩ cucumellas.

p. 198 fr. 199 verba saepius aliquot — rursus accipiendo *uncis includenda sunt: v. p. 312.*

p. 200 fr. 107: num uncos recte posuerim, hoc quoque loco dubito: v. p. 315.

p. 216 pro 'De iudiciis publicis' potius scribendum est 'De noxalibus iudiciis' et fr. 149 transferendum ad p. 201.

PARS PRIOR

LIBERAE REI PUBLICAE IURIS CONSULTI

I. QUINTI SAECULI IURIS CONSULTI

1. Appius Claudius Caecus. — 2. Cn. Flavius. — 3. C. Scipio Nasica. — 4. P. Sempronius Sophus. — 5. Ti. Coruncanius. — 6. Anonymi responsum.

1. APPIUS CLAUDIUS CAECUS

censor 442/312, cos. 447/307, cos. II. 458/296.

Pomponius § 36 'Appius Claudius unus ex decemviris ... Appius Claudius eiusdem generis maximam scientiam habuit.' Liv. 10, 22 'sollers iuris.'

Pomponius l. l. ... 'hunc etiam actiones scripsisse traditum est primum de usurpationibus qui liber non exstat.' Orationem corruptam Mommsen emendavit verbo 'actiones' deleto quod irrepsit ex § 7: ... 'cum Appius Claudius proposuisset et ad formam redegisset has actiones' .. oratio certe simplicior fieret, si cum Huschkio pro 'primum' potius 'librum' legeremus et Pomponium ita fere scripsisse coniceremus: 'hunc etiam scripsisse traditum est librum de usurpationibus, qui liber non exstat.' at Pomponius id videtur dicere voluisse, Appium Claudium primum proprias sententias et opiniones litteris mandavisse, cum neque Flavius neque Papirius 'de suo quidquam' adiecissent. cf. Pomponium §§ 2. 7.

De usurpationibus liber.

Num extiterit omnino liber, sine ratione idonea dubitatur. Ioers Rechtswissensch. I p. 87. de eo tantum dubitari possit, num Appius Claudius libri auctor fuerit: mihi ne id quidem dubium. Teuffel-Schwabe § 90.

Erat ergo is liber fortasse primus in litteris Romanis de iure. de Papirio, quem primum de iure scripsisse sunt qui dicant, e. gr. Georg Fr. Unger (Handb. der class. Altertumswissensch. I 799), cf. Krueger p. 4—6 et quae ipse infra disputabo.

Quod vero primus is liber non totum ius amplectebatur sed singularem quandam rem tractabat, hoc naturam rei sic arbitror tulisse. comparandae sunt Manilii venalium vendendorum leges et Servii de dotibus liber.

Argumentum libri et nomine indicatur et illustratur tam Digestorum 41, 3 rubrica 'de usurpationibus et usucapionibus' quam Nervae filii de usucapionibus libris (Papinianus D. 41, 2, 47). Usurpatio est modus quidam ius conservandi, quem Ulpianus summi momenti esse iudicat, cum in Institutionibus totum ius aut in adquirendo aut in minuendo aut in conservando consistere dicat; aut enim hoc agi, quemadmodum quid cuiusque fiat aut quomodo quis alienet aut amittat, aut 'quem ad modum rem vel ius suum conservet' D. 1, 3, 41. itaque Hermogenianus tutoris officium esse ait, usucapiones interpellare ac ne debitores liberentur, providere D. 50, 4, 1 § 4. actiones quae huc pertinent, cautionum in numero sunt, quas proponere iuris consulti est, 'ne consultores capiantur' Cicero pro Mur. 22. Talis cautio est operis novi nuntiatio, quae 'fit aut iuris nostri conservandi causa aut damni depellendi . . . gratia' D. 49, 1, 1 § 16; tales cautiones sunt etiam 'usurpationes', quae dominium aut patriam potestatem aut servitutem sic conservant vel retinent, ut aut usucapio alterius interrumpatur aut non utendi effectus deleatur.

In Digestorum titulo 8, 6 'quemadmodum servitutes amittuntur' Servii (l. 7), Labeonis (l. 17), Sabini (l. 2), Proculi (l. 16), Cassii (l. 2), Iavoleni (l. 9), Celsi (l. 6) sententiae proferuntur, quemadmodum servitus retineatur vel usurpetur, specialiter quomodo per alium usurpari possit (Proculus: 'existimo eum ius ducendae aquae amisisse nec per ceteros qui duxerunt eius ius

usurpatum esse: proprium enim cuiusque eorum ius fuit neque per alium usurpari potuit'; Celsus respondit: ... 'sibi quisque dominorum usurpat servitutem, sibi non utendo deperdit') vel quatenus usurpetur (Iavolenus: 'aqua si in partem aquagi influxit, etiamsi non ad ultima loca pervenit, omnibus tamen partibus usurpatur').

In Digestorum titulo 'de usurpationibus et usucapionibus' Gai hanc sententiam legimus (l. 5): 'naturaliter interrumpitur possessio, cum quis de possessione vi deicitur vel alicui res eripitur. quo casu non adversus eum tantum, qui eripit, interrumpitur possessio, sed adversus omnes. nec eo casu quicquam interest, is qui usurpaverit dominus sit nec ne ...' verbis 'naturaliter interrumpitur possessio' apud Gaium opposita fuisse alia a compilatoribus deleta 'civiliter interrumpitur' iam ab aliis observatum est. et optime accidit, quod Cicero civilis interruptionis formam nobis tradit, cum de orat. 3, 26, 110 ait: '... ut ex iure civili surculo defringendo usurpare videantur'. Huschke Z. f. Civ. u. Proc. N. F. II 142 ff. Boecking Pandekten II § 148 p. 116 f. Karlowa II p. 401. surculum defringere actionem esse lapilli iactui similem atque utrumque testibus praesentibus fieri apparet. de surculo defringendo Sabinum quoque in iuris civilis libris egisse ex Pauli verbis D. 43, 24, 20, § 1 conicere fortasse licet. certe Ulpianus in libris ad edictum definit: 'usurpatio est usucapionis interruptio' D. 41. 3. 2.

Mulier quae sine tutoris auctoritate mancipi rem vendiderat et tradiderat, eam secundum Iulianum usurpabat, si ante usucapionem pretium rei acceptum emptori coram testibus offerrebat; nam in Vat. fr. § 1 Pauli, ut videtur, haec verba legimus: '... Iulianus ... eum, qui pretium mulieri dedisset, etiam usucapere et si ante usucapionem offerat mulier pecuniam, desinere eum usucapere' putabat.

Mulier viro quasi ancilla et concubina tradita licet apud eum degat, ex duodecim tabulis nihilo minus in

patris potestate manet, si quotannis trinoctium apud patrem habitet itaque viri consuetudinem interrumpat. Gell. 3. 2, §§ 12. 13.

Huius ergo generis actiones Appium Claudium in libro de usurpationibus exposuisse apertum est.

---

2. CN. FLAVIUS

aedilis curulis 450/304.

Pomponius § 7 'postea cum Appius Claudius proposuisset et ad formam redegisset has actiones (sc. quae antea apud collegium pontificum erant), Gnaeus Flavius scriba eius libertini filius subreptum librum populo tradidit, et adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret et senator et aedilis curulis'. Liv. 9, 46 'Cn. Flavius . . . civile ius repositum in penetralibus pontificum evulgavit'. Cic. ad Att. 6. 1, 8 'nec pauci sunt auctores, Cn. Flavium scribam fastos protulisse actionesque composuisse'.

Ius civile Flavianum.

Pomponius § 7 'hic liber qui actiones continet, appellatur ius civile Flavianum, sicut ille ius civile Papirianum, nam nec Gnaeus Flavius de suo quicquam adiecit libro.' verba quae hic de iure Papiriano leguntur quaeque illustrantur §[i] 2 verbis 'quae (sc. leges) omnes conscriptae exstant in libro Sexti Papirii . . is liber . . . appellatur ius civile Papirianum', Pomponium vel eius auctorem librum Papirii antiquissimum putasse ostendunt, qua de re infra accuratius disputabitur.

Ex hoc libro pars fortasse earum notarum sumpta est, quae apud M. Valerium Probum exstant sub rubrica 'in legis actionibus haec'. Mommsen Lpz. Ber. 1853 p. 133.

Ius civile Flavianum ante librum de usurpationibus conscriptum fuisse non est cur sumamus.

---

3. C. SCIPIO NASICA

Pomponius § 37 'Gaius Scipio Nasica, qui optimus a senatu appellatus est, cui etiam publice domus in sacra via data est, quo facilius consuli posset'. fortasse Pomponius duos Scipiones confundit. Sanio Varroniana p. 150 f.

Responsa.

Nulla exstant

---

4. P. SEMPRONIUS SOPHUS

cos. 450/304.

Pomponius § 37 'Fuit . . . maximae scientiae Sempronius, quem populus Romanus σοφὸν appellavit, nec quisquam ante hunc aut post hunc hoc nomine cognominatus est'. Cf. Sanio Varroniana p. 148 f. fortasse non solum responsa dedit sed etiam novas actiones vel formulas composuit; sed nihil exstat.

---

5. TI. CORUNCANIUS

cos. 474/280, postea pontifex maximus, et quidem primus ex plebe.

Pomponius § 35 'ex omnibus qui scientiam nancti sunt, ante Tiberium Coruncanium publice professum neminem traditur.' Idem § 38 'post hos fuit Tiberius Coruncanius, . . . qui primus profiteri coepit, cuius tamen scriptum nullum exstat.'

Responsa.

Pomponius § 38 'responsa complura et memorabilia eius feruntur'.[1] duo exstant.

1 *emendavit Muretus,* fuerunt *F.*

1. Plin. h. n. 8, 51, 77. — Coruncanius ruminalis hostias donec bidentes fierent, puras negavit.

2. Cicero de leg. 2, 21, 52. — placuit P. Scaevolae et Ti. Coruncanio, pontificibus maximis, itemque ceteris, eos, qui tantundem caperent, quantum omnes heredes, sacris alligari.

---

6. ANONYMI RESPONSUM

Huius fere temporis videtur responsum quod subieci.

Gai. 4, 11. — ... eum qui de vitibus succisis ita egisset, ut in actione vites nominaret, responsum est, rem perdidisse, cum debuisset arbores nominare eo quod lex XII tabularum, ex qua de vitibus succisis actio conpeteret, generaliter de arboribus succisis loqueretur[1].

1 *Verba* 'eo ... loqueretur' *non responsa, sed explicandi causa postea addita esse apparet.*

II. SEXTI SAECULI IURIS CONSULTI

1. Q. Fabius Pictor. — 2. P. Licinius Crassus. — 3. Sext. Aelius Paetus Catus. — 4. M. Porcius Cato. — 5. L. Acilius vel Atilius.

1. Q. FABIUS PICTOR

natus circa 500/254 post pugnam Cannensem 538/216 Delphos ad oraculum consulendum missus est.

Praeter annales etiam iuris pontificii libros scripsisse traditur. Nonius s. v. picumnus p. 518: 'Fabius Pictor rerum gestarum lib. I ... Idem iuris pontificii libro III'. alii hos libros Servio Fabio Pictori attribuere malunt, quamquam etiam Gellius I, 12, 14 Quintum significare videtur. Teuffel-Schwabe § 117, 3 et § 133, 3. denique moneo ea verba quae Macrobius Q. Fabio Maximo Serviliano (III, 6) attribuit, a quibusdam viris doctis huic dari.

Iuris pontificii libri ...

Minimum sedecim libros fuisse testatur Nonius. complura primi libri fragmenta exstant, alia sine librorum numeris, ut rerum ordo cognosci nequeat. cf. H. Peter, Relliqu. I p. 111—113. CLXXIX.

Liber I.

Fragmenta ita collocavi, ut primo loco de pontifice maximo et de virginibus Vestalibus, secundo de flamine Diali, ultimo loco de aliis rebus agatur.

1. Gell. 1, 12, 14. — In libro primo Fabii Pictoris, quae verba pontificem maximum dicere oporteat, cum

virginem capiat, scriptum est. ea verba haec sunt: *Sacerdotem Vestalem, quae sacra faciat, quae ius siet sacerdotem Vestalem facere pro populo Romano Quiritibus, uti quae optima lege fuit, ita te, Amata, capio.*

2. Non. 3, 197 p. 223. — Varro: in commentario veteri Fabi Pictoris legi: *muries fit ex sale sordido, quom [sale] pistum est et ⟨in⟩ ollam rudem fictilem abiectum [est]*, et postea: *id sal virgines Vestales serra ferrea secant.*[1]

3. Gell. 10, 15 §§ 1—17. 19—30. — Caerimoniae impositae flamini Diali multae, item castus multiplices, quos in libris, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, item in Fabii Pictoris librorum primo scriptos legimus; unde haec ferme sunt, quae commeminimus: *equo Dialem flaminem uehi religio est, ⟨item religio est⟩ classem procinctam extra pomerium, id est exercitum armatum, uidere; idcirco rarenter flamen Dialis creatus consul est, cum bella consulibus mandabantur; item iurare Dialem fas numquam est; item anulo uti nisi peruio cassoque fas non est. ignem e flaminia, id est flaminis Dialis domo, nisi ⟨in⟩ sacrum efferri ius non est. uinctum, si aedes eius introierit, solui necessum est et uincula per impluuium in tegulas subduci atque inde foras in uiam demitti. nodum in apice neque in cinctu neque in alia parte ullum habet. si quis ad uerberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eo die uerberari piaculum est. capillum Dialis, nisi qui liber homo est, non detonset. capram et carnem incoctam et hederam et fabam neque tangere Diali mos est neque nominare. propagines e uitibus altius praetentas non succedit. pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet,*

1 legi — sale *Cuiac.*, legimus tes fit et sale *codd.* — sordido — pistum *L. Mueller*, quo sale sordidum si istum (*sive* sustum) *codd.* — in *add. Cuiac.* — fictilem *Cuiac.*, fac idem *codd.* — coniectum *ex Festo p. 158 Cuiac.*, adiectum (*s.* abiectum) *codd.* — est *del.* Quicherat. — et postea *quidam Varronis esse putant.*

et de eo lecto trinoctium continuum non decubat neque in eo lecto cubare [ne] alium fas est neque apud ... apud eius lecti fulcrum capsulam esse cum strue atque ferto oportet. unguium Dialis et capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur. Dialis cotidie feriatus est. sine apice sub diuo esse licitum non est.[1] ... *farinam fermento inbutam adtingere ei fas non est. tunica intima, nisi in locis tectis, non exuit se, ne sub caelo tanquam sub oculis Iouis nudus sit. super flaminem Dialem in conuiuio, nisi rex sacrificulus, haut quisquam alius accumbit. uxorem si amisit, flamonio decedit. matrimonium flaminis nisi morte dirimi ius non est. locum, in quo bustum est, numquam ingreditur. mortuum numquam attingit; funus tamen exsequi non est religio*

Eaedem ferme caerimoniae sunt flaminicae Dialis. ⟨alias⟩ seorsum aiunt obseruitare, ueluti est, quod uenenato operitur et quod in rica surculum de arbore felici habet et quod scalas, ⟨nisi⟩ quae Graecae appellantur, escendere ei plus tribus gradibus religiosum est atque etiam, cum it ad Argeos, quod neque comit caput neque capillum depectit.

4. Macrob. Sat. 3, 2 § 3. — ... sicut Veranius ex primo libro Pictoris ita dissertationem huius verbi exsecutus est: *exta porriciunto, dis danto, in altaria aramve focumve eove quo exta dari debebunt.*

5. Macrob. Sat. 3, 2 § 11. — nam primo pontificii iuris libro apud Pictorem hoc positum est: *vitulari.*

Liber III.

6. Non. p. 518. — Fabius Pictor Rerum Romanarum lib. I ... idem iuris pontificii lib. tertio: *Pilumno et Picumno.*

Eidem libro Huschke Serv. ad Georg. 1, 21 (infra 9) attribuit, sine idonea ratione meo quidem iudicio.

1 *Omisi quae constitutionem a pontificibus postea factam secundum Masurium Sabinum narrant.*

Liber XII.

7. Fortasse fragmentum a Macrob. 1, 16, 25 Q. Fabio Maximo Serviliano attributum (cf. III, 6) hic collocandum est.

Liber XVI.

8. Non. 19, 11 p. 544. — Fabius Pictor lib. XVI: *aquam manibus pedibusque dato, polubrum sinistra manu teneto, dextera vasum cum aqua.*

Ex incertis libris.

9. Serv. ad Georg. 1, 21. — Fabius Pictor hos deos enumerat, quos invocat flamen sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri: Vervactorem, Reparatorem, Inporcitorem, Insitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarritorem, Subruncinatorem, Messorem, Convectorem, Conditorem, Promitorem.

10. Fest. v. puilia p. 250. — Puilia saxa esse ad portum, qui sit secundum Tiberim, ait Fabius Pictor.

---

2. P. LICINIUS CRASSUS

praetor peregrinus 546/208, cos. 549/208, pontifex maximus, decessit 571/183.

Iuris pontificii peritissimus (Liv. 30, 1, 5) etiam ius civile summo studio amplexus est. Cicero Cat. mai. 50 'Quid de P. Licini Crassi et pontificii et civilis iuris studio loquar?' de orat. 3, 134 'haec fuit P. Crassi illius veteris, haec Ti. Coruncanii, haec proavi generi mei Scipionis, prudentissimi hominis, sapientia, qui omnes pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur iidemque et in senatu et apud populum et in causis amicorum et domi et militiae consilium suum fidemque praestabant'.

Responsa.

Nulla exstant.

---

3. SEXT. AELIUS PAETUS CATUS

aedilis curulis 554/200, duumvir coloniae Narniae augendae 559/199, cos. 556/198, censor 560/194.

Aeliana studia Cicero de or. 1, 43, 93 non huius Aelii sed L. Aelii Stilonis dicit. ceterum de Sexti et de Caecilii vel Caelii vel Aelii nominibus saepe cum ambigatur, quaestionem sane difficillimam paucis hic tangam.

Sextus, quem Ulpianus libro quinquagesimo ad edictum D. 29, 5, 1 § 27 laudat ('et ait Sextus, sic esse saepe iudicatum ...'), non Aelius, sed Pedius est, quem Ulpianus ad edictum saepius allegat (Paling. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7 al.), et quidem non solum nomine Pedii, sed etiam Sexti Pedii (Paling. 32), ita ut eum aliquoties etiam sub solo Sexti nomine allegasse putandus sit.

Eundem Pedium et Ulpianus libro vicesimo ad Sabinum (D. 30, 32 'tam Sextus quam Pomponius putant') et Gaius II, 218 ('Iuliano et Sexto placuit') significant; Ulpianus etiam in libris ad edictum Pedium et Pomponium coniungit (D. 4, 8, 7 pr. 'Pedius libro nono et Pomponius libro trigensimo tertio scribunt'; D. 43, 24, 1 § 6 'Pedius et Pomponius scribunt').

Caecilium, Caelium, Aelium certe distinguere non semper possumus. 'Caecilium' multis locis Sex. Caecilium Africanum esse dubitari nequit: sed aliis Ulpiani locis haesitamus.

D. 21, 1, 14 § 10 ex libro primo ad edictum aedilium curulium haec habet: 'si nominatim morbus exceptus non sit (sc. in emptione servi), talis tamen morbus sit, qui omnibus potuit apparere, ... eius nomine non teneri Caecilius ait'. cum Ulpianus hoc libro Caelium Sabinum sequatur, quem hic Sabinum illic Caelium nominat, et nomen Caelii nostrum locum et antecedat et sequatur, Caelium scribendum esse apparet.

D. 33, 9, 3 § 8 ex libro vicesimo secundo ad Sabinum haec habet: 'Sextus autem Caecilius etiam tus et

cereos in domesticum usum paratos contineri legato (sc. penoris) scribit'. certum est, Ulpianum etiam aliis locis Africanum illum 'Sextum Caecilium' appellare; sed eum hoc loco nominari cum ideo veri dissimile est, quod antea et postea veteres allegantur, scilicet Quintus Mucius, Servius, Ofilius, tum quia Sextum Aelium hanc ipsum quaestionem tractasse scimus. itaque non dubito, quin pro Sexto Caecilio potius Sextus Aelius restituendus sit.

D. 15, 2, 1 § 7 ex libro vicensimo nono ad edictum, ubi de actione de peculio agitur, 'Caecilius' nominatur, pro quo Karlowa I p. 712 bonis rationibus Caelium substituit adstipulante Lenelio (Ulpian. 859, cf. Africanum I col. 35).

Reliquum est Javoleni fragmentum ex libro sexto posteriorum Labeonis (D. 24, 2, 64), ubi 'Proculus et Caecilius' coniunguntur. nomen Caecilii corruptum esse apparet, cum Africanus Iuliano aetate inferior eiusque discipulus videatur fuisse, ita ut Javolenus eum nominare non potuerit. sed num Caelius substituendus sit, dubitatur. Lenel ad Javolenum 225, Karlowa I p. 712. Aelium Paetum nominatum fuisse veri dissimillimum est.

Responsa.

Crassus apud Ciceron. de orat. 3, 133 'Equidem saepe hoc audivi de patre et de socero meo, nostros quoque homines, qui excellere sapientiae gloria vellent, omnia, quae quidem tum haec civitas nosset, solitos esse complecti. meminerant illi Sex. Aelium. M'. vero Manilium nos etiam vidimus transverso ambulantem foro ... ad quos olim et ita ambulantes et in solio sedentes domi sic adibatur, non solum ut de iure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio referretur'. Cic. de rep. 1, 30 'ea respondebat, quae eos qui quaesissent et cura et negotio solverent'. Pomponius § 38 'Sext. Aelius et frater eius P. Aelius ... maximam scientiam in profitendo habuerunt'.

Non ipsum responsa collegisse et responsorum librum edidisse certum est, sed quaedam responsa in Tripertita recepisse videtur. responsorum unum vel alterum exstare videtur praeter ea, quae in Tripertita recepit, velut id quod infra adscribam.

1. Gell. 4, 1, 20. v. Tripertita 1[a].

2. D. 19, 1, 38 § 1 Celsus libro octavo Digestorum. — Si per emptorem steterit, quo minus ei mancipium traderetur, pro cibariis per arbitrium indemnitatem posse servari Sextus Aelius, Drusus dixerunt.

Commentaria tripartita vulgo Ius Aelianum.

Pomponius § 7 'augescente civitate quia deerant quaedam genera agendi, non post multum temporis spatium Sextus Aelius alias actiones composuit et librum populo dedit, qui appellatur ius Aelianum.' § 38 'Sextum Aelium etiam Ennius laudavit et exstat illius liber qui inscribitur Tripertita, qui liber velut cunabula iuris continet: tripertita autem dicitur quoniam lege duodecim tabularum praeposita iungitur interpretatio, deinde subtexitur legis actio.' Cic. de orat. 1, 239 'in Sexti Aeli commentariis scriptum'.

In dubio relinquitur, utrum duo opera Pomponius significet an unum. Huschke Z. f. RW. XV, p. 178 sqq., Krueger p. 54, Joers p. 103 sqq., Karlowa I p. 475 sqq., Lenel Sabinussystem p. 9. equidem cum Karlowa et Lenelio uni eidemque libro duo illa nomina fuisse existimo. 'Commentaria tripartita' cum R. Schoellio XII tabb. p. 24 scripsi.

De rerum ordine v. Lenel Sabinussystem p. 8 sqq. fragmenta ad XII tabularum ordinem iam receptum disposui.

[V, 3 UTI LEGASSIT SUPER PECUNIA TUTELAVE SUAE REI, ITA IUS ESTO.]

1[a]. Gell. 4, 1, 20 — ... de penu adscribendum hoc .. putavi, Servium Sulpicium in reprehensis Scaevolae

capitibus scripsisse, Cato Aelio placuisse, non quae esui et potui forent, sed tus quoque et cereos in penu esse, quod esset eius familiae[1] causa comparatum.

1^{b}. D. 33, 9, 3 § 9: Ulpianus libro vicesimo secundo ad Sabinum (P. 2641). — ... Sextus autem ⟨C⟩ae⟨ci⟩lius etiam tus et cereos in domesticum usum paratos contineri legato (scil. penori) scribit.

[VII, 11 de rebus emptis venditis.]

2. v. Responsa 2.

[VIII, 16 de furto nec manifesto.]

3. Cic. ad fam. 7, 22. — Inluseras heri inter scyphos, quod dixeram controversiam esse, possetne heres, quod furtum antea factum esset, furti recte agere. itaque ... id caput, ubi haec controversia est, notavi et descriptum tibi misi, ut scires id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sex. Aelium, M.' Manilium, M. Brutum sensisse.

[X, 4 de funere.]

4. Cic. de leg. 2, 23, 59. — MULIERES GENAS NE RADUNTO NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO. hoc veteres interpretes, Sex. Aelius, L. Acilius, non satis se intellegere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris.

Libri tres spurii.

Pomponius § 38 'eiusdem esse tres alii libri referuntur, quos tamen quidam negant eiusdem esse'. hos libros spurios fuisse verisimile est. cf. III, 12.

---

4. M. PORCIUS CATO

natus 520/234, tribunus militum 547/207, quaestor Scipionis in Sicilia et in Africa 550/204, aedilis plebis

1 eius ferme rei *libri, emend. Cannegieter.*

555/199, praetor Sardiniae 556/198, cos. 559/195, censor 570/184, obiit 605/149.

Quintil. 12, 11, 23 'idem M. Cato summus imperator, idem sapiens, idem orator, idem historiae conditor, idem iuris, idem rerum rusticarum peritissimus fuit'. Cicero de or. 1, 171 'iuris civilis omnium peritissimus'; 3, 135 'num quia ius civile didicerat, causas non dicebat aut quia poterat dicere, iuris scientiam negligebat? utroque in genere et elaboravit et praestitit'. Pomponius § 38 'deinde (sc. post Aelios) M. Cato princeps Porciae familiae, cuius et libri exstant'.

Responsa.

Catonem consulentibus responsa dedisse, tam ex scriptorum testimoniis quam ex re ipsa colligendum est. responsorum vero libri, quos Cicero de or. 2, 33 § 142 nominat, non huius Catonis, sed minoris sunt. unicum quod Catonis traditur responsum ad ius spectare negaverim; quod enim Augustin. de doct. christ. 2, 20 refert: 'Cato cum esset consultus a quodam, qui sibi erosas a soricibus caligas diceret, respondit: non esse illud monstrum, sed vere monstrum habendum fuisse, si sorices a caligis roderentur', tralaticium esse Rich. Heinze me docet; nam Clemens Alex. strom. VII, 4, 24 haec habet *τί δὲ καὶ θαυμαστὸν εἰ ὁ μῦς, φησὶν ὁ Βίων, τὸν θύλακον διέτραγεν οὐχ εὑρὼν· ὅ τι φάγῃ; τοῦτο γὰρ ἦν θαυμαστόν, εἰ ὥσπερ Ἀρκεσίλαος παίζων ἐνεχείρει, τὸν μῦν ὁ θύλαξ κατέφαγεν.* ceterum sorices in prodigiis locum habuisse traditum est. Plin. n. h. 8, 223.

Ad respondendi munus pertinent etiam quodam modo orationes in iudiciis privatis habitae, ad quas referendum videtur quod Cicero de or. 3, 135 Catonem 'ex privatorum negotiis' collegisse gratiam tradit. de his orationibus v. H. Jordan M. Catonis praeter librum de re rustica quae exstant. Lps. 1860 p. 33, cf. p. LXXXVII. additamenta apud L. Mueller Rh. Mus. XXIII, 541. XXIV, 331. cf. Joers p. 276 sq.

... libri?

Pomponius § 38 'cuius et libri exstant'. de agri cultura liber (Keil Lps. 1884) c. 144—149 formulas locationum et emptionum proponit, quas habes in Brunsii fontium iur. civ. ed. VI (cura Th. Mommseni et O. Gradenwitz) parte posteriori p. 49—53. cf. J. Bekker Z. f. RG. III 416—445 ('Über die leges locationis bei Cato') et Bechmann Gesch. des Kaufs I (1876) p. 526—539.

Fortasse etiam 'praecepta ad Marcum filium' iuris praecepta continebant. O. Jahn Über röm. Encyklopädien, Lpz. Ber. 1850 p. 263. 281. H. Jordan l. l. p. XCIX.

Commentarios vero iuris civilis, quos Fest. p. 157 Catonis fuisse tradit, non huic, sed filio attribuendos esse moneo contra Joersium p. 278.

---

5. L. ACILIUS vel ATILIUS

Cic. Lael. 6 'scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse Sapientem, .. quia prudens esse in iure civili putabatur'. Pomponius § 38 'deinde (post Ti. Coruncanium) Sex. Aelius et frater eius, P. Aelius et P.(?) Atilius maximam scientiam in profitendo habuerunt, ... Atilius autem primus a populo Sapiens appellatus est'.

Ad leges XII tabularum.

Schoell legis duodecim tabb. reliquiae p. 7, 25 sq.

[X, 4 de funere.]

Cicero de leg. 2, 59. — MULIERES GENAS NE RADUNTO NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO. hoc veteres interpretes, Sex. Aelius, L. Acilius, non satis se intellegere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris.

III. SEPTIMI SAECULI IURIS CONSULTORUM SERIES PRIMA

1. M. Porcius Cato M. f. — 2. M. Iunius Brutus. — 3. M'. Manilius. — 4. C. Livius C. f. Drusus. — 5. L. Cassius Hemina. — 6. Q. Fabius Maximus Servilianus. — 7. L. Furius Philus. — 8. Ser. Fabius Pictor. — 9. P. Licinius Crassus Dives Mucianus. — 10. P. Mucius Scaevola. — 11. C. Sempronius Tuditanus. — 12. Q. Mucius Q. f. Q. n. Scaevola. — 13. M. Iunius Gracchanus. — 14. C. Marcius Figulus. — 15. Hostilius? — 16. Incerti responsum. — 17. Libri spurii.

1. M. PORCIUS CATO M. F.

natus circa 562/192, praetor anni 603/151, ut videtur, designatus, sed iam exeunte anno 602/152 mortuus ante patrem.

Responsa.

Catonem consulentibus libenter responsa dedisse certum est. Cicero de orat. 2, 32 § 142 'video ... in Catonis et in Bruti libris nominatim fere referri, quid alicui de iure viro aut mulieri responderint'.

Nonnulla supersunt, quae Cato in commentarios iuris civilis recepit.

1. D. 24, 3, 44 pr. Paulus libro quinto Quaestionum (P. 1333). — Si socer a genero heres institutus adierit hereditatem, quandoque mortuo patre cum herede eius filiam de dote acturam Nerva et Cato responderunt,

ut est relatum apud Sextum Pomponium Digestorum ab Aristone libro quinto.

Pro Catone fortasse Capitonem scribendum esse adnotat Lenel, vereor ut recte.

2. D. 34, 7, 1 pr. Celsus libro trigesimo quinto Digestorum (P. 250). — Catoniana regula sic definit, quod, si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret, id legatum quandocumque decesserit, non valere.

Catonianam illam regulam etiam nostri temporis iuris peritis notam a Catone filio nomen duxisse verisimile est: ex huius responso aliis probato regulam postea demum definitam esse puto. itaque quod Paulus libro sexto decimo ad Plautium (D. 50, 17, 1 P. 1230) monet: 'non ex regula ius sumatur, sed ex iure quod est regula fiat' in hac regula videtur factum esse. quis regulam definierit nescimus: Celso iam nota erat. vulgo regulam ab ipso Catone definitam esse putant. post Celsum regulam laudant Papinianus libro quinto decimo Quaestionum (D. 34, 7, 3 P. 242), Ulpianus libris decimo et vicesimo primo et secundo ad Sabinum (D. 34, 7, 4 et 5. D. 30, 40 P. 2505. 2622[b]. 2634) et Paulus libris ad Plautium (D. 33, 5, 13 P. 1154. cf. D. 34, 7, 2 P. 1173); idem ad regulam Catonianam librum singularem conscripsit, cuius unum fragmentum habemus (D. 49, 17, 20).

Tribonianus denique in Digesta titulum 'de regula Catoniana' inscriptum recipere iussit (34, 7). at Pauli fragmentum illud ex libro eius singulari desumptum non huic titulo, sed alii 'de castrensi peculio' insertum est.

Commentarii iuris civilis.

Gell. 13, 20, 9 'egregios de iuris disciplina libros reliquit'. Pomponius § 38 'Marcus Cato .., cuius et libri extant, sed plurimi filii eius' ... Commentariorum, qui a Festo v. mundus laudantur, liber quintus decimus a Paulo ad Sabinum nominatur. Catonem in commentarios

responsa sua inseruisse supra diximus. hoc loco moneo eum consulentium virorum et mulierum nomina minime delevisse. Cicero l. l.

De rerum ordine certi nihil constat.

Liber XV.

1. D. 45, 1, 4 § 1. Paulus libro decimo secundo ad Sabinum (P. 1841). — Cato libro quinto decimo scribit poena certae pecuniae promissa, si quid aliter factum sit, mortuo promissore si ex pluribus heredibus unus contra quam cautum sit fecerit, aut ab omnibus heredibus poenam committi pro portione hereditaria aut ab uno pro portione sua: ab omnibus, si id factum, de quo cautum est, individuum sit, veluti 'iter fieri', quia quod in partes dividi non potest, ab omnibus quodammodo factum videretur: at si de eo cautum sit, quod divisionem recipiat, veluti 'amplius non agi', tum eum heredem, qui adversus ea fecit, pro portione sua solum poenam committere. differentiae hanc esse rationem, quod in priore casu omnes commisisse videntur, quod nisi in solidum peccari non poterit, ⟨similemque esse huic⟩ illam stipulationem 'per te non fieri, quo minus mihi ire agere liceat?'

Ex libris incertis.

2. Fest. v. mundus p. 154 M. — Mundus ... qui quid ita dicatur, sic refert Cato in commentariis iuris civilis: *mundo nomen inpositum est ab eo mundo qui supra nos est: forma enim eius est, ut ex his qui intravere cognoscere potui, adsimilis illae.*

3. D. 50, 16, 98 § 1. Idem (Celsus) libro trigensimo nono Digestorum (P. 274). — Cato putat mensem intercalarem additicium esse.

4[a]. Gell. 5, 19 § 12 sq. — alioquin, inquit (Masurius Sabinus), si iuris ista antiquitas servetur, etiam servus a domino per praetorem dari in adoptionem potest.

idque ait plerosque iuris veteris auctores posse fieri scripsisse.

4[b]. J. 1, 11 § 12. — apud Catonem bene scriptum refert antiquitas, servi si a domino adoptati sunt, ex hoc ipso posse liberari.

5. D. 21, 1, 10 § 1. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1760). — Catonem quoque scribere lego, cui digitus de manu aut de pede praecisus sit, eum morbosum esse.

6. et 7. v. Responsa.

---

2. M. IUNIUS BRUTUS

praetor anno incerto.

Cicero Brut. 34, 130 'virum optimum ... et iuris peritissimum'; de off. 2, 50 'iuris civilis in primis peritus'.

Pomponius § 39 'post hos fuerunt Publius Mucius et Brutus et Manilius, qui fundaverunt ius civile. ex his ... libellos reliquit Brutus septem, Manilius tres (fortasse legendum 'Manilius septem, Brutus tres'). illi duo consulares fuerunt, Brutus praetorius.'

Responsa.

Cic. de or. 2, 32, 142. ... 'video .. in Catonis et in Bruti libris nominatim fere referri, quid alicui de iure viro aut mulieri responderint.'

Quae exstant, ita disposui, ut primo loco de fructu legato, secundo de emptione venditione et de usucapione, tertio de furto et de lege Aquilia, ultimo de hostibus dedito legantur.

1[a]. Cicero de fin. 1, 4, 12. — an, partus ancillae sitne in fructu habendus, disseretur inter principes civitatis, P. Scaevolam Manliumque Manilium, ab hisque M. Brutus dissentiet?

1[b] D. 7, 1, 68. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2574). — vetus fuit quaestio, an partus ad fructuarium pertineret, sed Bruti sententia optinuit fructuarium in eo locum non habere.[1]

2. D. 18, 2, 11 § 2 et l. 13 pr. Ulpianus libro vicencimo octavo ad Sabinum (P. 2711). — . . . Sabinus ait, si tribus vendentibus duo posteriori addixerint, unus non admiserit adiectionem, huius partem priori, duorum posteriori emptam . . .

. . . Celsus quoque libro octavo Digestorum refert Mucium Brutum Labeonem quod Sabinum existimare.

3. D. 41, 2, 3 § 3. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 658). — . . . Brutus et Manilius putant eum qui fundum usu[2] cepit, etiam thensaurum cepisse, quamvis nesciat in fundo esse.

4. Cicero ad fam. 7, 22. — Illuseras heri . ., quod dixeram controversiam esse, possetne heres, quod furtum antea factum esset, furti recte agere. itaque . . . id caput, ubi haec controversia est, notavi et descriptum tibi misi, ut scires id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sex. Aelium, M'. Manilium, M. Brutum sensisse.

5. Gell. 17, 7, 3. — Legis veteris Atiniae verba sunt: QUOD SUBRUPTUM ERIT, EIUS REI AETERNA AUCTORITAS ESTO. . . . Q. Scaevola patrem suum et Brutum et Manilium . . . quaesisse ait dubitasseque, utrumne in post facta modo furta lex valeret an etiam in ante facta: quoniam 'subruptum erit' utrumque tempus videretur ostendere, tam praeteritum quam futurum.

6. Gell. 6, 15, 1. — Labeo in libro de duodecim tabulis secundo acria et severa iudicia de furtis habita esse apud veteres scripsit idque Brutum solitum dicere.

1 *Quae sequuntur* 'neque enim in fructu hominis homo esse potest' *Bruti non esse apparet.* 2 longa possessione *Fl., a Triboniano substitutum.*

7. D. 9, 2, 27 §§ 22. 23. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 624). — Si mulier pugno vel equa ictu a te percussa eiecerit, Brutus ait Aquilia <te> teneri quasi rupto. et si mulum plus iusto oneraveris et aliquid membri ruperit, Aquiliae locum fore.

8. D. 49, 15, 4. Modestinus libro tertio Regularum (P. 208). — eos qui ab hostibus capiuntur vel hostibus deduntur, iure postliminii reverti antiquitus placuit. an qui hostibus deditus reversus nec a nobis receptus civis Romanus sit, inter Brutum et Scaevolam varie tractatum est.

De iure civili libri tres.

Cic. de or. 2, 223 'tres patris Bruti de iure civili libros tribus legendos dedit'; pr. Cluent. 141 'tres excitavit recitatores cum singulis libris, quos M. Brutus ... de iure civili reliquit'.

Cum de or. 2, 224 legamus 'ex libro tertio, in quo finem scribendi fecit (M. Brutus); tot enim, ut audivi Scaevolam dicere, sunt veri Bruti libri', concludere licet aliquot libros spurios adiectos esse. Zimmern Geschichte I, 276. cf. infra 17.

Brutum responsa sua in hos libros retulisse, et res ipsa docet et Cicero de or. 2, 142 auctor est. Brutum similiter atque P. Mucium controversas res fusius tractasse probatur et iis quae de hostibus dedito et iis quae de furti actione referuntur. rerum ordo cognosci nequit.

Liber I.

1. Cic. de orat. 2, 224. — ex libro primo: *forte evenit, ut in Privernati essemus.*

Liber II.

2. Ibid. — deinde ex libro secundo: *in Albano eramus ego et Marcus filius.*

Liber III.

3. Ibid. — tum ex libro tertio . . .: *in Tiburti forte assedimus ego et Marcus filius.*

---

3. M'. MANILIUS

cos. 605/149.

Pomponius § 39 'post hos fuerunt P. Mucius et Brutus et Manilius, qui fundaverunt ius civile. ex his . . . libellos reliquit Brutus septem, Manilius tres (fortasse 'Manilius septem, Brutus tres'), et exstant volumina scripta Manilii monumenta.' verba ultima corrupta malo 'inscripta' legere quam 'monumenta' delere.

Idem quin Manilianarum venalium vendendorum legum (Cicero de or. 1, 58, 246) vel Manilii actionum (Varro de r. r.) auctor sit, dubitari nequit, quamquam in codicibus optimis nomen 'Mamilius' legitur. Teuffel-Schwabe § 133, 1. cf. § 158, 1.

Manilius in Ciceronis de re p. dialogo prodit; eiusdem memoriam Mamertinus grat. act. Iuliano excitat, cum Manilios — ita enim, non 'Manlios' legendum esse Joers p. 256, 1 recte monet, cum vel Krueger p. 261, 7 pravam lectionem habeat — iuris civilis scientiam cum aliis in amplissimum gradum dignitatis evexisse monet.

Responsa.

Cic. de orat. 3, 133 'M'. vere Manilium nos etiam vidimus transverso ambulantem foro; quod erat insigne, eum qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam.'

1. Cicero de re publ. 3, 10, 17. — .. ut hic noster interpres alia nunc Manilius iura dicat esse de mulierum legatis et hereditatibus, alia solitus sit adulescens dicere nondum Voconia lege lata.

2. Cicero de fin. 1, 4, 12. — an, partus ancillae sitne in fructu habendus, disseretur inter principes civitatis, P. Scaevolam Manliumque Manilium ...

3. D. 41, 2, 3 § 3. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 658). — ... Brutus et Manilius putant eum, qui fundum *usu* cepit, etiam thensaurum cepisse, quamvis nesciat in fundo esse.

4. Cicero ad fam. 7, 22. — Illuseras heri .., quod dixeram controversiam esse, possetne heres, quod furtum antea factum esset, furti recte agere. itaque ... id caput ubi haec controversia est notavi et descriptum tibi misi, ut scires id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sex. Aelium, M' Manilium, M. Brutum sensisse.

5. Gell. 17, 7, 3. — ... Q. Scaevola patrem suum et Brutum et Manilium ... quaesisse ait dubitasseque, utrum in post facta modo furta valeret lex an etiam in antea facta, quoniam 'subruptum erit' utrumque tempus videretur ostendere, tam praeteritum quam futurum.

Actionum (?) libri

Pomponius § 39 ... 'Publius Mucius decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres'; ubi legendum potius videtur 'Manilius septem, Brutus tres'. cf. supra p. 24, infra p. 41.

Manilium aeque atque P. Mucium et Brutum etiam dubias et controversas res tractasse apparet. rerum ordo cognosci nequit: ne unius quidem libri argumentum traditur.

1. Varro de l. l. 7, 5, 105. — nexum Manilius scribit omne quod per libram et res geritur, in quo sint mancipia.

2. Priscian. 8, 16 p. 382 ed. Hertz. — melius (fortasse M'. Manilius) impubes libripens esse non potest neque antestari.

3. Varro de re rust. 2, 5, 11. — eos (sc. boves) cum emimus domitos, stipulamur sic: *illosce boves sanos esse noxisque ⟨solutos⟩ praestari?* cum emimus indomitos, sic: *illosce iuvencos sanos recte deque pecore sano esse noxisque ⟨solutos⟩ praestari spondesne?* paulo verbosius haec, qui Manili actiones sequuntur.

4. Ibid. 2, 7, 6. — emptio equina similis fere ac boum et asinorum, quod eisdem rebus in emptione dominum mutant, ut in Manili actionibus sunt perscripta.

5. Ibid. 2, 3, 5. — ... stipulantur paucis exceptis verbis, ac Manilius scriptum reliquit, sic: *illasce capras hodie recte esse et bibere posse habereque recte licere, haec spondesne?*

6. Ibid. 2, 4, 5. — emi solent sic: *illasce sues sanas esse habereque recte licere noxisque ⟨solutas⟩ praestari neque de pecore morboso esse spondesne?* quidam adiciunt: perfunctas esse a febri et a foria.

---

4. C. LIVIUS C. F. DRUSUS

frater maior natu M. Livii, cos. 607/144. quamquam caecus iuris consultus celeber, cuius 'domum compleri a consultoribus solitam' fuisse Cicero tusc. 5, 112 ait. Val. Max. 8, 7, 4 'ius civile populo benignissime interpretatus est'.

Responsa.

D. 19, 1, 38 § 1. Celsus libro octavo Digestorum (P. 79). — Si per emptorem steterit, quoniam ei mancipium traderetur, pro cibariis per arbitrium indemnitatem posse servari Sextus Aelius, Drusus dixerunt ...

Iuris civilis libri?

Val. Max. 8, 7, 4. ... 'utilissimaque discere id (ius civile) cupientibus monumenta composuit'. nihil exstat.

---

5. L. CASSIUS HEMINA

Censorin. de d. nat. 17, 11 'at Piso Censorius et Cn. Gellius, sed et Cassius Hemina, qui illo tempore (quartorum ludorum saecularium 608/146) vivebat.'

De censoribus libri?

Non. 346, 22. Cassius Hemina lib. II de censoribus: et in area *et q. s.* librorum de censoribus memoria uno Nonii nititur testimonio, ne eo quidem ab omni suspicione vacuo. v. Luc. Muelleri adnotationem, qui hic quoque annales indicari contra Hertzium (de hist. 1871 p. 2) post alios defendit.

Liber II.

Non. l. c. — et in area in Capitolio signa quae erant demoliunt.

---

6. Q. FABIUS MAXIMUS SERVILIANUS

cos. 612/142.

Macrobius (v. infra) eum iuris pontificii libros scripsisse refert; sed sunt qui putent errore hunc pro Servio Fabio Pictore (II, 1) nominari.

Iuris pontificii libri ...

Liber XII.

Macrob. 1, 16, 25. — sed et Fabius Maximus Servilianus pontifex in libro duodecimo negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Ianum Iovemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet.

---

7. L. FURIUS PHILUS

cos. 618/136.

Cicero Brut. 108 'perbene latine loqui putabatur litteratiusque quam ceteri'.

Carmen quo dii evocantur quodque Macrobio auctore Sammonicus Serenus sive pater sive filius secundo p. Ch. saeculo 'in cuiusdam Furii vetustissimo libro repperisse professus est', ex huius Furii libro desumptum esse verisimile videtur.

Quod ad argumentum libri, conicere licet, de consulis officio vel de re militari eum fuisse. Huschke cum aliis iuris sacri librum fuisse putat. pontifices et ad evocandos deos et ad devovenda oppida praesto fuisse, si res in Italia agebatur, traditum est. Preller-Jordan Röm. Mythologie I 139.

Macrob. sat. 3, 9 §§ 6—13. — repperi in libro quinto rerum reconditarum Sammonici Sereni utrumque carmen, quod ille se in cuiusdam Furii vetustissimo libro repperisse professus est. est autem carmen huiusmodi, quo di evocantur, cum oppugnatione civitas cingitur:

si deus si dea est, cui populus civitasque Carthaginiensis est in tutela, teque maxime, ille qui urbis huius populique tutelam recepisti, precor venerorque veniamque a vobis peto, ut vos populum civitatemque Carthaginiensem deseratis, loca templa sacra urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis eique populo civitati metum formidinem oblivionem iniciatis, propitiique[1] *Romam ad me meosque veniatis, nostraque vobis loca templa sacra urbs acceptior probatiorque sit, mihique populoque Romano militibusque meis praepositi sitis,*[2] *ut sciamus intellegamusque. si ita feceritis, voveo vobis templa ludosque facturum.*

1 *Coni. Huschke pro* proditique. 2 *Huschke supplet:* idque faciatis extis.

In eadem verba hostias fieri oportet auctoritatemque videri extorum, ut ea promittant futura.

Urbes vero exercitusque sic devoventur iam numinibus evocatis; sed dictatores imperatoresque soli possunt devovere his verbis: *Dis pater Veiovis Manes, sive quo alio nomine fas est nominare, ut omnes illam urbem Carthaginem exercitumque, quem ego me sentio dicere, fuga formidine terroreque compleatis, quique adversum legiones exercitumque nostrum arma telaque ferent, uti vos eum exercitum eos hostes eosque homines urbes agrosque eorum et qui in his locis regionibusque agris urbibusve habitant, abducatis, lumine supero privetis exercitumque hostium urbes agrosque eorum, quos me sentio dicere, uti vos eas urbes agrosque capita aetatesque*[1] *eorum devotas consecratasque habeatis illis legibus, quibus quandoque sunt maxime hostes devoti. eosque ego vicarios pro me fide magistratuque meo pro populo Romano exercitibus legionibusque nostris do devoveo, ut me meamque fidem imperiumque legiones exercitumque nostrum, qui in his rebus gerundis sunt, bene salvos siritis esse. si haec ita faxitis, ut ego sciam sentiam intelligamque, tunc quisquis hoc votum faxit, ubi faxit, recte factum esto ovibus atris tribus.* ⟨*te*⟩[2] *Tellus mater teque Iuppiter obtestor.* cum Tellurem dicit, manibus terram tangit; cum Iovem dicit, manus ad caelum tollit; cum votum recipere dicit, manibus pectus tangit.[3]

---

8. SER. FABIUS PICTOR

Cic. Brut. 81 'Ser. Fulvius (cos. 619/135) et una Ser. Fabius Pictor et iuris et litterarum et antiquitatis bene peritus'.

1 *Huschkio legendum videtur* habitatoresque. 2 *Huschke supplevit.* 3 *Reliqua non recepi, cum Furii non esse verba Sammonici demonstrent:* in antiquitatibus autem haec oppida inveni devota *rel.*

Fortasse huius Fabii iuris pontificii libri fuerunt, quos supra (III, 6) Quinto Fabio adscripsi. cf. Teuffel-Schwabe § 133, 3.

---

9. P. LICINIUS CRASSUS DIVES MUCIANUS

P. Mucii cos. 579/175 filius et P. Mucii cos. 621/133 frater a. P. Licinio Crasso Divite cos. 594/205 adoptatus, cos. 623/131, pontifex maximus, in Asia Aristonicum regem debellans decessit 624/130.

A patre institutus ('domi ius civile cognoverat') fuit non solum probatus orator sed etiam iuris peritus qui plurimum consulebatur. Cic. Brut. 98. Gell. 1, 13, 10. fratri solitus est dicere, 'neque illum in iure civili satis facere posse nisi dicendi copiam assumpsisset . ., neque se ante causas amicorum tractare atque agere coepisse, quam ius civile didicisset'. Pomponius § 40 hunc et oratorem L. Crassum confundere videtur.

Auditores eius fuerunt et Rutilius Rufus (Cic. de off. 2, 47) et filius Quintus.

Responsa.

Cic. Brut. 98 'in eo . . constat . . . fuisse maximam . . gratiam, cum et consuleretur plurimum.' Cic. de orat. 1, 239 'equidem hoc saepe audivi . . . accessisse ad Crassum consulendi causa quendam rusticanum, qui cum Crassum seduxisset atque ad eum retulisset responsumque ab eo verum magis quam ad suam rem accommodatum abstulisset, ut eum tristem Galba vidit, . . quaesivit, . . qua de re ad Crassum retulisset, ... deinde ipsum Crassum manu prehendit et heus tu, inquit, quid tibi in mentem venit ita respondere? tum illi fidenter homo peritissimus confirmare, ita se rem habere, ut respondisset, nec dubium esse posse. Galba autem . . . multas similitudines afferre multaque pro aequitate contra ius dicere, atque illum, cum disserendo par esse non posset, . . .

ad auctores confugisse et id quod ipse diceret, et in P. Mucii fratris sui libris et in Sex. Aelii commentariis scriptum protulisse . .'

Nulla exstant responsa.

---

10. P. MUCIUS SCAEVOLA

praetor 618/136, cos. 621/133, pont. max. 623/131.

Pomponius § 39 'post hos fuerunt Publius Mucius et Brutus et Manilius, qui fundaverunt ius civile. ex his Publius Mucius etiam decem libellos reliquit'.

Mucius pontificem bonum neminem esse dicere solebat nisi qui ius civile nosset (Cic. de leg. 2, 47), id quod negabant alii: 'si vos (Scaevolae) tantummodo pontifices essetis, pontificalis maneret auctoritas; sed quod iidem iuris civilis estis peritissimi, hac scientia illam eluditis' Cic. de leg. 2, 52. 'Scipionis Nasicae vel haec verba de P. Mucio feruntur: »consul, dum iuris ordinem sequitur, id agit, ut cum omnibus legibus Romanum imperium corruat«.' Val. Max. 3, 2, 17.

Responsa.

Non pauca de iure sacro, de iure belli, de iure dotis, de stillicidio, de furto exstant. quae ad ius sacrum pertinent, praetermisit Lenel.

1. D. 24, 3, 66 pr. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis (P. 227). — In his rebus, quas praeter numeratam pecuniam doti vir habet, dolum malum et culpam eum praestare oportere Servius ait. ea sententia Publii Mucii est; nam is in Licinia Gracchi uxore statuit, quod res dotales in ea seditione, qua Gracchus occisus erat, perissent [ait], quia Gracchi culpa ea seditio facta esset, Liciniae praestari oportere.

2. Cicero top. 4, 24. — . . . ut si ita respondeas: quoniam P. Scaevola id solum esse ambitus aedium

dixerit, quo parietis communis tegendi causa tectum proiceretur, ex quo in tectum eius aedis, qui protexisset, aqua proflueret, id tibi ius videri.

3. Auct. ad Herenn. 2, 13, 19. — C. Caelius iudex absolvit iniuriarum eum, qui Lucilium poetam in scena nominatim laeserat, P. Mucius eum, qui L. Accium poetam nominaverat, condemnavit.

4. Gell. 17, 7, 3 . . . — Q. Scaevola patrem suum et Brutum et Manilium . . . quaesisse ait dubitasseque, utrumne in post facta modo furta lex (Atinia) valeret an etiam in ante facta, quoniam 'subruptum erit' utrumque tempus videretur ostendere, tam praeteritum quam futurum.

5. Cicero de fin. 1, 4, 12. — an, partus ancillae sitne in fructu habendus, disseretur inter principes civitatis, P. Scaevolam Maniumque Manilium . . .

6. Cicero pro domo 53, 137. — P. Scaevola pontifex maximus pro collegio respondit: quod in loco publico Licinia, Gai filia, iniussu populi dedicasset, sacrum non viderier.

7. Cicero de leg. 2, 22, 57. — . . . itaque in eo, qui in nave necatus, deinde in mare proiectus esset, decrevit P. Mucius familiam puram, quod os supra terram non exstaret; porcam heredi esse contractam, et habendas triduum ferias, et porco femina piaculum pati; si in mari mortuus esset, eadem praeter piaculum et ferias.

8[a]. Cicero de leg. 2, 21, 52. 53. — placuit P. Scaevolae et Ti. Coruncanio, pontificibus maximis, itemque ceteris, eos, qui tantundem caperent, quantum omnes heredes, sacris alligari. habeo ius pontificium. quid huc accessit ex iure civili? partitionis caput scriptum caute, ut centum nummi deducerentur: inventa est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. quasi hoc qui testamentum faciebat, cavere noluisset, admonet iurisconsultus, hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, ut minus capiat quam omnibus heredibus

relinquatur: supra dicebant, quicquid cepisset, adstringi: rursus sacris liberantur.

8[b]. Cicero de leg. 2, 20, 50. — atque etiam hoc dant Scaevolae, quom est partitio, ut, si in testamento deducta *summa centum nummum*[1] non sit, ipsique minus ceperint quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligetur. in donatione hoc iidem secus interpretantur: et quod interfamilias in eius donatione, qui in eius potestate esset, approbavit, ratum est; quod eo insciente factum est, si is id non approbat, ratum non est.

9. D. 50, 7, 18 Pomponius libro trigensimo septimo ad Quintum Mucium (P. 320). — eum, qui legatum pulsasset, Quintus Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere.

Quem hostes si non recepissent, quaesitum est, an civis Romanus maneret: quibusdam existimantibus manere, aliis contra, quia quem semel populus iussisset dedi, ex civitate expulsisse videretur, sicut faceret, cum aqua et igni interdiceret. in qua sententia videtur Publius Mucius fuisse. id autem maxime quaesitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non acceperunt: de quo tamen lex postea lata est, ut esset civis Romanus, et praeturam quoque gessisse dicitur.

De iure civili (?) libri decem.

Utrum libelli decem illi quos Mucius reliquit singulares fuerint an in unum corpus coniuncti, quaeritur. ego Sexti Aelii commentariis similes fuisse ex Cic. de orat. 1, 239 colligo 'et in P. Mucii patris sui libris et in Sex. Aeli commentariis scriptum'. responsorum certe partem in libros Mucium retulisse verisimile est. rerum ordo ne divinari quidem potest.

1 *Mommsen (Richters Jahrb. 17, 13) non quod hodie legitur* 'scripta', *sed potius* s̄c̄n̄ *scriptum fuisse optime conicit.*

11. C. SEMPRONIUS TUDITANUS

quaestor 609/145, praetor 622/132, cos. 625/129.

Praeter annales etiam magistratuum libros conscripsit.

Magistratuum libri.

De fragmentis quae his libris adtribuenda videantur, v. H. Peter hist. rell. 1, 142 et Teuffel-Schwabe § 138, 2. cf. Mommsen Staatsrecht I³, 4. rerum ordo cognosci nequit, cum tantum ex libris tertio et tertio decimo fragmenta afferantur.

Liber III.

1. Macrob. sat. 1, 13, 21. — (Quando autem primum intercalatum sit varie refertur...) Tuditanus refert libro tertio magistratuum decem viros, qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse.

Liber XIII.

2. Gell. 13, 15, 4. — ... liber M. Messalae auguris de auspiciis primus ... ex eo libro verba ipsius Messalae subscripsimus: ... Praetor, etsi conlega consulis est, neque praetorem neque consulem iure rogare potest, ut quidèm nos a superioribus accepimus aut ante haec tempora servatum est et ut in commentario tertio decimo C. Tuditani patet, quia imperium minus praetor, maius habet consul, et a minore imperio maius aut maior ⟨a minor⟩e collega rogari iure non potest.

Eidem libro attribuas

3. Plin. h. n. 13, 84 sq. — Cassius Hemina, vetustissimus auctor annalium, quarto eorum libro prodidit Cn. Terentium scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem effodisse arcam, in qua Numa, qui Romae regnavit, situs fuisset. in eadem libros eius repertos P. Cornelio L. f. Cethego M. Baebio O. f. Tamphilo coss ... eosque combustos a Q. Petilio praetore, quia

philosophiae scripta essent. hoc idem tradit Piso Censorius primo commentariorum, sed libros septem iuris pontificii totidemque Pythagoricos fuisse, Tuditanus tertio decumo[1] Numae decretorum fuisse.

Ex incertis libris.

4. Macrob. sat. 1, 16, 32. — harum (nundinarum) originem quidem Romulo adsignant, quem communicato regno cum Tito Tatio sacrificiis et sodalitatibus institutis nundinas quoque adiecisse commemorant, sicut Tuditanus adfirmat.

5. Ascon. ad (Cicer.) Cornel. p. 76 Or. 68 K. — Ceterum quidam non duos tribunos plebis, ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos tum (in monte sacro) esse, singulos ex singulis classibus. sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum quem Cicero ponant, inter quos Tuditanus et Pomponius Atticus Livius quoque noster. idem hic et Tuditanus adiciunt tres praeterea ab illis duobus sibi collégas creatos esse. nomina duorum qui primi creati sunt, haec traduntur: L. Licinius L. f. Bellutus, L. Albinius C. f. Paterculus.

---

12. Q. MUCIUS SCAEVOLA AUGUR

natus circiter 593/161, cos. 637/117, mortuus post 666/88.

Cicero Brut. 102 'Mucius autem augur .. oratorum in numero non fuit, iuris civilis intelligentia atque omni prudentiae genere praestitit'. senem Cicero sumpta virili toga 665/89 audiit. Laelius 1, 1.

Responsa.

Cicero pro Balbo 20. Q. Scaevola ille augur, cum de iure praediatoris consuleretur, homo iuris peritissimus,

1 *aliter H. Peter rell. I p. CCXI. Cf. Teuffel-Schwabe l. c.*

consultores suos nonnunquam ad Furium et Cascellium praediatores reiiciebat.

---

13. M. IUNIUS GRACCHANUS

Plin. n. h. 33, 36 'Iunius, ... qui ab amicitia eius (sc. C. Gracchi) Gracchanus appellatus est, scriptum reliquit' et q. s., v. fr. 9.

Cic. de leg. 3, 20, 49 'Atticus ... faciendum tibi est, ut ... de potestatum iure disputes. Marcus ... pluribus verbis scripsit ad patrem tuum M. Iunius sodalis, perite meo quidem iudicio et diligenter.' Commentariorum nomine hoc ipsum opus Varronem designare (de L. L. 6, 95) contra Huschkium arbitror.

De potestatibus libri ad Pomponium.

Septem minimum libri fuerunt. rerum ordo cognosci nequit.

Liber VII.

1. D. 1, 13, 1 pr. Ulpianus libro singulari de officio quaestoris (P. 2252). — Gracchanus ... Iunius libro septimo de potestatibus etiam ipsum Romulum et Numam Pompilium binos quaestores habuisse, quos ipsi non sua voce, sed populi suffragio crearent, refert.

2. Ibid. § 1. — et a genere quaerendi quaestores initio dictos et Iunius et Trebatius et Fenestella scribunt.

Ex incertis libris.

2. Censorin. 20. — Annum vertentem Romae Licinius quidem Macer et postea Fenestella statim ab initio duodecim mensium fuisse scripserunt. sed magis Iunio Gracchano et Fulvio et Varroni et Suetonio aliisque credendum, qui decem mensium putaverunt fuisse ut tunc Albanis erat, unde orti Romani.

Postea sive a Numa, ut ait Fulvius, sive, ut Iunius, a Tarquinio duodecim facti sunt menses et dies CCCLV, quamvis luna duodecim suis mensibus CCCLIIII dies videatur explere.

3[a]. Varro de L. L. 6, 4, 33. 34. — Mensium nomina fere aperta sunt, si a Martio, ut antiqui constituerunt, numeres. nam primus a Marte, secundus, ut Fulvius scribit et Iunius, a Venere, quod ea sit Aphrodite; quoius nomen ego antiquis litteris quod nusquam inveni, magis puto dictum quod ver omnia aperit, Aprilem, tertius a maioribus Maius, quartus a iunioribus dictus Iunius. dehinc quintus Quintilis et sic deinceps usque ad Decembrem a numero. ad hos qui additi, prior a principe deo Ianuarius appellatus; posterior, ut idem dicunt scriptores, ab diis inferis Februarius appellatus, quod tum his parentetur.

3[b]. Censorin. 22. — Nomina decem mensibus antiquis Romulum fecisse Fulvius et Iunius auctores sunt: et quidem duos primos a parentibus suis nominasse Martium a Marte patre, Aprilem ab Aphrodite, id est Venere, unde maiores eius oriundi dicebantur: proximos duos a populo, Maium a maioribus natu, Iunium a iunioribus, ceteros ab ordine, quo singuli erant, Quintilem usque ad Decembrem perinde a numero.

4. Macrob. sat. 1, 13, 20. — Iunius Servium Tullium regem primum intercalasse commemorat.

5. Varro de L. L. 5, 7, 42. — Antiquum oppidum in hoc fuisse Saturnia scribitur. eius vestigia etiam nunc manent tria: quod Saturni fanum in faucibus; quod Saturnia porta, quam Iunius scribit ibi, quam nunc vocant Pandanam; quod post aedem Saturni in aedificiorum legibus privatis parietes postici muri sunt scripti.

6. Ibid. 5, 7, 48. — Subura Iunius scribit ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe.

7. Ibid. de L. L. 5, 9, 55. — Luceres, ut Iunius, a Lucumone.

8. Plin. h. n. 33, 35. — Celeres sub Romulo regibusque sunt appellati, deinde flexuntes, postea trossuli, cum oppidum in Tuscis citra Volsinios p. VIIII sine ullo peditum adiumento cepissent eius vocabuli, idque duravit ultra C. Gracchum. Iunius certe . . . scriptum reliquit his verbis: '*Quod ad equestrem ordinem attinet, antea trossulos vocabant, nunc equites vocant ideo quia non intelligunt, trossulos nomen quid valeat multosque pudet eo nomine appellari*' et causam, quae supra indicata est, exponit invitosque etiamnum tamen trossulos vocari.

9. Varro de L. L. 6, 95. — hoc (inlicium) nunc aliter fit atque olim, quod augur consuli adest tum cum exercitus imperatur ac praeit quid eum dicere oporteat consul. auguri imperare solet, ut inlicium vocet, non accenso aut praeconi; id inceptum credo, cum non adesset accensus, et nihil intererat cui imperaret, et dicis causa fiebant quaedam neque item facta neque item dicta semper. hoc ipsum inlicium scriptum inveni in M. Iunii commentariis, quod tamen ibi idem est quod illicit et illexit . . .

10. Gell. 14, 8, 1. — Praefectum urbi Latinarum causa relictum senatum habere posse Iunius negat, quoniam ne senator quidem sit neque ius habeat sententiae dicendae, cum ex ea aetate praefectus fiat, quae non sit senatoria.

11. Fest. v. publica pondera p. 246. — Publica pondera ⟨ad legitimam normam exacta esse⟩ ex ea causa Iunius in . . . ⟨colligi⟩t quod duo Silii, P. et M., trib. pleb., rogarunt his verbis: Ex PONDERIBUS PUBLICIS, QUIBUS HAC TEMPESTATE POPULUS OETIER SOLET, UTI COAEQUATUR SE DOLO MALO, UTI QUADRANTAL VINI OCTOGINTA PONDO SIET, CONGIUS VINI DECEM P(ONDO) SIET, SEX SEXTARI CONGIUS SIET VINI, DUODEQUINQUAGINTA SEXTARI QUADRANTAL SIET VINI.

SEXTARIUS AEQUUS AEQUO CUM LIBRARIO SIET, SEX DECEMQUE LIBRARI IN MODIO SIENT. SI QUIS MAGISTRATUS ADVERSUS HAC D(OLO) M(ALO) PONDERA MODIOSQUE VASAQUE PUBLICA MODICA MINORA MAIORAVE FAXIT IUSSERITVE FIERI, DOLUMVE ADDUIT, QUO EA FIANT, EUM QUIS VOLET MAGISTRATUS MULTARE, DUM MINORE PARTI FAMILIAS TAXAT LICETO; SIVE QUIS IM SACRUM IUDICARE VOLUERIT, LICETO.

Secundum recensionum in Brunsii font.[6] p. 46 propositam.

---

14. C. MARCIUS FIGULUS

filius consulis 592/162 et 598/156, ipse consulatum adeptus non est.

Valer. Max. 9, 3, 2 'C. Figulum mansuetissimum, pacato iuris iudicio (studio?) celeberrimum' ...

Responsa.

Valer. Max. l. c. 'consulatus ... repulsae dolore accensus ..., cum ad eum postero comitiorum die multi consulendi causa venissent, omnes dimisit praefatus: an vos consulere scitis, consulem facere nescitis?' nulla exstant responsa.

---

15. HOSTILIUS?

Cic. de orat. 1, 57, 245 'et credo in illa militis causa, si tu aut heredem aut militem defendisses, ad Hostilianas te actiones, non ad tuam vim et oratoriam facultatem contulisses ...' fortasse idem Hostilius, quem Priscianus G. L. 2, 270 ('Hostilius in I annali') nominat. cum Ciceronis verba illa iuris consultorum formulas et actiones oratoriae facultati opponere videantur, Hostilius iuris peritus fuisse et actiones composuisse censendus est.

Actionum libri?

A. Pernice 'legem Hostiliam' pr. I. 4, 10 laudatam in memoriam revocat, qua 'permissum est furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent aut rei publicae causa abessent quive in eorum cuius tutela essent'. cf. Theophil. p. 462. formulam ab Hostilio propositam posteri pro lege habuisse videntur.

---

16. INCERTI RESPONSUM

D. 49, 15, 5 Pomponius libro trigensimo septimo ad Quintum Mucium (P. 319). — ... in Atilio Regulo, quem Carthaginienses Romam miserunt, responsum est, non esse eum postliminio reversum.

---

17. LIBRI SPURII

Cicero de or. 2, 224 'tum ex libro tertio, in quo finem scribendi fecit (tot enim, ut audivi Scaevolam dicere, sunt veri Bruti libri)' et q. s. Pomponius § 39 '... Publius Mucius ... decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres'. quae verba viri docti ita mutare volunt, ut 'Manilius septem, Brutus tres' legatur. cf. p. 26. sed res vel ita explicari potest, ut Bruti libris iam Ciceronis aetate spurios additos fuisse statuamus, quos Pomponius vel auctor eius a genuinis non seiunxerit. Krueger p. 56.

IV. SEPTIMI SAECULI IURIS CONSULTORUM SERIES ALTERA

1. Q. Aelius Tubero. — 2. L. Caelius Antipater. — 3. Sex. Pompeius. — 4. P. Rutilius Rufus. — 5. L. Licinius Crassus. — 6 C. (Visellius) Aculeo. — 7. Q. Mucius Scaevola.

1. Q. AELIUS TUBERO

L. Aemilii Pauli nepos et Africani minoris consobrinus, Panaetii discipulus, praetor circiter 631/123, cos. suff. 636/118.

Pomponius § 44 'ab his (P. Mucio, Bruto et Manilio) profecti sunt ... Quintus Tubero ille stoicus, Pansae (l. Panaetii) auditor, qui et ipse consul'. Cicero apud Gell. 1, 22, 7 'nec vero scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit'. Brut. 117 'vita severus et congruens cum ea disciplina quam colebat, paulo etiam durior ... fuit autem constans civis et fortis et in primis C. Graccho molestus'.

Libri de iure publico non huius, sed alterius Q. Tuberonis, qui Ofilium secutus est, videntur esse.

---

2. L. CAELIUS ANTIPATER

Cicero Brut. 102 'scriptor, quem ad modum videtis, fuit, ut temporibus illis luculentus, iuris valde peritus, multorum etiam, ut L. Crassi (614/140 nati) magister.'

Pomponius § 40 'Caelius Antipater, qui historias conscripsit, sed plus eloquentiae quam scientiae iuris operam dedit'. Teuffel-Schwabe § 137, 5.

---

3. SEXTUS POMPEIUS

Cn. Pompeii magni patruus. Cicero Brut. 47, 175 'Sextus frater eius (Cn. Pompei) praestantissimum ingenium contulerat ad summam iuris civilis et ad perfectam geometriae et rerum stoicarum scientiam'. Pomponius § 44 'etiam Sextus Pompeius Gnaei Pompeii patruus fuit eodem tempore', sc. quo P. Rutilius Rufus, A. Verginius et Q. Tubero.

---

4. P. RUTILIUS RUFUS

trib. mil. 620/134, praetor incerti anni, cos. 649/105, legatus[1] Q. Mucii Scaevolae proconsulis Asiae 654/100, 662/92 vel insequenti anno a publicanis de repetundis calumnia postulatus et condemnatus primum Smyrnam, deinde Mytilenen se contulit, ubi post 676/78 mortuus est.

Vellei. 2, 13. 12 'vir non saeculi sui, sed omnis aevi optumus'. Cicero Brut. 113 'doctus vir et graecis litteris eruditus, Panaetii auditor, prope perfectus in stoicis'. de offic. 2, 47 'P. Rutilii adolescentiam ad opinionem et innocentiae et iuris scientiae P. Mucii commendavit domus'.

Praetor patronorum licentiam edicto coercuit (D. 38, 2, 1 § 1 Ulpianus libro quadragensimo secundo ad edictum P. 1149. 'Et quidem primus praetor Rutilius edixit se amplius non daturum patrono quam operarum et societatis

1 *Pomponius § 40 errore ipsum Rutilium* 'Asiae proconsulem' *dicit.*

actionem, videlicet si hoc pepigisset, ut, nisi ei obsequium praestaret libertus, in societatem admitteretur patronus'), bonorum venditionem, ut ferebatur, et novam actionis speciem, Rutilianam postea nominatam, introduxit (Gai. 4, 35 'similiter et bonorum emptor ficto se herede agit, sed interdum et alio modo agere solet. nam ex persona eius cuius bona emerit, sumpta intentione convertit condemnationem in suam personam, id est ut quod illius esset vel illi dari oporteret, eo nomine adversarius huic condemnetur; quae species actionis appellatur Rutiliana, quia a praetore Publio Rutilio, qui et bonorum venditionem introduxisse dicitur, conparata est'), denique Rutilianae constitutionis auctor videtur esse, cuius argumentum nescimus (Vat. fr. § 1 'Qui a muliere sine tutoris auctoritate sciens rem mancipi emit vel falso tutore auctore quem sciit non esse, non videtur bona fide emisse . . . Iulianus propter Rutilianam constitutionem eum, qui pretium mulieri dedisset, . . usucapere et si ante usucapionem offerat mulier pecuniam, desinere eum usucapere'). de alio P. Rutilio cogitat Karlowa II p. 405.

Responsa.

Cic. Brut. 113 'idem magnum munus de iure respondendi sustinebat'. responsa pauca exstant, duo de legatis, unum de vicinorum iure; nam Rutilius, qui in Digestis laudatur, cur non hic P. Rutilius habendus sit, quod Th. Mommsen Symb. Bethm.-Hollweg. obl. p. 92 vult, non video.

1[a]. D. 33, 9, 3 § 9. Ulpianus libro vicesimo secundo ad Sabinum (P. 2641). — **Ligna et carbones ceteraque, per quae penus conficeretur, an penori legato contineantur, quaeritur et Quintus Mucius et Ofilius negaverunt . . . sed Rutilius et ligna et carbones quae non vendendi causa parata sunt, contineri ait.**

1[b]. Gell. 4, 1, 2. — **Ligna quoque et virgas et carbones quibus conficeretur penus, quibusdam ait (sc. Masurius Sabinus) videri esse in penu.**

2. D. 7, 8, 10 § 3. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2576). — Utrum autem unius anni sit habitatio an usque ad vitam, apud veteres quaesitum est: et Rutilius donec vivat, habitationem competere ait.

3. D. 43, 27, 1 § 2. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1611) — Si arbor aedibus alienis impendeat, utrum totam arborem iubeat praetor adimi an vero id solum, quod superexcurrit, quaeritur. et Rutilius ait a stirpe excidendam.

. . . libri?

An de iure libros scripserit, nescimus. Pomponius § 40 mirae est brevitatis. unus Macrobius 1, 16, 34 Rutilii scriptum nominat, in quo de nundinis egerit, quem locum sumptum esse ex eis libris, quos de vita sua scripsit, verisimile non est. cum Sempronius Tuditanus in libris de magistratibus egerit de nundinis, aliquis coniciat, Rutilium similes libros scripsisse.

Responsa sua collegisse atque edidisse non videtur.

Macrob. 1, 16, 34. — Rutilius scribit, Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die intermisso rure ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent, et ut scita atque consulta frequentiore populo referrentur, quae trinundino die proposita a singulis atque universis facile noscebantur, unde etiam mos tractus, ut leges trinundino die promulgarentur.[1]

1 *Quae sequuntur:* 'ea re etiam candidatis usus fuit in comitium nundinis venire et in colle consistere, unde coram possent ab universis videri. sed haec omnia negligentius haberi coepta et post abolita, postquam internundino etiam ob multitudinem plebis frequentes adesse coeperunt' *Rutilii non esse videntur.*

5. L. LICINIUS L. F. C. N. CRASSUS

natus 614/140, 636/118 coloniam Narbonem deduxit, cos. 659/95, censor 662/92, decessit 663/91.

Caelii Antipatris (supra IV, 2) auditor, orator optimus, 'eloquentium iuris peritissimus' (Brut. 145). Pomponius § 40 'etiam Sextus Pompeius fuit eodem tempore et Caelius Antipater . . . etiam Lucius Crassus frater Publii Mucii, qui Mucianus[1] dictus est: hunc Cicero ait iuris consultorum disertissimum'. cf. III, 9 (P. Licinius Crassus Dives Mucianus).

In celebri causa Curiana anno 661/93, ut videtur, patronus adversus Q. Mucium dixit, qua de causa pauca hic proferam.

M. Coponius quidam filium postumum quem sperabat, heredem instituit et, si institutus antequam in suam tutelam veniret, mortuus esset, M.' Curium substituit. cum filius natus non esset, inter Coponii legitimos heredes et M.' Curium de hereditate lis orta ad centumviros delata est, apud quos Q. Mucius (IV, 7) legitimorum heredum, Crassus substituti causam defendit.

Cicero pro Caecina 34, 69 '.. Crassus non ita causam apud centumviros egit, ut contra iuris consultos diceret, sed ut hoc doceret, illud quod Scaevola defendebat, non esse iuris, et in eam rem non solum rationes afferret, sed etiam Q. Mucio, socero suo multisque peritissimis hominibus auctoribus uteretur.' de orat. 1, 39, 180 '.. quum .. ego defenderem, hac eum mente fuisse, qui testamentum fecisset, ut si filius non esset, qui in suam tutelam veniret, M.' Curius esset heres'. de orat. 1, 243 '.. et politissimis facetiis pellexisti, quum et illud nimium acumen illuderes et admirarere ingenium Scaevolae, qui excogitasset, nasci prius oportere quam emori, quumque multa colligeres et ex legibus et ex senatus consultis et ex vita ac sermone communi.' Brut. 53 '.. Crassus ..

1 *Fl.* Munianus.

exorsus est ... hoc voluisse eum, qui testamentum fecisset, hoc sensisse, quoquo modo filius non esset, qui in suam tutelam veniret, sive non natus sive ante mortuus, Curius heres ut esset, ita scribere plerosque et id valere et valuisse semper ... deinde aequum bonum, testamentorum sententias voluntatesque tutatus est, quanta esset in verbis captio, quum in ceteris rebus, tum in testamentis, si negligerentur voluntates, quantum sibi potentiam Scaevola assumeret, si nemo auderet testamentum facere postea nisi de illius sententia.' Top. 10, 44 'ex eodem similitudinis loco etiam exempla sumuntur, ut Crassus in Curiana causa exemplis plurimis usus est, agens de eo, qui testamento sic heredem instituisset, ut si filius natus esset in decem mensibus isque mortuus prius quam in suam tutelam venisset, secundus heres hereditatem obtineret.'

Licinius Crassus eidem Ciceroni de orat. II, 141 sq. si credimus, de iure civili in artem redigendo scribere sibi proposuerat. 'Perpetui iuris et universi generis quaestio non hominum nomina, sed rationem dicendi et argumentorum fontes desiderat, in quo etiam isti nos iuris consulti impediunt a discendoque deterrent ... sed haec Crassus ... aliquando nobis expediet et exponet descripta generatim. est enim ... heri nobis ille hoc ... pollicitus, se ius civile, quod nunc diffusum et dissipatum est, in certa genera coacturum et ad artem facilem redacturum.' cf. orat. I, 190 'si enim aut mihi facere licuerit, quod iam diu cogito, aut alius quispiam aut me impedito occuparit aut mortuo effecerit, ut primum omne ius civile in genera digerat, quae perpauca sunt, deinde eorum generum quasi quaedam membra dispertiat, tum propriam cuiusque vim definitione declaret, perfectam artem iuris civilis habebitis, magis magnum atque uberem quam difficilem et obscuram.'

At Cicero quod ipse sibi proposuit, Crasso videtur attribuisse. Teuffel-Schwabe § 154, 4.

---

6. C. (VISELLIUS) ACULEO

L. Crassi oratoris amicus ius civile ita noverat, ut ei praeter Q. Scaevolam nemo de iis qui peritissimi erant, anteponeretur. Cic. de or. 2, 2 et 1, 191.

---

7. Q. MUCIUS P. F. P. N. SCAEVOLA

natus circa 614/140, tribunus 648/106, aedilis 650/104, praetor pro consule Asiae 654/100, P. Rutilio Rufo legato adsumpto, edictum Asiaticum proposuit, publicanorum fraudes fortiter repressit, ita ut provinciales in eius honorem diem festum statuerent et senatus res eius gestas proconsulibus exempli causa commendaret, pontifex maximus, cos. 659/95, 667/57 in Marii funere vulneratus, 672/82 a factione Mariana ante Vestae imaginem interfectus.[1]

A patre Publio (III, 10) instructus, iuris pontificii et civilis peritissimus, Panaetii amicus (Cicero de orat. 1, 45) et a Cicerone (ibid. 1, 230. 231) aperte inter stoicos relatus in Asiatico edicto doli exceptionem proposuit his verbis: 'extra quam si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteret ex fide bona' (Cicero ad Att. 6, 1, 15), a magistratibus et civibus plurimum consultus multorumque praeceptor, 'quamquam nemini se ad docendum dabat', 'consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat' (Cic. de orat. 144), P. Rutilium Rufum frustra defendit et in causa illa Curiana (cf. p. 46) dixit.

Pontifex maximus de sacris privatis decretum proposuit et iusiurandum concepisse dicitur, quod in adrogando iuraretur. eundem Scaevolam esse viri docti recte sumunt, quem tria genera deorum statuisse Augustinus de

1 *Marquardt Handbuch* IV^2 *non solum edictum anno 637/117 propositum esse ait (p. 536), sed miro errore etiam Q. Mucium, non Rutilium Rufum, condemnatum esse narrat (p. 541, 3).*

civ. dei 4, 27 Varrone auctore narrat, quique generibus duobus, quae poetae et philosophi traderent, aut reiectis aut caute admissis traditum illud a principibus civitatis genus tenebat atque defendebat.

Cicero Lael. 1, 1 '... pontificem Scaevolam unum nostrae civitatis et ingenio et iustitia praestantissimum audeo dicere.' L. Crassus apud Ciceronem de orat. 1, 180 de Q. Mucio haec ait: 'homo omnium et disciplina iuris civilis eruditissimus et ingenio prudentiaque acutissimus ... atque, ut ego soleo dicere, iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium iuris peritissimus.'

Quae Cicero de Mucii oratione pro Coponio contra Crassum habita (cf. supra p. 46) refert, haec fere sunt. Brut. 52 '... qui ex populo, cum Q. Scaevolam pro M. Coponio dicentem audiret, .. quidquam politius aut elegantius aut omnino melius aut exspectaret aut posse fieri putaret? cum is hoc probare vellet, M'. Curium, cum ita heres institutus esset, si pupillus ante mortuus esset quam in suam tutelam venisset, pupillo non nato heredem esse non posse, quid ille non dixit de testamentorum iure, de antiquis formulis, quid, quemadmodum scribi oportuisset, si etiam filio non nato heres institueretur, quam captiosum esse populo quod scriptum esset, negligi et opinione quaeri voluntates et interpretatione d sertorum scripta simplicium hominum pervertere, quam ille multa de auctoritate patris sui, qui semper ius illud esse defenderat, quam omnino multa de conservando iure civili, quae quidem omnia cum perite et scienter, tum ita breviter et presse et satis ornate et pereleganter diceret ...?' de orat. 1, 39 '... cum Q. Scaevola ... ex scripto testamentorum iura defenderet negaretque, nisi postumus et natus et antequam in suam tutelam venisset, mortuus esset, heredem eum esse posse, qui esset secundum postumum et natum et mortuum heres institutus.' ib. 1, 57 '... ille Mucius paterni iuris defensor et quasi patrimonii propugnator sui, quid in illa causa ... attulit, quod de iure civili depromptum videretur? quam

legem recitavit? ... nempe eius omnis oratio versata est in eo, ut scriptum plurimum valere oportere defenderet.'

'Q. Mucii auditores fuerunt complures' (Pomponius § 42), inter quos et Cicero (Brut. 306), inter iurisconsultos 'Aquilius Gallus, Balbus Lucilius, Sextus Papirius, Gaius (forte Titus) Juventius' (Pomponius l. c.), fortasse et Volcacius, — nam quae apud Pomponium § 45 leguntur: 'Aulus Cascellius Quintus Mucius Volusii auditor', Mommsen ex iis quae Plinius h. n. 8, 40, 144 refert: 'Volcacium qui Cascellium ius civile docuit' sic scribenda esse conicit: 'Quinti Muci auditoris Volcacii auditor', — nequaquam autem Servius Sulpicius, quem Pomponius § 43 Quintum Mucium de re amici consuluisse narrat. Krueger p. 61.

Q. Mucium non solum responsa dedisse, sed etiam de iure scripsisse traditum est. de iuris civilis libris constat; at ὅρων liber, quem Iustiniani Digesta et index Florentinus aeque Q. Mucio attribuunt, dubia movit. primum titulus graecus virum quendam doctum (Pauly Realencycl. V, 187) ita offendit, ut librum Cervidio Scaevolae attribuere malit. at Q. Mucium in nulla alia re graecissasse vix dici potest. definitionum vero usus inprimis apud stoicos reperitur et Q. Mucius libro suo ὅρων nomen dedisse, ut amico gratum faceret, potest putari. certe eiusdem fere temporis scriptores L. Accius *Διδασκαλικῶν* et *Πραγματικῶν* libros, Soranus *Ἐποπτίδων* libros, denique Laevius *Ἐρωτοπαιγνίων* libros scripserunt (Teuffel-Schwabe §§ 134, 7, 8; 147, 1; 150, 4). *Περὶ ὅρων* autem scripserunt Sphaerus stoicus (Diog. Laert. VIII, 178) et Chrysippus (ib. 199). alios viros doctos similitudo quorundam iuris civilis et ὅρων libri fragmentorum offendit, ita ut definitiones Mucio attributas post eius mortem ex iuris civilis libris excerptas esse conicerent. Lenel I col. 763, 4. sed cum utrumque opus totum ius civile complecteretur, easdem res iisdem vel similibus verbis in utroque a Mucio descriptas esse mirum non est.

Q. Mucium etiam iuris pontificii libros scripsisse, quod Lenel ad Q. Mucium 51 putat, neque traditum est neque ex iis, quae Mucius de iure sacro dixisse vel scripsisse fertur, concludi potest: etenim iuris sacri instituta cum iure civili ita coniuncta erant, ut Mucium ea in iuris civilis libris explicasse verisimile sit.

Quod ad res, quae Mucius tractat, attinet, operae pretium est monere, nusquam mercaturae et mercatorum mentionem fieri, sed principem locum rem rusticam et matrimonium obtinere. itaque de agro colendo et de opere quod agri colendi causa aratro factum est, de fossis agrorum siccandorum causa factis, de itinere aquae, de servitutibus praediorum rusticorum, de familia quae opus facit vel non facit, de putatore arboris, de agasone, de bove, de equa, de ariete, de fundo legato, de lignis legatis, quae in fundo sunt, de emptione venditione fundi vel arborum similibusque de rebus ubique sermo est. aeque de matrimonio et de legatis uxori relictis, denique de pueris et puellis vel de pupillo et pupilla et de tutela agitur. de utraque re sententiam habemus viri ingenium ostendens. sic enim 'debere quem meliorem agrum suum facere' monet, 'ne vicini deteriorem faciat' (D. 39, 3, 1, 4), et posse mulierem, cui domus usus legatus sit, 'et cum marito habitare, ne ei matrimonio carendum foret, cum uti velit domo' (D. 7, 8, 4, 1). ceteras res, inprimis negotiationem et mercaturam, quasi civibus indignas videtur reliquisse.

Iam scriptorum, quibus Mucii sententiae verbaque debentur, libri recensendi sunt.

Quatuor illos Mucii auditores libros de iure scripsisse Pomponius § 42 tradit; ait enim: 'Mucii auditores fuerunt . . . ex quibus Gallum maximae auctoritatis apud populum fuisse Servius dicit, omnes tamen hi a Servio Sulpicio nominantur: alioquin per se eorum scripta non talia extant, ut ea omnes appetant, denique nec versantur omnino scripta eorum inter manus hominum, sed Servius ⟨iis⟩ libros suos complevit, pro cuius scriptura ipsorum quoque memoria habetur.' mira haec narratio, quam

Tribonianus ex duobus eiusdem originis libris compilasse videtur (nam quae verbis 'alioquin ... appetant' dicuntur, aliis verbis 'nec versantur ... hominum' repetuntur), aperte docet, auditorum illorum libros eo oblitteratos fuisse, quod Servius utilissima quaeque ex eis in suos transtulerat.

Cum auditores Mucii sententias libris suis proposuisse conicere liceat, Servii libris, quorum 'prope centum et octaginta reliquit', ut fonte primario uti possemus. at vel eorum librorum pauca tantum fragmenta servata sunt et in his Galli quidem nomen nonnunquam, nunquam autem Balbi Lucilii aut Sext. Papirii aut Gaii (Titi?) Iuventii nomen reperitur. neque in posterorum libris horum trium nomen usquam invenitur. at fortasse, quae apud Varronem et Festum Muciana legimus, ex auditorum libris desumpta sunt.

Primus itaque fons Ciceronis scripta sunt, scilicet de legibus libri (coepti 702/51, continuati 708/46), Topica ad T. Trebatium (scripta 710/44) et de officiis libri ad Marcum filium (eodem tempore compositi). accedunt Varronis libri de lingua Latina (711/43 editi), Plinii historiae naturalis et A. Gellii noctium Atticarum libri, denique Festi epitome.

Deinceps iuris consulti ii recensendi sunt, qui Mucium vel laudant vel de eo scripserunt. in primis Servius ille Sulpicius Rufus, a Cicerone fortasse ultra meritum laudatus reprehensa Scaevolae capita scripsit, quorum fragmenta pauca apud Gellium 4, 1, 17. 20 et in Iustiniani Digestis servata sunt. alium Ciceronis amicum, Trebatium Testam, in nonnullis Iustiniani Digestorum locis Mucium aeque impugnare videmus. ex altera parte non modo C. Aquilius Gallus, Mucii auditor, sed et Aulus Ofilius, Caesaris amicus, Q. Mucium secutus est.

Antistium Labeonem et Masurium Sabinum Mucii sententiarum maximam rationem habuisse videmus; contra in Cassii Longini et in Proculi fragmentis Mucii nomen nusquam legitur.

Titius Aristo, Plinii amicus, Mucianae cautionis utilitatem definivit, et Iuventius Celsus (cos. II a. 129) in Digestorum libris Mucium nonnunquam laudat. Laelius vero Felix et S. Pomponius 'ad Q. Mucium' libros scripserunt, quam multos ille, nescimus, Pomponius non minus quam triginta novem. ex illius tantum libro primo Gellius 15, 27 pauca profert, ex Pomponii libris in Iustiniani Digesta plura fragmenta recepta sunt (P. 219—325).

Secutus est Gaius, qui libros ex Q. Mucio se fecisse scribit Inst. I, 188 ('in his libris quos ex Q. Mucio fecimus'). quorum librorum praeterea ne minimum quidem vestigium servatum videtur; nam quod Boecking Gai. ed. V p. XI coniecit, Pomponium ea quae vicesimo secundo libro ad Q. Mucium D. 45, 3, 39 'Gaium nostrum' dixisse tradat, ex Gai illis libris desumpsisse probari nequit. Lenel, qui ubi de Gaio agit (P. 482), coniecturam non reicit, ubi de Pomponio agit (P. 285), verba illa a Triboniano adscripta esse putat.

Salvius Iulianus, qui Hadriani iussu edictum perpetuum composuit, in Digestorum librorum fragmentis Q. Mucium bis tantum laudat. Venuleius Saturninus in stipulationum libris sub Antonino Pio et M. Aurelio scriptis (Krueger p. 180) Mucium et laudat et sequitur.

Cum Cervidius Scaevola, imperatoris Marci consiliarius, qui et Servium et Aquilium nominat, Q. Mucium nusquam laudet, Aemilius Papinianus eumdem non modo in libris Quaestionum Severo imperatore scriptis et in Responsorum Severo et Caracalla imperatoribus compositis, sed etiam in Definitionum libris allegat. in Domitii quoque Ulpiani et in Iulii Pauli libris Mucius saepius laudatur neque solum in iis quos ad Sabinum, sed etiam quos ad edictum scripserunt, cum in talibus libris ante Severi tempora scriptis Mucii nomen nusquam inveniatur. notandum denique est, Paulum in Responsorum libris Alexandri Severi tempore editis Q. Mucii nomine eodem modo uti, quo iuris consulti Seii et Titii nominibus uti solent: nam D. 33, 4, 11 ait 'Seia cum nuberet

Lucio Titio, dedit dotis nomine centum et adhibuit Quintum Mucium, qui dotem adstipulatus est.'

Modestinus ad Q. Mucium libros scripsisse ideo videbatur, quod fragmentorum quorundam in Digesta receptorum inscriptio corrupta est: res enim sic se habet. D. 41, 1, 52 legitur 'Modestinus libro septimo regularum'; sequuntur duo fragmenta (D. 41, 1, 43 et 54) inscripta 'Idem libro quarto decimo ad Quintum Mucium' et 'Idem libro trigensimo primo ad Quintum Mucium'. errorem scriptoris hodie omnes agnoscunt: priore loco 'Idem' perperam pro Pomponii nomine scriptum est. cf. Krueger p. 227, 20. in Modestini librorum fragmentis Q. Mucii nusquam nomen reperitur; at Scaevola semel (D. 49, 15, 4) laudatur, isque insolita ratione non Cervidius, sed Quintus Mucius intelligendus est. desumptum est fragmentum e Regularum libro tertio post Caracallae mortem scripto.

Quarto saeculo, cum antiqua res publica interiret, Mamertinus quidem idem, qui Manili memoriam revocavit, etiam Mucium Scaevola laudat grat. act. Iuliano 20 ('iuris civilis scientiam, quae Manilios Scaevolas Servios in amplissimum gradum dignitatis evexit'), sed a. 396 Arcadius et Honorius (C. Th. 4, 4, 3) Cervidium potius illum Scaevolam 'prudentissimum iuris consultum' dicunt, et eodem fere tempore Augustinus de civ. dei 4, 27 Mucium Scaevolam non iuris consultum, sed 'doctissimum pontificem' appellat, qui de deorum generibus disputaverit.

Tribonianus cum Digesta componeret, num Quinti Mucii iuris civilis et Laelii Felicis Gaique ad Q. Mucium vel ex Q. Mucio factos libros habuerit, nescimus: certe nullo eorum usus est. attamen Q. Mucii libro ὅρων Tribonianus usus videatur esse, cum et nonnulla fragmenta eius in Digestis legamus et index Florentinus libri titulum exhibeat. nihilo minus quaeri potest, utrum Tribonianus re vera hunc Q. Mucii librum habuerit, quod Krueger p. 327 contendit, an eum se habere simulaverit, cum ex posterorum libris Mucianas sententias desumeret, quod alii viri docti putant. res certe diiudicari nequit.

Triboniano primarius Mucianarum sententiarum fons sine dubio Sexti Pomponii libri ad Q. Mucium erant. Iustinianus, cum Digesta sua componere iussisset, id quoque doceri voluit, 'legum tramitem ab urbe Roma condita et Romuleis temporibus descendere'. itaque et Q. Mucii memoriam suo more renovare voluit. hoc Tribonianus ita videtur fecisse, ut Pomponii ad Q. Mucium dicta quaedam ita mutaret, quasi Pomponius Q. Mucium ipsum loquentem introduxisset. ceterum et Mucii nomen in veterum libris saepe delevit et Pomponii praecipue ad Mucium dicta exornavit.

Itque quae Cicero Varro Gellius de Mucio tradunt, fide digniora sunt quam Digestorum fragmenta, quibus non nisi cautione adhibita utaris. quod ad numerum fragmentorum a iuris consultis singulis in Digestis servatorum, primum locum Pomponii ad Q. Mucium libri obtinent, qui non minus quam septemdecim fragmenta afferunt, secundum locum Ulpiani libri, qui sedecim fragmenta habent, quorum undecim libris ad Sabinum, quinque ad edictum libris debentur, tertium Celsus et Paulus, cum illius Digestorum et huius ad edictum libri ter fragmenta contineant. libri, qui Mucianas sententias proferunt, secundum argumenta denique dispositi hunc ordinem habent: primum locum obtinent libri ad Q. Mucium, secundum ad Sabinum libri, tertium ad edictum, quartum Digestorum libri, ultimum Quaestionum, Responsorum, Definitionum, Regularum libri. maiorem totius numeri partem ad Mucium et ad Sabinum scriptos libros continere apparet.

Iuris consulti, quorum sententiae in Digestis saepius quidem adlegantur, sed qui nusquam Mucium laudant, sunt fere Alfenus Varus, Cassius, Proculus, Pedius, Pegasus, Octavenus, Plautius, Florentinus, Marcellus, Cervidius Scaevola, Callistratus. quod Mucii nomen in horum libris tacetur, partim eo explicatur, quod Tribonianus in transscribendis fragmentis Mucii nomen delere iussit, partim eo, quod in libris ad edictum ante Severi tempora

scriptis Mucius nunquam laudetur: neque in Servii neque in Ofilii neque in Labeonis neque in Pomponii neque in Gaii libris invenitur, excepta 'cautione Muciana', quam Gaius etiam in libris ad edictum provinciale nominat. in libris ad edictum scriptis Q. Mucium primi, quantum cognosci potest, Paulus et Ulpianus laudant.

Quae de Q. Mucio traduntur, ex iis ampliari possunt, quae posteriores iuris consulti de 'veteribus' tradunt. quaenam veterum sententiae Mucio adscribi vel debeant vel possint, e fragmentis certis conici licet; itaque haec res in singulis fragmentis explorandis consideranda est.

I. Responsa.

Q. Mucium et a magistratibus et a privatis plurimum de iure publico et privato consultum fuisse traditum est. Cicero de orat. 1, 45, 200 'est enim sine dubio domus iuris consulti totius oraculum civitatis. testis est huiusce Q. Mucii ianua et vestibulum, quod in eius infirmissima valetudine affectaque iam aetate maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebratur.' quibusdam de rebus eum saepius et semper idem respondisse legimus. Gell. 3, 2, 12 'Q. Mucium iure consultum dicere solitum' et q. s. Pomponius D. 50, 7, 18 'Q. Mucius . . solitus est respondere'. cf. 'dicebat' (Cic. de off. 3, 17, 30. Varro de l. l. 5, 15, 83. Paul. D. 40, 13, 23 pr.), 'aiebat' (Varro de l. l. 6, 4, 30), 'affirmabat' (Macrob. sat. 1, 16, 10), 'placebat' (Celsus D. 18, 1, 59). in nonnullis rebus novam interpretationem vel cautionem admisit. Ulp. D. 7, 8, 4. 1; 35, 1, 7. pr.

Q. Mucii responsa pauca tantum certa traduntur cum enim libros scripserit, ea quae Mucium dixisse, negasse, putasse, existimasse quaeque ei placuisse dicuntur, ex libris hausta esse possunt. inter certa autem responsa collocandum puto D. 19, 1, 40, cum is qui 'verebatur' non emptor consultans, sed Mucius sit ('verebatur,

ne arbores eius non viderentur factae'. cf. infra p. 68). de nonnullis responsis, quae in Pomponii libris ad Mucium referuntur, dubium est, utrum Mucii an alius iuris consulti sint. sunt autem haec: D. 9, 2, 39 (Pomp. 274); D. 40, 7, 29 (Pomp. 275) et D. 29, 2, 70 (Pomp. 315).

Hoc loco ea tantum responsa collocavi, quae in iuris civilis libros recepta fuisse non videntur. adiunxi etymologica, quae Mucio attribuuntur, praeter ea quae iuris civilis librorum videntur esse.

1^{a}. Varro de l. l. 6, 4, § 30. — Praetor qui tum (sc. diebus nefastis tria verba) fatus est, si imprudens fecit, piaculari hostia facta piatur, si prudens dixit, Q. Mucius aiebat[1], eum expiari ut impium non posse.

1^{b}. Macrob. sat. 1, 16, 10. — praeter multam vero affirmabatur eum, qui talibus diebus (sc. feriis) imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere, prudentem expiari non posse Scaevola pontifex affirmabat.

2. Macrob. sat. 1, 16, § 11. — Scaevola .. consultus, quid feriis agi liceret, respondit: quod praetermissum noceret. [si bos in specum decidisset eumque paterfamilias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse, nec ille qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti vindicavit ruina.]

Responsum cum sententia illa quam apud Matthaeum 12, 11 legimus, prorsus consentire apparet. sed quae uncis inclusi, non Mucii, sed interpretis videntur esse.

3. Fest. v. petilam p. 205. — Petilam suram siccam et substrictam vulgo interpretantur. Scaevola ait, ungulam albam equi ita dici.

4. Fest. v. nefrendes p. 162. — ⟨Nefrendes dictos asserit Q. Mucius⟩ Scaevola ⟨arietes⟩, quod dentibus frendere non possint.

5. Varro de l. l. 5, 15, 83. — Pontifices, ut Q. Scaevola pontifex maximus dicebat, a posse et facere.

1 aiebat *L. Spengel*, abigebat *cod. F.*, ambigebat *Laetus*

II. Decreta pontificalia.

Verba, quae Ciceronis, non Mucii esse apparet, typis minoribus dedi. de re v. Kuebler Z. d. Savigny-St. XI, 37; Burckhard ibid. IX, 206. quod de iure iurando a Q. Mucio concepto dicitur, adieci, quamvis, num huius loci sit, dubitari possit.

1. Cic. de leg. 2, 19, 49. 20. — Quaeruntur .. qui adstringantur sacris. heredum causa iustissima est; nulla est enim persona, quae ad vicem eius qui e vita migravit, propius accedat. deinde qui morte testamentove eius tantundem capiat, quantum omnes heredes. id quoque ordine; est enim ad id quod propositum est, accommodatum. tertio loco, si nemo sit heres, is qui de bonis quae eius fuerint quom moritur, usu ceperit plurimum possidendo. quarto, si nemo sit, qui ullam rem ceperit, de creditoribus eius qui plurimum servet. extrema illa persona est, ut si qui ei qui mortuus sit, pecuniam debuerit neminique eam solverit, proinde habeatur quasi eam pecuniam ceperit. haec nos a Scaevola didicimus, non ita descripta ab antiquis.

2. Gell. 5, 19, 5. 6. — . . . adrogationes non temere nec inexplorate committuntur; nam comitia arbitris pontificibus praebentur quae curiata appellantur, aetasque eius qui adrogare vult, an liberis gignundis idonea sit, bonaque eius qui adrogatur, ne insidiose adpetita sint, consideratur iusque iurandum a Q. Mucio pontifice maximo conceptum dicitur, quod in adrogando iuraretur.

III. Iuris civilis libri XVIII.

Quod Pomponius § 41 Mucium primum ius civile generatim constituisse libris tradit, confirmatur et explicatur a Gaio 1, 188 et Ulpiano D. 41, 2, 3, 23, cum ille Mucium quinque tutelarum, hic eundem possessionum nonnulla genera constituisse referat. nimirum qui ante Mucium de iure civili scripserant, legum decreta et rebus

iudicatis et responsis ita explicaverant, ut legum verba sequerentur. ita factum erat, ut ius diffusum et dissipatum esset. Mucius primus non a legum praeceptis, sed a rebus ipsis exorsus, quae legibus vel maiorum moribus ordinatae erant, certis rationibus eas digessit coniunxit separavit, ita quidem ut ex stoicorum more rerum definitiones proponeret. itaque perfecit quod Cicero de orat. 1, 190 Crassum facit dicentem eius esse, qui ius civile in artem redigere sibi proposuerit, 'ut primum omne ius civile in genera digerat, quae perpauca sunt, deinde eorum generum quasi quaedam membra dispertiat, tum propriam cuiusque vim definitione declaret'. v. supra p. 47. quae disputatio cum multo post Q. Mucii mortem a. 699/55 scripta sit, Mucii opus rei non satisfecisse Cicero videtur putasse, quamquam disputationem ita exornavit, quasi iam a. 663/91 habita sit, quo tempore Q. Mucius opus suum fortasse nondum ediderat. Ciceroni, qui ratione illa, quam l. c. explicat 'perfectam artem iuris civilis' constitutum iri persuasum habebat, Mucii opus ideo non satisfecit, quod ipse orator, non iuris consultus erat.

Quam late apud posteros iuris consultos et generum et definitionum usus patuerit, eorum libri ostendunt, item, quantae de rerum generibus controversiae extiterint, denique quam lubrica in iure omnis sit definitio. haec itaque iuris consultorum disputatio a Mucio originem duxit, ita ut, quod antea notitia tantum iuris fuerat, iam iuris disciplina fieri inciperet. nonnulla genera a Mucio constituta posteris non placuisse mirum non est.

Q. Mucium ius civile in libros decem et octo redegisse Pomponius § 41 tradit. sed paucorum tantum librorum argumentum traditum est, ut plane incertum sit quomodo Mucius res disposuerit. libro secundo de legatis, libro quarto decimo de societatibus, libro denique sexto decimo de furtis actum fuisse cum Gellius, tum Ulpianus et Paulus in Iustiniani Digestis referunt. porro adhibendi sunt Pomponii libri triginta novem ad Q. Mucium scripti vel potius eorum fragmenta in eisdem Digestis servata;

nam Pomponium eundem atque Mucium ordinem secutum esse, id quod vel ex nomine operis quivis coniciat, aliis quoque argumentis confirmatur.

Quomodo Pomponius res videatur disposuisse, ex tabula quam subieci apparet.

I. De hereditatibus et de legatis.

libri I—III de testamentis (P. 219—227).
libri III—IX de legatis (P. 228—262).
liber X de legitima hereditate (P. 263. 264).
liber XI familiae erciscundae? (P. 265).
liber XII de libertate legata (P. 266).
liber XIII? (P. 267).
liber XIV communi dividundo? (P. 268. 269).

II. De iure dotium, de tutelis et de alieni iuris personis.

liber XV de dotis dictione et promissione? (P. 271).[1]
liber XVI de tutelis (P. 272. 273).
liber XVII? de noxalibus actionibus? (P. 274).[2]
liber XVIII de statu liberis (P. 275).
liber XIX?
liber XX de patria et dominica potestate (P. 276. 277).
liber XXI. XXII de libertis (procuratoribus?) (P. 278—282. 284).

III. De dominio et adquirendo rerum dominio.

liber XXII de fructibus? (P. 283. 285).
liber XXIII—XXVI de possessionibus et usucapionibus (P. 286—296).

1 Lenel 'de stipulationibus?' at Pomponium hoc loco non de stipulationibus in universum, sed de quadam stipulationis specie, de dotis scilicet dictione et promissione scripsisse verisimile est.

2 Lenel 'de lege Aquilia?' at Pomponium potius de noxalibus actionibus (Gai. 4, 75—79) hoc loco scripsisse rerum conexus indicat.

liber XXVII de donatione? (P. 297).[1]
libri XXVIII—XXX? (P. 298. 299).

IV. De obligationibus.

libri XXVIII—XXX? (P. 298. 299).
liber XXXI de emptione venditione hereditatis, fundi, servi (P. 300—309).
liber XXXII de aqua vendita? (P. 309—312).[2]
liber XXXIII de contractibus servorum filiorumque familias (P. 313. 314).
liber XXXIV?
liber XXXV. XXXVI de consortio et societate? (P. 315. 316).[3]

V. De capitis deminutione et ignominia?

liber XXXVII de civibus deditis iisque, quibus aqua et igni interdictum est et de captivis (P. 317—320).
liber XXXVIII de furtis (P. 321—322).
liber XXXIX de publicatione praediorum bonorumque vel de iure populi? (P. 323. 324).[4]

Itaque Pomponium de legatis, de societatibus et de furtis eodem ordine atque Mucium scripsisse vidimus.

1 Lenel de huius libri argumento ne coniecturam quidem profert. at Pomponius, cum in libris ad Sabinum post possessionem et usucapionem de donationibus egerit (Lenel Sabinussystem p. 87), idem in libris ad Mucium fecisse videtur.

2 Lenel 'de aqua? 'Pomponius, qui in familiae erciscundae et communi dividundo arbitriis de servitutibus ab arbitro impositis scripsisse putandus est, hoc loco de servitute vendita videtur scripsisse.

3 Lenel utrique libro 'de societate?' inscribit; at Pomponius libro XXXV potius de fratrum, qui paternam hereditatem non diviserunt, consortio scripsisse videtur.

4 Etiam Lenel hoc loco 'de iure praediatorio' Pomponium scripsisse conicit, ego eum etiam de bonorum publicatione scripsisse puto. cur de furtis hoc loco dixerit, haec causa fuisse potest, quod poena 'manifesti furti ex lege XII tabularum capitalis erat'. Gai III, 189.

cum Pomponii opus duplicem fere numerum librorum amplexum sit, aliquis coniciat, ea quae Mucius singulis libris exposuit, Pomponium binis fere explicasse. quamquam res quae ab utroque scriptore explicatae sunt, intervallo temporis non omnes pari modo increvisse, sed nonnullas interiisse, alias novas exstitisse certum est: ut exempli gratia totum gentilicium ius, quod Mucium explicasse constat, Pomponii tempore iam in desuetudinem abiisse scimus (Gai. III, 17); item duo illa testamentorum genera, quae initio fuerant, in desuetudinem abierunt et tertium genus quod accessit, Pomponii tempore aliter ordinabatur atque olim solebat. Gai. II, 101—103. Pomponium autem a rebus a Mucio tractatis exorsum nonnunquam longius ad aliena aberrasse, quod Lenel Sabinussystem p. 11 sq. pro certo statuit, non mihi persuasit: rerum copia Pomponii aetate maior certe erat; sed quod Lenel ita statuit, non alia ratione videtur statuisse, quam quod rerum in Pomponii fragmentis tractatarum coniunctio nondum cognita valde mira videtur.

Iam quomodo Pomponii libris singulis Muciani respondisse mihi videantur proponam; quam rem totam fere esse coniecturalem vix est quod moneam.

Pomponii ad Q. Mucium libri XXXIX.	Q. Mucii iuris civilis libri XVIII.
I. De hereditatibus et de legatis.	
libri I—III de testamentis.	liber I de testamentis (et de legatis?).
libri III—IX de legatis.	liber II et forte etiam liber III de legatis (P. 1—5. 13—22).
liber X de legitima hereditate.	liber IV (?) de legitima hereditate (P. 53. 55).
liber XI familiae erciscundae?	liber IV? vel V(?) familiae erciscundae.

liber XII de libertate data.	
liber XIII?	
liber XIV communi dividundo?	liber V(?) vel VI(?) communi dividundo (P. 51).

II. De iure dotium, de tutelis et de alieni iuris personis.

liber XV de dotis dictione et promissione?	liber VII(?) de rei uxoriae actione?
liber XVI de tutelis.	liber VIII(?) de tutelis (P. 23. 24.)
liber XVII(?) de noxalibus actionibus?	liber IX(?) de noxalibus actionibus? (P. 25—27).
liber XVIII de statu liberis.	liber X(?) de statu liberis (P. 28. 29).
liber XIX?	
liber XX de patria et dominica potestate.	
libri XXI. XXII de libertis (procuratoribus?).	

III. De dominio et adquirendo rerum dominio.

liber XXII de fructibus?	liber XI(?) de vicinorum iure (P. 41)?
libri XXIII—XXVI de possessionibus et usucapionibus.	liber XI(?) de possessionibus et usucapionibus (P. 31—34).
liber XXVII de donatione?	liber XII(?) de iis quae mancipio dantur (P. 56)?
libri XXVIII—XXX?	

IV. De obligationibus.

libri XXVIII—XXX?	
liber XXXI de emptione venditione hereditatis, fundi, servi.	liber XIII(?) de emptione venditione fundi (P. 35—39) et de aqua vendita (P. 40)?
liber XXXII de aqua vendita?	

liber XXXIII de contractibus servorum filiorumque familias.	
liber XXXIV?	
libri XXXV. XXXVI de consortio et societate?	liber XIV de consortio et societate (P. 7. 8).

V vel IV. De capitis deminutione et ignominia?

liber XXXVII de civibus deditis iisque, quibus aqua et igni interdictum est et de captivis.	liber XV de civibus deditis et de postliminio (P. 42. 43).
liber XXXVIII de furtis.	liber XVI de furto (P. 9—11).
	liber XVII de repetitionibus?
liber XXXIX de publicatione praediorum bonorumque vel de iure populi?	liber XVIII de publicatione praediorum bonorumque vel de iure populi?

Mucium de hereditate primo loco egisse certum est. cuius rei causa erat, quod patrimonium vitae privatae quasi fundamentum habebatur. praetores in edicto componendo in hac re Mucium secuti sunt. quae Rudorff Z. f. Rg. III, 62 docuit, cum et ad nostram rem illustrandam faciant, repetenda duxi. „Die Klassifikation sämtlicher Ediktstheile, welche Rechtsverfolgungsmittel zusammenstellen, gründet sich . . . auf die Wichtigkeit und den Geldwerth der materiellen Gegenstände dergestalt, dass die Erbschaft als Vermögensganzes dem Grundstück, das Grundstück als sicherstes und unbewegliches Vermögensstück dem Sklaven, der Sklav als vernunftbegabtes Wesen dem Thier und dieses als Organismus der leblosen Sache voraufgeht. Das Edikt ist hier nationalökonomischen . . . Gesichtspunkten gefolgt. Diese Auffassung beruht auf nüchternen, aber uralten und einleuchtenden Anschauungen des römischen Rechts. Im öffentlichen Recht liegen sie dem Census zu Grunde . . .“

Qui ante Q. Mucium de iure civili editi sunt libri a Sexto Aelio, Catone, M. Junio Bruto, P. Mucio, eos cum Mucii libris comparare non licet, cum paene toti perierint. Cato quidem libro quinto decimo de stipulationibus videtur scripsisse, quod, si hunc librum in postremis fuisse coniciamus, cum Muciana dispositione congruat. Q. Mucium libris illis usum fuisse pro certo licet statuere, praesertim cum omnium illorum scriptorum nomina in fragmentis Mucii inveniantur.

Q. Mucium id ius quo illo tempore cives utebantur explicasse consentaneum est. itaque eum 'referre' quid iuris sit, non raro legimus (Pomponius D. 47, 22, 77, 1 et Ulpianus D. 28, 5, 35, 3; 32, 55 pr.). accessit ius controversum ita quidem, ut Mucius patris et Bruti et Manilii de eo sententias disputationesque proferret. huc pertinent, quae Gellius 17, 7, 1—3 et Modestinus D. 49, 15, 5 narrant. tertio loco sua ipsius responsa sententiasque addidit; Pomponius enim D. 34, 2, 10 et Ulpianus D. 7, 8, 4, 1; 9, 1, 1, 1 Q. Mucium aliquid verius et honestius esse dixisse vel primum aliquid admisisse vel distinxisse scribunt. etiam de controverso illo iure Mucium suas sententias protulisse inde licet concludere, quod Ulpianus D. 18, 2, 13 ait, Mucium idem atque Brutum existimare, et quod Modestinus D. 49, 15, 4 de quadam re inter Brutum et Scaevolam varie tractatum esse tradit. cf. Krueger l. c.

Qui Mucii sententias ex Pomponii librorum fragmentis eruere tentat, considerare debet, Pomponii verba nobis non integra tradi, sed a Triboniano saepe esse mutata.

Pomponius Mucium varia ratione laudavisse videtur: nam aut Mucii sententiam tantum narrat (exemplum praebet D. 50, 7, 18 et, ut videtur D. 34, 2, 34 § 2) aut Mucii verba oratione obliqua refert (exempla praebent D. 34, 2, 34 § 1; 8, 2, 7; 8, 3, 15) aut denique Mucii ipsius verba videtur transcribere: exempla sunt D. 34, 2, 10 pr.; 24, 1, 51; 33, 1, 7; 34, 3, 34 pr.; 9, 2, 39; 40, 7, 29 § 1; 19, 1, 40.

Tertii generis fragmentis Mucii nomen praepositum est, quod Pomponii nomen saepe excipit, ita ut talia legamus: 'Quintus Mucius ait' vel 'scribit: ... Pomponius: ...' Pomponii vero nomen in his locis non ab ipso, sed ab alio, sive glossatore sive Triboniano additum esse manifestum est. qui eiusdem Pomponii ad Sabinum fragmenta inspiciet, ipsum Sabinum loquentem nusquam inveniet, sed Pomponium tantum Sabini sententias referentem. exempla sunt D. 35, 1, 6 (P. 423) 'Sabinus quoque et Cassius quasi impossibiles eas condiciones ... esse ...', 25, 2, 8 (P. 633) 'Sabinus ait, si mulier res quas amoverit non reddat, aestimari debere' et q. s.

Pomponium Mucii verba ipsa integra exscripsisse veri dissimile est. contra Tribonianum, qui solidae doctrinae gloriam appetebat, a Pomponio relata Mucii verba ita mutasse puto, quasi ipsius Mucii libris usus sit, quod a compilatorum ratione non alienum esse periti non negabunt. Krueger certe non dissentit, nam p. 174 n. 9 Mucii verba in illis fragmentis tradita esse negat („doch dürften in diesen Stellen kaum die Worte des Q. Mucius wiedergegeben sein"). quomodo Pomponius scripserit, D. 24, 1, 51 docet: Mucii sententia relata Pomponius protinus qua ratione Mucium ductum fuisse existimat adicit: 'evitandi autem turpis quaestus gratia circa uxorem hoc videtur Quintus Mucius probasse'.

Ubi Pomponius in libris ad Sabinum vel ad Mucium oratione obliqua utitur, alterius quidem iuris consulti sententiam referri apertum est, sed utrum is Sabinus vel Mucius sit an alius, incertum remanet. Lenel idem iudicat in Pomponii ad Sabinum libris recensendis (cf. P. 552, 555), in Mucii autem fragmentis colligendis minus caute agit; nam duo fragmenta (5^b et 22) non alia ratione Mucio attribuit, quam quod Pomponius oratione obliqua utatur. ceterum in Pomponii ipsius libris recensendis hanc rationem non valere ipse perspexit: nam ad fragmentum 252 (§ 1) de Mucio nihil adnotat, quamvis illo loco scripserit: 'v. Pomp. h. l. cum 'nota'.

Quod de Pomponii oratione obliqua dixi, idem tenendum est in Ulpiano. Lenel in Mucii fragmentis colligendis etiam ex Ulpiani libris ad Sabinum fragmentum 5[b] ideo recepit, 'quod oratione obliqua Ulpianus utitur', in Ulpiani fragmentis recensendis ad idem fragmentum 2606 (§§ 9. 10) de Mucio tacet.

Observationes verbo 'autem' adnexae interdum certe significare possunt, ea quae praecedunt Mucii esse; sed vel in hac re cautione opus est. Lenel D. 28, 3, 16 pr. Mucio hac ex causa attribuit (12), quod Pomponius scribit 'multum autem interest'; in Pomponii fragmentis recensendis eidem fragmento (233) nullam de Mucio notam recte addit.

Nonnunquam incertum est, utrum Pomponii an Mucii sint, quae in Pomponii ad Q. Mucium libris legimus. cavendum est, ne Mucio ea tribuamus, quae inferioris demum aetatis iuris consulti statuerunt. velut A. Pernice, cautissimus alioqui, meo quidem iudicio Mucio iusto plura attribuit, cum Muciana nonnunquam dicat quae Pomponii esse iudico. exempla habes Labeo I, 324 n. 3 et II, 260. eiusdem fere auctoritatis, qua Mucius olim floruit, sub primis principibus Masurius Sabinus videtur fuisse, qui ea, quae Mucius aggressus erat, prosecutus est. in quibusdam fragmentis vel futuri temporis usus non Mucii, sed Pomponii sententiam esse demonstrare videtur: talia fragmenta sunt D. 28, 3, 16 pr. ('superius testamentum erit ruptum') et 8, 2, 29 ('dicendum est').

Quae Pomponius Mucium scripsisse retulerat, ea Tribonianus ita mutavit, quasi Pomponius Mucium ipsum loquentem introduxisset eiusque verbis notas addidisset. quod D. 3, 19, 1, 40 aperte docet, ubi haec leguntur.

'Pomponius libro trigesimo primo ad Quintum Mucium. Quintus Mucius scribit: dominus fundi de praedio arbores stantes vendiderat et pro his rebus pecuniam accepit et tradere nolebat: emptor quaerebat, quid se facere oporteret, et verebatur, ne hae arbores eius non viderentur factae. Pomponius: arborum quae in fundo continentur' et q. s.

Pernice Labeo I p. 462 cum aliis viris doctis Mucii responsum aegre desiderat, sed Mucii responsum re vera relatum esse vox 'eius' ('verebatur ne hae arbores eius non viderentur factae') argumento est. non enim emptor qui Q. Mucium consulebat, sed Mucius ipse 'verebatur, ne hae arbores emptoris non viderentur factae', quod responsum Pomponius praeceptoris more exposuit. Pomponium ita fere scripsisse apparet: 'Dominus fundi ... nolebat. emptor quaerebat quid se facere oporteret et verebatur *Quintus Mucius*, ne hae arbores eius non viderentur factae. arborum *enim*, quae in fundo continentur' et q. s. Tribonianus, qui Quintum Mucium ipsum loquentem introducere sibi proposuerat, et post 'verebatur' Quinti Mucii nomen delevit et post 'viderentur factae' Pomponii nomen inseruit, orationem corrumpi negligens.

Vestigia terrent: quae Tribonianus Mucium dixisse asserit, ipse partim ex Pomponii relationibus incaute composuit, partim audacter finxit. quod Lenel Sabinussystem p. 13 'ein Originalcitat aus Q. Mucius' dicit, vereor ut ullum omnino Iustiniani Digesta contineant.

Itaque Mucii verba integra in Digestis raro tantum servata sunt: in iis quae sub Mucii nomine proferuntur, Triboniani manus nonnunquam certo agnoscitur. luculentum exemplum praebet D. 33, 1, 7 Pomponius libro octavo ad Q. Mucium. 'Quintus Mucius ait: si quis ... si tutores .. ex testamento agere possit: n a m e a r e s e o p e r t i n e t, u t i t u t o r e s s c i a n t q u a e v o l u n t a s t e s t a t o r i s f u i t, u t i p o s s i n t e a m p e c u n i a m s i n e p e r i c u l o d a r e. Pomponius: in testamentis quaedam scribuntur ...' verba literis diductis impressa non ipsius Mucii sed a Triboniano ficta esse manifestum est. cf. Pernice Labeo III, 39. Mühlenbruch-Glück XLIII, 432, 21.

Q. Mucius iuris civilis libris non solum novam iuris disciplinam fundavit, sed etiam civium officia in vitae societate maiora statuit, quam adhuc in usu erant. qui monebat, magni iudicis esse, in tutelis, societatibus, fidu-

ciis, mandatis, rebus emptis venditis, conductis locatis statuere, quid quemque cuique praestare oporteret, idem eum, qui rem utendam ab alio acceperat, non solum dolo, sed etiam culpa levi obnoxium fieri primus docuit. idem poetarum deos reicit, quod non bonis hominibus similes sint, sed turpia faciant, velut furentur vel adulterentur. Mucius fortasse etiam id primus docuit quod D. 50, 16, 42 apud Ulpianum legimus: 'probra quaedam natura turpia sunt . . . utputa furtum adulterium' . . .

Lenel Mucii iuris civilis librorum fragmenta in Palingenesia ita disposuit, ut primo loco positis iis, quae vel a Gellio vel ab Ulpiano certis libris attribuuntur additisque nonnullis, quae eorundem librorum dici possunt (1—11), ea adiungat, quae incertorum librorum sunt (12—41), secundum ordinem in Pomponii libris observatum, rubricis insertis. singulorum vero rubricorum fragmenta, paucis exceptis, eodem ordine collocavit quo in Digestis occurrunt. neque Pomponii aliorumve additamenta a Mucii verbis seiuncta sunt (9, 19, 32, 34, 37, 43^b) neque Iustiniani deliramenta reiecta (16). denique fragmenta, quae diversa continent, neque in his libris (5^b) neque in ὅρων libro (48, 50) dispertita sunt.

Ego fragmenta probabilibus rationibus quoad fieri potuit in ordinem redegi, quem pristinum re vera in omnibus me assecutum esse multum abest ut pro certo dicam. at imaginem quandam Mucianorum librorum proponendam duxi, si non certam atque indubitatam, attamen eam, quae quasi operis umbra haberi possit.

Liber I.

De testamentis (et legatis?).

Quamquam de argumento libri nihil diserte traditur, et res ipsa et Laelii Felicis et Pomponii liber primus manifestum facit, Mucium libro primo de testamentorum

generibus et de heredis institutione egisse. fortasse ea, quae Laelius Felix et Gaius II, 111 sq. de testamentorum historia tradunt, Quinto Mucio adtribuere licet. itaque utriusque verba hoc loco repetenda putavi.

1[a]. Gell. 15, 27. — In libro Laelii Felicis ad Q. Mucium primo scriptum est, Labeonem scribere, calata comitia esse, quae pro conlegio pontificum habentur aut regis aut flaminum inaugurandorum causa. eorum autem alia esse curiata, alia centuriata: curiata per lictorem curiatum calari, id est convocari, centuriata per cornicinem.

Isdem comitiis, quae calata appellari diximus, et sacrorum detestatio et testamenta fieri solebant. tria enim genera testamentorum fuisse accepimus: unum quod calatis comitiis in populi contione fieret, alterum in procinctu, cum viri ad proelium faciendum in aciem vocabantur, tertium per familiae mancipationem, cui aes et libra adhiberetur.

1[b]. Gai. II, 101 sq. — Testamentorum autem genera initio duo fuerunt: nam aut calatis comitiis testamentum faciebant, quae comitia bis in anno testamentis faciendis destinata erant, aut in procinctu, id est cum belli causa arma sumebant; procinctus est enim expeditus et armatus exercitus. alterum itaque in pace et in otio faciebant, alterum in proelium exituri. accessit deinde tertium genus testamenti, quod per aes et libram agitur. qui neque calatis comitiis neque in procinctu testamentum fecerat, is si subita morte urguebatur, amico familiam suam, id est patrimonium suum, mancipio dabat, eumque rogabat, quid cuique post mortem suam dari vellet. quod testamentum dicitur per aes et libram, scilicet quia per mancipationem peragitur ... sane nunc aliter ordinatur quam olim solebat. namque olim familiae emptor, id est qui a testatore familiam accepit mancipio, heredis locum optinebat et ob id ei mandabat testator, quid cuique post mortem suam dari vellet.

Eiusdem fortasse loci etiam est, quae Mucium de nexu et de iis quae mancipio dentur, scripsisse Varro tradit.

1[c]. Varro de l. l. 7, 5, 105. — (Nexum) Mucius: quae per aes et libram fiant, ut obligentur praeter quae mancipio dentur.

Cf. Fest. 165. — 'Nexum est, ut ait Aelius Gallus, quodcumque per aes et libram geritur. idque necti dicitur. quo in genere sunt haec: testamenti factio ...'

Utrum testamentum quod per mancipationem peragitur, Mucii tempore secundum antiquam an iam secundum novam formam ordinatum sit, nescimus. illud ut statuamus suadere videatur, quod Mucium de herede instituendo nusquam vidimus egisse: D. 28, 3, 16 pr., quod Lenel Mucio attribuit, eius non esse supra dictum est. itaque Mucium primo libro etiam de legatis scripsisse conici potest. Pernice Labeo I, 324 n. 3 in D. 50, 16, 120 Mucii ipsius verba tradita esse dicit, quod neque convinci neque refelli potest. cf. Karlowa II, 76, 854. cum de re ipsa Mucius sine dubio disputaverit, Pomponii sententiam profero.

2. D. 50, 16, 120. Idem (Pomponius) libro quinto ad Quintum Mucium. Verbis legis duodecim tabularum his 'uti legassit suae rei, ita ius esto' latissima potestas tributa videtur et heredis instituendi et legata et libertates dandi, tutelas quoque constituendi.

Liber II.

De legatis.

Hoc libro Mucium de legatis scripsisse constat. quatuor legatorum illa genera, de quibus Gaius II, 192 agit, Mucio nondum nota erant: in fragmentis non nisi per damnationem legatarum rerum mentio fit. cf. D. 33, 1, 7 ('damnas esto dare'); 34, 4, 34, 1 ('uti heres daret'); 45, 1, 115, 2 ('heredem si dare potuisset nec dedisset'). quod rei per vindicationem legatae nullum exemplum

reperitur, fortasse non casu fit. eis enim temporibus, quibus familiae emptor heredis locum obtinebat et ob id ei mandabat testator, quid cuique post mortem suam dari vellet (Gai. II, 103), nullum nisi damnationis legatum locum habuisse apertum est.

De libertatis datione Mucius certe dixit: at hanc dationem a legato diversam habitam esse Gaius II, 229 sq. his verbis docet: 'ante heredis institutionem inutiliter legatur . . . pari ratione nec libertas ante heredis institutionem dari potest.' etiam de statu libero Mucium dixisse legimus (D. 40, 7, 29 pr., 1; 39, 5, 9, 2). at iuris consultos prius admisisse, servos testamento sub aliqua condicione liberos esse iubere quam rem sub condicione per vindicationem legare, idem Gaius II, 200 indicat, quippe qui quod ita per vindicationem legatum est, pendente condicione 'exemplo statu liberi' habendum esse Sabinianos putare tradit. cf. librum X.

Inter personas, quibus legatur, primum apud Mucium locum obtinet uxor vel materfamilias; praeter uxorem nominantur 'mulier', id est liberta, et Attius 'amicus'.

Inter res uxori legatas eae inprimis nominantur, quae uxoris causa parata sunt. D. 34, 2, 10 ('si pater familias uxori vas aut vestimentum aut quippiam aliud ita legavit: quod eius causa emptum paratumve esset'). D. 34, 2, 34 pr. ('si aurum suum omne pater familias uxori suae legasset'); § 1 ('si maritus uxori . . legasset ita: aurum quodcumque uxoris causa paratum esset'); § 2 ('si ita legasset uxori: aurum quod eius causa paratum erit'). ad res uxori praecipue legatas etiam penum pertinere apparet, de qua Mucium fusius tractasse videbimus. uxori autem non solum has res, sed etiam partitionem legare in usu fuisse D. 32, 29, 1 ostendit; sed de hoc Mucium alio loco, nimirum in familiae erciscundae iudicio explicando dixisse puto.

Libertae aedium usus relinquitur (D. 7, 8, 4, 1). de ea 'muliere' Mucius praesumptionem statuisse videtur, quam 'evitandi turpis quaestus gratia' proposuit (D. 24, 1, 51).

Praeter ipsas res legatas Mucium etiam usum legatum explicasse videmus. de usufructu legato nihil traditum est; tantum de usufructu vendito legimus.

Quae Mucius de usitatis legatis dicere sibi proposuerat, secundum rerum dignitatem eum collocasse puto. itaque ea quae Mucium de fundo (P. 14), de servis (P. 17), de aliis rebus legatis (P. 1—6, 17, 20, 22) dixisse legimus, hoc ordine collocavi. quae de aliis rebus traduntur, ita disposui, quasi primo loco de penu (P. 1), secundo de vasibus, de argento et auro (P. 17, 22, 5, 6), ultimo de vestibus (20) Mucius scripserit.

[*De fundo legato*].

1. D. 28, 5, 35, 3. Ulpianus libro quarto Disputationum (P. 87) .. est apud Mucium relatum, cum fundus erat legatus vel cum instrumento vel cum his quae ibi sunt: agasonem . . . missum in villam a patre familias non pertinere ad fundi legatum Mucius ait.

2. D. 32, 55 pr. Ulpianus libro vicesimo quinto ad Sabinum (P. 2679). . . . Quintus Mucius libro secundo refert, si cui ligna legata essent, quae in fundo erant, arbores quidem materiae causa succisas non deberi.

[*De servo legato*].

3. D. 40, 7, 39 pr. Javolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis (P. 196). 'Stichum Attio do lego et si is ei nummos centum dederit, liber esto'. si servus ex testamento nummos Attio dedisset, eos repetere heredem non posse Labeo existimat, quia Attius eos a servo suo acceperit, non ab heredis servo. eum autem statuliberum esse Quintus Mucius, Gallus et ipse Labeo putant ..

4. D. 33, 5, 9, 2. Julianus libro trigesimo secundo Digestorum (P. 465). quaesitum est, si optione servorum data, antequam optarem, condicio statutae libertatis defecisset, an Stichum optare possim. puto Mucianae sententiae adsentiendum, qua placet ipsa libertate legatum peremi, non datione statutae libertatis.

[*De penu legata*].

5^a. Gell. 4, 1, 17. Q. Scaevolam ad demonstrandum penum his verbis usum audio:

Penus est, inquit, *quod esculentum aut posculentum est, quod ipsius patris familias ⟨aut matris familias⟩ aut liberum patris familias ⟨aut familiae⟩ eius quae circum eos aut liberos eius est et opus non facit, causa paratum est.*

5^b. D. 33, 9, 3 pr. et 6. Ulpianus libro vicesimo secundo ad Sabinum (P. 2641). Qui penum legat quid legato complectatur, videamus. et Quintus Mucius scribit libro secundo iuris civilis, penu legata contineri quae esui potuique sunt.

Quod diximus: 'usus sui gratia paratum' accipiendum erit et amicorum eius et clientium et universorum, quos circa se habet, non etiam eius familiae, quam neque circa se neque circa suos habet, puta si qui sunt in villis deputati, quos Quintus Mucius sic definiebat, ut eorum cibaria contineri putet, qui opus non facerent.

Cf. D. 36, 2, 19. Idem (Julianus) libro septuagesimo Digestorum. Cum sine praefinitione temporis legatum ita datum fuerit: 'uxori meae penum heres dato; si non dederit, centum dato', unum legatum intellegitur centum et statim peti potest, penoris autem causa eo tantum pertinet, ut ante litem contestatam tradita peno heres liberetur. quod si ita scriptum sit 'si penum intra calendas non dederit, centum dato', non efficitur, ut duo legata sint, sed ut centum legata sub condicione videantur . . .

6. D. 45, 1, 115, 2. Papinianus libro secundo Quaestionum (P. 79). si quis ita stipuletur: 'si Pamphilum non dederis, centum dari spondes' . . . Sabinus . . existimabat . . . idque defendebat exemplo penus legatae. Mucius etenim heredem, si dare potuisset penum nec dedisset, confestim in pecuniam legatum teneri scripsit.

7[a]. Gellius 4, 1, 22. Ligna quoque et virgas et carbones quibus conficeretur penus, quibusdam ait (Masurius Sabinus in iuris civilis secundo), videri esse in penu.

7[b]. D. 33, 9, 3, 9. Ulpianus libro vicecimo secundo ad Sabinum (P. 2641). Ligna et carbones ceteraque per quae penus conficeretur, an penori legato contineantur, quaeritur. et Quintus Mucius et Ofilius negaverunt: non magis, quam molae, inquiunt, continentur.

8[a]. Gell. 4, 1, 20. De penu adscribendum hoc etiam putavi. Servium Sulpicium in reprehensis Scaevolae capitibus scripsisse, Cato Aelio placuisse, non quae esui et potui forent, sed tus quoque et cereos in penu esse, quod esset eius familiae causa comparatum.

8[b]. D. 33, 9, 3, 9. Ulpianus libro vicesimo secundo ad Sabinum (P. 2641). .. et Quintus Mucius et Ofilius negaverunt ... idem et tus et ceras contineri negaverunt.

9? D. 33, 9, 3, 7. Ulpianus libro vicesimo secundo ad Sabinum (P. 2641). Simili modo et iumentorum cibaria penui continentur, sed eorum iumentorum quae usibus ipsius et amicorum deserviunt: ceterum si qua iumenta agris deserviebant vel locabantur, legato non cedere cibaria eorum.

„In dem Infinitiv 'legato non cedere' tritt hier noch das Citat hervor; es wird wohl ein dem Sabinus entnommenes Citat aus Mucius zu verstehen sein". Lenel Sabinussystem p. 49 n. 2.

10. Plin. h. n. 14, 13, 15. — Lautissima apud priscos vina erant murrae odore condita, ut apparet in Plauti fabula quae Persa inscribitur, quamquam in ea et calamum addi iubet. ideo quidam aromatite delectatos maxime credunt, sed Fabius Dossennus his versibus decernet:

'Mittebam vinum pulchrum, murrinam'

et in Acharistione:

Panem et polentam, vinum murrinam.

Scaevolam quoque et L. Aelium et Ateium Capitonem in eadem sententia fuisse video, quoniam in Pseudolo sit:

'Quod si opus est, ut dulce promat indidem,
ecquid habet?' 'Rogas?'
'Murrinam, passum, defrutum, mella'

quibus apparet, non inter vina modo murrinam, sed inter dulcia quoque nominatum.

[*De supellectili legato?*]

11? An de supellectili quoque Mucius dixerit dubium est: nam quae Ulpianus libro vicesimo ad Sabinum D. 34, 2, 19, 5 de supellectili scribit, non Mucii, sed Ulpiani sententia videtur esse ('non tamen quae supellectilis sunt'). alio vero loco nullo Mucii nomine de supellectili agitur. Servius et Tubero supellectilem definire conabantur (D. 33, 10, 7, 1) et definitio, quam Pomponius libro sexto ad Sabinum profert (D. 33, 10, 1), Sabini videtur esse. at de argenti et supellectilis notionibus vetus quidam iuris consultus aliquid statuit; nam quae ex Pauli libro quarto ad Sabinum in Digesta 33, 10, 3, 5 recepta sunt, ita mutilata sunt, ut inter alia iuris consulti cuiusdam veteris nomen videatur excidisse. sententiam Mommsen ita fere restitui posse putat: 'craterem argenteum non esse in supellectili nec ullum vas argenteum secundum saeculi severitatem nondum admittentis supellectilem argenteam *Sex. Aelius statuit, sed in argento: etiam* hodie ... si in argento relatum sit candelabrum argenteum, argenti esse videtur'. mihi Sexti Aelii loco potius Q. Mucii nomen restituendum videtur; nam Aelius, quem Mommsen exempli causa proposuit, ideo non placet, quod eum statuisse scimus, tus quoque et cereos in penu esse, quas res Q. Mucius penoris non esse statuit. itaque Q. Mucium testem fuisse malo saeculi severitatis.

[*De vestibus legatis*].

12. D. 34, 2, 33. Pomponius libro quarto ad Quintum Mucium (P. 238). Quintus Mucius[1] ait scire se quendam senatorem muliebribus cenatoriis uti solitum. qui si legaret muliebrem vestem, non videretur (videri?) de ea sensisse, qua ipse qua virili utebatur.

[*De lana legata.*]

13. D. 32, 70, 12. Ulpianus libro vicesimo secundo ad Sabinum (P. 2639). constabat apud veteres lanae appellatione versicoloria non conteneri.

[*De argento facto legato.*]

14ª. D. 34, 2, 19. Ulpianus libro vicesimo ad Sabinum (P. 2606). Argento facto legato Quintus Mucius ait vasa argentea contineri [veluti parapsidas acetabula trullas pelves et his similia, non tamen quae supellectilis sunt].

14ᵇ. D. 34, 2, 27 pr. Ulpianus libro quadragesimo quarto ad Sabinum (P. 2195). Quintus Mucius libro secundo iuris civilis ita definit: argentum factum vas argenteum videri esse.

Quae priore loco uncis inclusi, non Mucii, sed Ulpiani esse puto: extrema verba 'non tamen quae supellectilis sunt' eiusdem esse apparet.

[*De auro legato*].

15. D. 34, 2, 34 pr. Pomponius libro nono ad Quintum Mucium (P. 261). Scribit Quintus Mucius: si aurum suum omne pater familias uxori suae legasset, id aurum, quod aurifici faciundum dedisset aut quod ei deberetur, si ab aurifice ei repensum non esset, mulieri non debetur.

Pomponium sic scripsisse puto: si aurum . . . mulieri non deberi Quintus Mucius scribit.

1 *Cod.* 'Titius'.

16. D. 34, 2, 34, 1. Pomponius ibid. Item scribit Quintus Mucius: si maritus uxori cum haberet quinque pondo auri, legasset ita 'aurum quodcunque uxoris causa paratum esset, uti heres uxori daret,' etiamsi libra auri inde venisset et mortis tempore amplius quam quattuor librae non deprehenduntur, in totis quinque libris heredem esse obligatum [quoniam articulus est praesentis temporis demonstrationem in se continens].

Pomponium sic scripsisse puto: si maritus .. obligatum Quintus Mucius scribit. de commate uncis incluso v. Gradenwitz Z. d. Savigny-St. XIV, 115.

17. D. 34, 2, 34, 2. Pomponius ibid. Quod si ita legasset uxori 'aurum quod eius causa paratum erit', tunc . . . scribit Quintus Mucius, ut haec scriptura habeat in se et demonstrationem legati et argumentum[1]) . . .

[*De domus usu relicto.*]

18. D. 7, 8, 2 et 4. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2575). Domus usus relictus est aut marito aut mulieri . . . mulieri autem ei usus relictus sit, posse eam et cum marito habitare Quintus Mucius primus admisit, ne ei matrimonio carendum foret, cum uti vult domo. nam per contrarium quia uxor cum marito possit habitare nec fuit dubitatum.

Liber III.

De legatis?

Mucius fortasse etiam hoc libro de legatis scripsit; nam quod Ulpianus ex secundo tantum libro Muciana de legatis affert, non magni ponderis est. secundo libro Mucium de argento facto scripsisse traditum est; non item quo libro de auro legato disputaverit. Pomponius in extremo demum, id est libro nono, de auro legato dicit; de argento legato nullam Pomponii sententiam ex libris

1 et deminutionem legati et augmentum *Cuiacius.*

ad Mucium habemus. itaque nonnulla ex tertio Mucii libro sumpta sint, quae secundo libro dedimus.

Hoc loco de cautione Muciana quae dicenda videntur ponam. Q. Mucius legatarium, quem testator quod vetari possit vetuerat, legatum capere posse existimabat, si vetitum se non facturum cum sponsore promisisset, ita ut, si contra promissum egisset, legatam rem reddere deberet. Mucius utrum hoc praetor constituerit (Karlowa II, 894) an privatim responderit, nescimus: sed exinde talia legata ita expedita esse constat. quae de legatis placuit, postea etiam in hereditatibus admissum est: sic enim Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum tradit D. 35, 1, 7. Mucium vero etiam in iuris civilis libris de cautione sua dixisse, ex D. 35, 1, 1 (Pomponius libro tertio ad Q. Mucium) licet concludere: Pomponium autem hoc · libro de aliis quoque legatorum condicionibus scripsisse apparet.

De certa tantum condicione, non de omnibus indistincte Mucium dixisse inde cognoscimus, quod Papinianus D. 35, 1, 73 haec scribit: 'in omnibus condicionibus, quae morte legatariorum finiuntur, receptum est, ut Muciana cautio interponatur'. legatum illud condicionale, quod Mucius tractavit, fortasse erat uxori relictum 'si non nupserit' vel 'si a liberis ne nupserit': nam non solum legatum uxori relictum in Mucii libris primum locum obtinet, sed condicio illa legato adiecta etiam moribus veterum convenit, cum univiram laude dignam iudicaverint. quid quod in Iustiniani Digestis condicio illa saepe reperitur D. 40, 7, 42 (Labeo); 35, 1, 22 et 106 (Iulianus), 63 (Gaius); 72, 74, 100 (Papinianus).

Iuris consulti de Muciana cautione hi fere egerunt: Aristo (D. 35, 1, 1 pr.), Neratius (ibid.), Iulianus (ibid. et 35, 1, 106), Pomponius (D. 35, 1, 1 et 57: libro tertio et nono ad Q. Mucium), Gaius (D. 35, 1, 10), Papinianus (D. 35, 1, 72, 73, 77, 101) Ulpianus (D. 35, 1, 7).

Etiam imperatores de cautione constituerunt. Papinianus enim libro octavo decimo Quaestionum (D. 35, 1, 72, 1) scribit 'cum patronus liberto certam pecuniam legasset,

si a liberis eius non discessisset, permisit imperator velut Mucianam cautionem offerri'. denique Iustinianus a. 531 C. 6, 40, 2, 3 cum lege Iulia miscella etiam Mucianam cautionem 'super hac causa' conquiescere iussit. cf. nov. XXII c. 43 (a. 535).

Liber IV.

De legitimis heredibus?

Cum Sabinus de legitimis heredibus post testamentum, sed ante legata tractaverit, Mucium de legitimis heredibus demum post legata scripsisse constat. sed ideo apud Mucium ius hereditarium et legata confusa et permixta fuisse, quod Krueger p. 178 iudicat ('Erbrecht und Legat . . . wirr durch einander'), non concesserim: nimirum Mucii temporibus testamento plerumque non tam heres instituebatur, quam legata relinquebantur. Gai. II, 103.

Gai. III, 1 'Intestatorum hereditates ⟨ex⟩ lege XII tabularum primum ad suos heredes pertinent'. 2. 'sui autem heredes existimantur liberi qui in potestate morientis fuerunt . . . nec interest, ⟨utrum⟩ naturales ⟨sint⟩ liberi an adoptivi'. 3. 'uxor quoque quae in manu est, sua heres est, quia filiae loco est'. 9. 'si nullus sit suorum heredum, tunc hereditas pertinet ex eadem lege XII tabularum ad agnatos'. 17. 'si nullus agnatus sit, eadem lex XII tabularum gentiles ad hereditatem vocat'. 39 sq. 'nunc de libertorum bonis videamus. olim itaque licebat liberto patronum suum inpune testamento praeterire. nam ita demum lex XII tabularum ad hereditatem liberti vocabat patronum, si intestatus mortuus esset libertus nullo suo herede relicto.'

1. Gell. 5, 19, 5, 6. — Sed adrogationes non temere nec inexplorate committuntur; nam comitia arbitris pontificibus praebentur, quae curiata appellantur, aetasque eius qui adrogare vult, an liberis potius gignundis idonea sit, bonaque eius qui adrogatur, ne insidiose adpetita sint, consideratur, iusque iurandum

a Q. Mucio pontifice maxime conceptum dicitur, quod in adrogando iuraretur.

cf. Gai. I, 102 '... inpuberem aput populum adoptari aliquando prohibitum est, aliquando permissum est. nunc ex epistula optimi imperatoris Antonini quam scripsit pontificibus, si iusta causa adoptionis esse videbitur, cum quibusdam condicionibus permissum est.'

2. Gell. 3, 2, 12, 13. — ⟨Q.⟩ Mucium iureconsultum dicere solitum lege non isse usurpatam mulierem, quae cum Kalendis Ianuariis apud virum matrimonii causa esse coepisset, ante diem quartum Kalendas Ianuarias sequentes usurpatum isset; non enim posse impleri trinoctium, quod abesse a viro usurpandi causa ex duodecim tabulis deberet, quoniam tertiae noctis posteriores sex horae alterius anni essent, qui inciperet ex Kalendis.

cf. Gai. I, 111. 'Usu in manu conveniebat quae anno continuo nupta perseverabat; quia enim veluti annua possessione usucapiebatur, in familiam viri transibat filiaeque locum optinebat. itaque lege XII tabularum cautum est, ut si qua nollet eo modo in manum mariti convenire, ea quotannis trinoctio abesset atque eo modo ⟨usum⟩ cuiusque anni interrumperet.

3. Cicero top. 6. 29. — Gentiles sunt inter se, qui eodem nomine sunt ... qui ab ingenuis oriundi sunt ... quorum maiorum nemo servitutem servivit ... qui capite non sunt deminuti ... nihil enim video Scaevolam pontificem ad hanc definitionem addidisse[1].

Liber IV. V?

Familiae erciscundae?

Hoc libro Mucium et de partitione legata et de mortis causa donationibus et de sacris scripsisse puto.

1 *Verba inter definitionis particulas a Cicerone interiectas* ('non est satis'; 'ne id quidem satis est'; 'abest etiam nunc'; 'hoc fortasse satis est') *supra omisi.*

itaque hoc loco etiam pontificum de sacris decretum repetendum videtur, quod in Mucii iuris civilis libros receptum fuisse Ciceronis de legibus 2, 19, 48 verba satis luculenter indicant haec: 'innumerabilia nascuntur, quibus implentur iurisconsultorum libri. quaeruntur enim, qui adstringantur sacris .. haec nos a Scaevola didicimus' ... itaque ex Mucii libris ea quae tradit, Ciceronem desumpsisse satis apparet.

De quaestione 'qui adstringantur sacris' in tractatu de familiae erciscundae iudicio Mucium dixisse verisimile est. Huschke quoque ad Ciceronis locum adnotat: 'inter eos (sc. heredes) erat actio familiae erciscundae, qua qui sacra fecerat, ceteros de indemnitate convenire poterat.' ego malo, cum inter consortes maior natu socius pro omnibus sacra faceret communi sumptu, eos qui hereditatem dividi decreverunt, statuere debuisse, quo modo sacrorum, quae una et communia manebant, sumptus contribuendi essent. nam in hereditate dividunda non sacra divisa et multiplicata esse, et Ciceronis verba ostendunt et res ipsa docet.

Illorum, qui adstringebantur sacris quosque Cicero enumerat, Mucium non uno tantum modo loco mentionem fecisse videtur, sed diversis locis secundum causarum, ex quibus adstringebantur, diversitatem, scilicet ut heredum in iudicio familiae erciscundae explicando, ita aliorum in usucapione hereditatis vel in rebus defuncti creditis explicandis. quod item et re ipsa indicatur et Ciceronis verbis comprobatur, nam iuris consultorum libros innumerabilibus rebus impleri vix dicere potuit, si de sacris uno tantum loco tractavissent.

[*De partitione legata.*]

1. D. 32, 29, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — Cum ita legatum esset, ut Titia uxor mea tantandem partem habeat, quantulam unus heres, si non aequales partes essent heredum, Quintus Mucius et Gallus putabant, maximam partem legatam esse, quia in maiore minor inesset.

Quae nunc legimus: 'Cum ita legatum esset, ut . . . uxor mea . . habeat', neque Iavolenus neque Labeo, sed Tribonianus scripsit. apud Labeonem haec fere scripta fuisse puto: 'Titia uxor mea tantandem partem capiat quantulam heres.' si non . . . legatam esse.

2. Cicero de legib. 2, 20, 50. — . . etiam hoc dant Scaevolae, quom est partitio, ut, si in testamento deducta *summa centum nummum* non sit, ipsique minus ceperint quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligetur.

cf. quae p. 34 adnotavi.

3. Cicero ibid. 51 tradit, iuris consultos etiam hoc cavisse, 'ut cui plus legatum sit, quam sine religione capere liceat, is per aes et libram heredes testamenti solvat, propterea quod eo loco res est ita soluta, quasi ea pecunia legata non esset'. de re v. Burckhardt Z. d. Savigny-St. IX p. 305, 314. itaque et ea quae subieci, ex Q. Mucii iuris civilis libris desumpta videntur.

Cicero de legib. 2, 21, 52, 53. — habeo ius pontificium. quid huc accessit ex iure civili? partitionis caput scriptum caute, ut centum nummi deducerentur: inventa est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. quid si hoc qui testamentum faciebat, cavere noluisset? admonet iuris consultus hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, ut minus capiat quam omnibus heredibus relinquatur, quibus par dicebant qui cepisset, adstringi: rursus sacris liberatur. hoc vero nihil ad pontificium ius, sed e medio est iure civili, ut per aes et libram heredem testamenti solvant et eodem loco res sit quasi ea pecunia legata non esset, si is cui legatum est, stipulatus est id ipsum quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione debeatur sitque ea non ⟨mortis causa capta⟩.

[*De mortis causa donationibus.*]

4. Mucii aetate filius familias, cum ne miles quidem licet approbante patre testamentum facere posset, mortis

causa exempli gratia uxori donare patre permittente poterat. cui ita donatum erat, sacris adstringebatur, cum tantundem donatum esset quantum paterfamilias retinebat. quoniam nulla donatio praeter uxori vel liberis factam in usu erat, sic quoque sacra in familia retinebantur. Kuebler Z. d. Savigny-St. XI, 39—45.

Cicero de legib. 2, 20, 50. — In donatione hoc (sc. illud tantundem et minus capere) iidem (Scaevolae) interpretantur: et quod paterfamilias in eius donatione, qui in eius potestate esset, approbavit, ratum est; quod eo insciente factum est, si is id non approbat, ratum non est.

Liber V? VI?

Communi dividundo.

Tria fragmenta, quae ex Pomponii libro decimo quarto exstant quaeque ad communi dividundo arbitrium optime referri possunt, Mucium quinto vel sexto libro de eodem arbitrio scripsisse indicio sint. unum Mucii fragmentum huius loci videtur esse.

D. 50, 16, 25, 1 Paulus libro vicensimo primo ad edictum (P. 339[b]). Quintus Mucius ait partis appellatione rem pro indiviso significari: nam quod pro diviso nostrum sit, id non partem, sed totum esse.

Liber VII?

De rei uxoriae arbitrio?

An de dote Q. Mucius scripserit, dubium est, cum neque dotis neque rei uxoriae arbitrii usquam in fragmentis mentio fiat. in Pomponii ad Mucium libris pauca de dote reperiuntur D. 23, 3, 65 et 66 (P. 243, 254), cum in libris ad Sabinum Pomponius libris decimo quarto, quinto, sexto de iure dotium scripserit (P. 594—637).

Quamquam iam P. Mucium de C. Sempronii Gracchi viduae dote responsum dedisse scimus (D. 24, 3, 66), tamen

Servii demum auctoritate patri de dote reddenda actio data videtur. Czyhlarz Dotalrecht p. 48. itaque ea quae Q. Mucius de rei uxoriae arbitrio docuit, Servii de dotibus libro oblitterata sunt. quae vero Servius hoc libro de sponsalibus et de dotis dictione cum sponsalibus coniunctis deque rei uxoriae cautionibus tradidit (Gell. 4, 4, 3, 2), fortasse iam Mucius exposuit, qui etiam patris responsum illud in libros suos recepisse putandus est.

Liber VIII?

De tutelis.

De tutelis, de quibus Pomponius libro sexto decimo videtur scripsisse (P. 272, 273), etiam Mucium scripsisse constat. quae apud Gaium I, 144 sqq. hac de re legimus, repetenda duxi. 'Permissum est ... parentibus, liberis quos in potestate sua habent, testamento tutores dare, masculini quidem sexus inpuberibus, feminini autem sexus cuiuscumque aetatis sint et tum quoque cum nuptae sint'. 145 'loquimur autem exceptis virginibus Vestalibus' .. 155 'Quibus testamento quidem tutor datus non sit, iis ex lege XII tabularum agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi'. 157 'et olim quidem, quantum ad legem XII tabularum attinet, etiam feminae agnatos habebant tutores'. 165 'ex eadem lege XII tabularum libertorum et inpuberum tutela ad patronos liberosque eorum pertinet'. 184 'Olim cum legis actiones in usu erant, etiam ex illa causa tutor dabatur, si inter tutorem et mulierem pupillumve lege agendum erat'. 185 'si cui nullus omnino tutor sit, ei datur in urbe Roma ex lege Atilia a praetore urbano et maiore parte tribunorum plebis, qui Atilianus tutor vocatur'. 187 'ab hostibus quoque tutore capto ex his legibus tutor peti debet'.

1. Gai. 1, 188. — ex his apparet, quot sint species tutelarum. si vero quaeramus, in quot genera hae species diducantur, longa erit disputatio, nam de ea re valde veteres dubitaverunt ... hoc tantisper sufficit

admonuisse, quod quidam quinque genera esse dixerunt, ut Q. Mucius, alii tria, ut Ser. Sulpicius, alii duo, ut Labeo.

'Man darf wohl mit einiger Sicherheit vermuten, dass Servius die species tutelae nach ihrem Rechtsgrund in genera zusammenfasste: legitima, testamentaria, dativa, dass dagegen Labeo die bevormundeten Personen als Einteilungsgrund benutzte und darum tutela impuberum und mulierum unterschied. Dadurch wird man zu der Annahme geführt, dass Q. Mucius einige species tutelae als genera behandelte und etwa so einteilte: adgnati, patroni, testamentaria, Atiliana, specialis'. Pernice Labeo I, 23 sq.

2. Auct. epit. de nomin. rat. post Valer. Maxim. — Pueris non prius quam togam virilem sumerent, puellis non antequam nuberent, praenomina imponi moris fuisse Q. Scaevola auctor est.

De Mucii dicto a Mommseno reiecto v. Karlowa II, 188.

3. D. 26, 1, 3 pr. Ulpianus libro trigesimo septimo ad Sabinum (P. 2836). Qui habet tutorem pupillus vel pupilla si furere coeperint, in ea causa sunt, ut in tutela nihilo minus durent, quae sententia Quinti quoque Mucii fuit.

4. Vat. fr. 1. — ⟨Qui a muliere⟩ sine tutoris auctoritate sciens rem mancipi emit vel falso tutore auctore quem sciit non esse, non videtur bona fide emisse. itaque et veteres putant et Sabinus et Cassius scribunt.

Etiam Mucium id docuise verisimile videtur.

5. D. 33, 1, 7. Pomponius libro octavo ad Quintum Mucium (P. 258). Quintus Mucius ait: si quis in testamento ita scripsit: 'filii filiaeque meae ibi sunto, ubi eos mater sua esse volet eisque heres meus in annos singulos inque pueros puellasque singulas damnas esto dare cibarii nomine aureos decem'. si tutores eam pecuniam dare nolunt ei apud quem pueri atque puellae sunt, nihil est, quod ex testamento agere

possit; nam ea res eo pertinet, uti tutores sciant, quae voluntas testatoris fuit, uti possint eam pecuniam sine periculo dare. POMPONIUS. in testamentis quaedam scribuntur, quae ad auctoritatem dumtaxat scribentis referuntur nec obligationem pariant . . . . . . itaque haec Quinti Mucii scriptura: 'liberi mei ubi sunto, ubi eos mater sua esse volet', nullam obligationem parit, sed ad auctoritatem defuncti conservandam id pertinebit, ut ubi iusserit ibi sint. nec tamen semper voluntas eius aut iussum conservari debet, veluti si praetor doctus sit non expedire pupillum eo morari, ubi pater iusserit *rel.*

Hunc locum pessime a Triboniano constitutum esse apparet: nam res diversas in unum commiscuit. cum testamentum, a quo oratio incipit, matris voluntatem spectare iubeat, si quaeratur, ubi testatoris liberi esse debeant, postea de patris tantum voluntate disseritur. accedit quod cum testamentum de heredis tantum obligatione dicat, ex improviso tutores introducuntur, qui pecuniam dare nolint ei apud quem liberi sint.

Neque quae Tribonianus Pomponio tribuit, neque quae Quintum Mucium dixisse tradit, fidem habent: ipsi Mucio sub Pomponii nomine Tribonianum quaedam subiecisse puto. id verba docent 'nam ea res eo pertinet, uti tutores sciant quae voluntas testatoris fuit, uti possint eam pecuniam sine periculo dare'. cf. supra p. 68. etiam testamenti ipsius verba a Triboniano mutata sunt. Mucium non aureos nominasse manifestum est; neque testator iubere potuit, ipsis filiis filiabusque cibarii nomine pecuniam dari, quod verba: 'eisque heres damnas esto dare' nunc faciunt; denique, si hoc iussisset, dicere non potuit 'eis dare . . in pueros puellasque singulas'.

Mucius, ni fallor, non id dicere voluit, matrem familias liberis aliud domicilium assignare posse quam quod ipsa habeat, sed hoc tantum, matrifamilias decernere licere, ubi cum filiis vivere velit. itaque quod ad testamentum attinet, Mucii nulla alia verba videntur esse nisi haec:

'liberi mei ibi sunto, ubi eos mater (familias?) esse volet'. quid Mucius de hoc iusso dixerit quaeque Pomponius adiecerit, nescimus: Tribonianus nova ex commentariis ad praetoris edictum sumpta substituit. cf. Dig. 27, 2, 'ubi pupillus educari vel morari debeat et de alimentis ei praestandis'.

Liber IX.

De noxalibus actionibus?

De noxalibus actiònibus, de quibus Gaius IV, 75 sqq. disserit, Mucius hoc libro videtur scripsisse; nam neque Pomponium libro septimo decimo 'de lege Aquilia', neque Mucium hoc loco 'de pauperie et de lege Aquilia' scripsisse, id quod Lenel vult, ratio docet, quae rebus ipsis inest, quia de noxali Aquiliae actione optime hoc libro Mucius scribere potuit.

1. D. 9, 2, 31. Idem (Paulus) libro decimo ad Sabinum (P. 1807[b]). Si putator ex arbore ramum cum deicerit vel machinarius hominem praetereuntem occidit, ita tenetur, si is in publicum decidat nec ille proclamarit, ut casus inde evitari possit. sed Mucius etiam dixit, si in privato idem accidisset, posse de culpa agi: culpam autem esse quod cum a diligente provideri poterit, non esset provisum aut tum denuntiatum esset, eum periculum evitari non possit.

Cf. D. 48, 8, 7. Paulus libro singulari de publicis iudiciis (P. 1266) ... si ... putator ex arbore cum ramum deiceret, non praeclamarit et praetereuntem occiderit, ad huius legis (sc. Corneliae de sicariis) coercitionem non pertinet.

2. D. 9, 2, 39. Pomponius libro septimo decimo ad Q. Mucium (P. 274). Quintus Mucius scribit: equa cum in alieno pasceretur, in cogendo quod praegnas erat eiecit. quaerebatur, dominus eius possetne cum eo qui coegisset lege Aquilia agere, quia equam in *e*-iciendo ruperat. si percussisset aut consulto vehementius egisset, visum est agere posse.

3. D. 9, 1, 1, 11. Ulpianus libro octavo ad edictum (P. 608). Cum arietes vel boves (noxiam) commisissent et alter alterum occidit, Quintus Mucius distinxit, ut si quidem is perisset qui adgressus erat, cessaret actio, si is qui non provocaverat, competeret actio.[1]

Liber X?

De statu liberis?

D. 40, 7, 29 § 1. Pomponius libro octavo ad Quintum Mucium (P. 275). Quintus Mucius scribit: pater familias in testamento scripserat 'si Andronicus servus meus heredi meo dederit decem, liber esto'. deinde de his bonis coeperat controversia esse: qui se lege heredem aiebat esse, is eam hereditatem ad se pertinere dicebat, alter, qui hereditatem possidebat, aiebat testamento se heredem esse. secundum (?contra?) eum sententia dicta erat, qui testamento aiebat se heredem esse. deinde Andronicus quaerebat, si ipsi viginti dedisset, quoniam secundum eum sententia dicta est, futurusne esset liber an nihil videatur sententia, qua vicit, ad eam rem valere? ⟨respondit valere⟩. quapropter si viginti heredi scripto dedisset et res contra possessorem iudicata esset, illum in servitute fore. Labeo hoc quod Quintus Mucius scribit . . . putat verum esse . . .

Quae Tribonianus Mucium scripsisse dicit, non Mucii verba sunt, sed partim certe Pomponii, qui Mucianam sententiam retulit. at ne Tribonianus quidem manum a loco videtur abstinuisse. ceterum v. supra p. 72.

1 *De sequentibus verbis* 'quam ob rem eum sibi aut noxam sarcire aut in noxam dedere oportere' *v. Lenel Edictum perpet. p. 155 et Pal. ad Ulpianum 608.*

Liber XI?

De possessionibus et usucapionibus.

De possessionum generibus Mucium scripsisse traditum est. quaenam genera statuerit, nescimus. adiunxit usucapionem, quam non modo in singulis rebus, sed etiam in hereditate, et non solum in rebus, sed etiam in hominibus locum habuisse constat. de mulieris usucapione (Gai. I, III) Mucius alio loco videtur scripsisse. cf. supra p. 81.

1. D. 41, 2, 3, 23 Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 659) . . . Q. Mucius inter genera possessionum posuit, si quando iussu magistratus rei servandae causa possidemus . . .

Ad rem cf. Pernice Labeo I 200; II 192 n.

2? D. 41, 2, 25, 2. Pomponius libro vicensimo tertio ad Q. Mucium (P. 286). Quod autem solo animo possidemus, quaeritur, utrumve usque eo possideamus, donec alius corpore ingressus sit, ut potior sit illius corporalis possessio, an vero, quod quasi magis probatur, usque eo possideamus, donec revertentes nos aliquis repellat aut nos ita animo desinamus possidere, quod suspicemus repelli nos posse ab eo, qui ingressus sit in possessionem.

Pro 'quasi magis' van de Water sagaciter scribendum esse conicit 'Quinto Mucio' multis assentientibus, in quibus etiam Pernice et Lenel. sed doctrina Mucio adscripta eius vix potest esse, ita ut verba 'quasi magis' potius aliter explicari debeant. Pomponium sic non scripsisse certum iudico, at bene scribere potuit: 'quod magis probatur', ita ut Triboniani manus etiam in hoc Pomponii fragmento agnoscatur. Riccobono Bull. dell. Ist. 6, 229 sq. 'quidem magis' legit.

3? Gai. III, 200. — interdum alienas res occupare et usucapere concessum est nec creditur furtum fieri, veluti res hereditarias quarum heres non est nactus possessionem, nisi necessarius heres extet.

4[a]. Gai. II, 54, 55. — olim rerum hereditariarum possessione velut ipsae hereditates usucapi credebantur, scilicet anno ... voluerunt veteres maturius hereditates adiri, ut essent qui sacra facerent, quorum illis temporibus summa observatio fuit, et ut creditores haberent, a quo suum consequerentur.

4[b]. Cicero de legib. 2, 19 ... 'Quaeruntur .. qui adstringuntur sacris ... tertio loco, si nemo sit heres, is qui de bonis, quae eius (qui e vita migravit) fuerint quom moritur, usu ceperit plurimum possidendo ... haec nos a Scaevola didicimus' ...

cf. quae supra p. 82 disputavi.

5. D. 8, 2, 7. Pomponius libro vicensimo sexto ad Quintum Mucium (P. 294). Quod autem aedificio meo me posse consequi, ut libertatem usucaperem dicitur, idem me non consecuturum, si arborem eodem loco sitam habuissem, Mucius ait.

6? D. 41, 3, 24 pr. Pomponius libro vicensimo quarto ad Q. Mucium (P. 289). Ubi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest.

Hanc sententiam Mucii esse A. Pernice II 157 iudicat, sed an recte dubito. lex de qua agitur, Atinia videtur esse.

Liber XII? XIII?

De adquirendo rerum dominio.

[*De mancipatione.*]

1. Varro d. l. l. 7, 5, 105. — (Nexum) Mucius: quae per aes et libram fiant, ut obligentur praeter quae mancipio dentur.

De fiducia, de qua Gai. II 60, III 201 scribit, Mucium quoque scripsisse non est cur dubitemus. cf. Cic. de offic. 3, 17, 70: 'fideique bonae nomen, existimabat (Q. Scaevola) ... versari in ... fiduciis ...' Mucius, qui depositum inter bonae fidei contractus non nominat, tan-

tum de actione in duplum lege XII tabularum statuta scripsisse videtur. cf. Pernice I 435 et infra de furto.

[*De venditione fundi.*]

2. Cicero de offic. 3, 16, 65. — .. de iure quidem praediorum sanctum apud nos est iure civili, ut in iis vendendis vitia dicerentur, quae nota essent venditori. nam quum ex duodecim tabulis satis esset ea praestari, quae essent lingua nuncupata, quae qui infitiatus esset, dupli poenam subiret, a iuris consultis etiam reticentiae poenae est constituta. quidquid enim esset in praedio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, praestari oportere.

3. D. 18, 2, 11 1 et 13 pr. Ulpianus libro vicensimo octavo ad Sabinum (P. 2710). ... Sabinus ait, si tribus vendentibus duo posteriori addixerint, unus non admiserit adiectionem, Mucius partem priori, duorum posteriori emptam ... Celsus quoque libro octavo Digestorum refert Mucium Brutum Labeonem, quod Sabinum existimare.

4ª. D. 18, 1, 59. Celsus libro octavo Digestorum (P. 75). Cum venderes fundum, non dixisti 'ita ut optimus maximusque', verum est quod Quinto Mucio placebat, non liberum, sed qualis esset, fundum praestari oportere.

4ᵇ. D. 21, 2, 75. Venuleius libro sexto decimo Stipulationum (P. 73). Quod ad servitutes praediorum attinet, si tacite secutae sunt et vindicentur ab alio, Quintus Mucius et Sabinus existimant venditorem ob *auctoritatem*[1] teneri non posse, nec enim *auctoritatis*[2] nomine quemquam teneri in eo iure, quod tacite soleat accedere, nisi ut optimus maximusque esset *mancipatus*[3] fuerit fundus: tunc enim liberum ab omni servitute praestandum. si vero emptor petat viam vel

1 *Tribonianus* evictionem. 2 *Tribonianus* evictionis. 3 *Tribonianus* traditus.

actum, venditorem teneri non posse, nisi nominatim dixerit accessurum iter vel actum: tunc enim teneri eum qui ita dixerit. et vera est Quinti Mucii sententia, ut qui optimum maximumque fundum *mancipavit*[1], liberum praestet, non etiam deberi alias servitutes ...[2]

Cum Mucius de ea tantum servitute egerit, quae fundo ut onus inhaeret, Tribonianus apud Venuleium etiam de illa disserit, quae fundo ut commodum annexa est itaque Mucii sententiam corrupit. Triboniani manus in dictione videtur deprehendi (*nisi ut .. si vero .. nisi .. nisi*).

5? D. 18, 1, 66, 1. Pomponius libro trigesimo primo ad Q. Mucium (P. 303). Si *qua*[3] servitus venditis praediis deberetur nec commemoraverit venditor, sed sciens esse reticuerit, et ob id per ignorantiam rei emptor non utendo *per biennium*[4] eam servitutem amiserit, quidam recte putant venditorem teneri ex empto ob dolum.

6. D. 18, 1, 66, 2. Pomponius ibid. Quintus Mucius scribit: Qui scripsit 'ruta caesa quaeque aedium fundive non sunt' bis idem scriptum.

Quae sequuntur: 'nam ruta caesa ea sunt, quae neque aedium neque fundi sunt', non Mucii, sed Pomponii esse apparet.

[*De arboribus venditis.*]

7. D. 19, 1, 40. Pomponius libro trigesimo primo ad Q. Mucium (P. 306). [Quintus Mucius scribit] Dominus fundi de praedio arbores stantes vendiderat et pro his rebus (arboribus?) pecuniam accepit et tradere nolebat. emptor quaerebat, quid se facere oporteret et verebatur *Q. Mucius,* ne hae arbores eius non viderentur factae.

Fragmentum a Triboniano corruptum esse supra p. 68 demonstravi. cf. D. 41, 1, 48 '... quaeritur ...

1 *Tribonianus* tradidit. 2 'nisi hoc specialiter ab eo accessum sit' *Tribonianus adiecit.* 3 *F.* qua. 4 *Trib.* per statutum tempus.

an fructus meos faciam. Pomponius verendum, ne non sit bonae fidei possessor ...'

[*De itinere aquae vendito.*]

8. D. 8, 3, 15. Pomponius libro trigensimo *secundo* ad Quintum Mucium (P. 311). Quintus Mucius scribit, cum iter aquae vel cottidianae vel aestivae vel quae intervalla longiora habeat per alienum fundum *mancipatum* (*in iure cessum?*) erit[1], licere fistulam suam vel fictilem vel cuiuslibet generis in rivo ponere quae aquam latius exprimeret, et quod vellet in rivo facere licere, dum ne domino praedii aquagium deterius faceret.

cf. Gai. II, 29. iura praediorum urbanorum in iure cedi ⟨tantum⟩ possunt, rusticorum vero etiam mancipare possunt.

[*De hominis usufructu vendito.*]

9. D. 40, 12, 23 pr. Paulus libro quinquagensimo ad edictum (P. 642). Si usumfructum tibi vendidero liberi hominis ⟨pretium participantis⟩ et ⟨in iure⟩ cessero, servum effici eum dicebet Quintus Mucius, sed dominium ita demum fieri meum, si bona fide vendidissem, alioquin sine domino fore.

10? D. 18, 1, 19. Idem (Pomponius) libro trigensimo primo ad Quintum Mucium (P. 302). Quod vendidi non aliter fit accipientis, quam si aut pretium nobis solutum sit aut satis eo nomine factum [vel etiam fidem habuerimus emptori sine ulla satisfactione].

Etiam hanc sententiam A. Pernice Labeo I 458 n. 15 Q. Mucio attribuit; an recte dubito.

Liber XIV.

De consortio et de societatibus.

Q. Mucium hoc libro de societatibus scripsisse ex iis colligitur, quae Paulus D. 17, 2, 30 tradit. item

1 *F.* per alienum fundum erit.

de fratrum consortio hoc loco eum tractasse, Pomponius D. 29, 2, 78 indicat.

Fortasse conicere licet, Mucium hoc loco etiam de populis sociis disputasse. Ciceronem certe in legibus civium Romanorum officia circa socios non praeterire vidimus et ipsum Mucium alio loco de foederatis populis egisse verisimile est. cf. *infra* p. 96. quid si Mucium cives, cum contra foederis conditionem Latinis usi essent, monuisse statuamus, contra naturam societatis esse, ut quis maiorem partem lucretur, minorem damni praestet? certe legem illam Liciniam Muciam a. 695/95 latam, quae Latinos a civibus separare iussit, melius intelligitur, si Mucium sociis quoque suum tribui sine fraude debere sumimus docuisse.

1? D. 29, 2, 78. Idem (Pomponius) libro trigesimo quinto ad Quintum Mucium (P. 315). Duo fratres fuerant, bona communia habuerunt; eorum alter intestato mortuus suum heredem non reliquerat; frater qui supererat nolebat ei heres esse. consulebat, num ob eam rem, quod communibus, cum sciret eum mortuum esse, usus esset, hereditati se alligasset. respondit, nisi eo consilio usus esset, quod vellet se heredem esse, non adstringi.[1]

Mucii responsum esse sunt qui putent; quod neque convinci neque redargui potest. conferenda sunt verba quae apud Ciceronem de leg. 2, 19, 47 leguntur 'qui adstringantur sacris' et ibid. 2, 20, 50 'sacris ne alligentur'.

2ª. D. 17, 2, 30. Paulus libro sexto ad Sabinum (P. 1732). Mucius libro quarto decimo scribit non posse societatem coiri, ut aliam damni, aliam lucri partem socius ferat.

2ᵇ. Gai. III, 149. Magna autem quaestio fuit, an ita coiri possit societas, ut quis maiorem partem lucretur, minorem damni praestet. quod Q. Mucius ⟨contra naturam societatis esse existimavit⟩.

1 *Sequentia verba* 'itaque cavere debet, ne qua in re plus sua parte dominationem interponeret' *aperte Pomponii sunt.*

2°. J. III, 25, 2. De illa sane conventione quaesitum est, si Titius et Seius inter se pacti sunt, ut ad Titium lucri duae partes pertineant, damni tertia, ad Seium duae partes damni, lucri tertia, an rata debet haberi conventio. Quintus Mucius contra naturam societatis talem pactionem esse existimavit et ob id non esse ratam habendam. Servius Sulpicius cuius sententia praevaluit, contra sentit *rel.*

3. D. 17, 2, 7, 9 et 11. Ulpianus libro trigesimo ad Sabinum (P. 2739[b]). .. si non fuerit distinctum, videtur coita esse universorum quae ex quaestu veniunt, hoc est si quod lucrum ex emptione venditione, locatione conductione descendit. nec adiecit Sabinus hereditatem vel legatum vel donationes mortis causa sive non mortis causa ... et ita de hereditate legato donatione Quintus Mucius scribit.

Liber XV.

De foederatis et de hostibus.

Mucium non modo de hostibus, sed etiam de foederatis egisse, Pomponii libri trigesimi septimi ad Q. Mucium fragmentum (P. 319) videtur indicare. itaque Mucium hoc loco inprimis de reciperatione et de recuperatoribus dixisse conici licet. cf. Gallum Aelium apud Fest. v. reciperatio p. 274.

1. D. 50, 7, 18. Pomponius libro trigensimo septimo ad Quintum Mucium (P. 320). ... eum qui legatum pulsasset, Quintus Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere.

2. D. 49, 15, 4. Modestinus libro tertio Regularum (P. 208). eos qui ab hostibus capiuntur vel hostibus deduntur, iure postliminii reverti antiquitus placuit.

3. Cicero Top. 8, 37. — Scaevola .. P. f. iunctum esse putat verbum, ut sit in eo et 'post' et 'limen': ut quae a nobis alienata, cum ad hostem pervenerint, ex suo tanquam limine exierint, ea cum redierint post ad idem limen, postliminio redisse videantur.

Quae Gallus Aelius de postliminio tradit, fortasse ex Mucii libro desumpta sunt. Fest. v. postliminio p. 218.

4? Modestinus libro tertio Regularum (P. 208). D. 49, 15, 4. — an, qui hostibus deditus reversus nec a nobis receptus civis Romanus sit, inter Brutum et Scaevolam varie tractatum est.

Modestinum traditam vocem 'non receptus' falso sic interpretatum esse, quasi id ageretur, num Romani reversum, non hostes deditum reciperent, itaque sententiam corrupisse R. Heinze recte monuit. cf. Cicero de orat. I, 40, 181 ... C. Mancinum .. consularem, cum eum propter invidiam Numantini foederis pater patratus ex s. c. Numantinis dedidisset eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset neque in senatum introire dubitasset, P. Rutilius M. filius tribunus plebis iussit educi, quod eum civem negaret esse, quia memoria sic esset proditum, quem .. pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium. I, 56, 238 .. quibus in causis omnibus, sicut .. in C. Hostilii Mancini controversia ... fuit inter peritissimos homines summa de iure dissensio. cf. II, 32, 137. Ceterum Modestini 'Scaevola' fortasse non Quintus, cui Lenel P. 43^{b} fragmentum attribuit, sed Publius Mucius est. cf. supra p. 34.

Liber XVI.

De furto.

Furtorum genera, de quibus Gai. III, 183 agit, Q. Mucius nondum constituerat: unum tantum furtum esse putabat. Servius demum furtorum genera distinxit. Bekker Aktionen I, 307 sq.; Pernice I, 312; III, 214 contra Ubbelohde Realcontracte p. 36 sq.

Fortasse res iudicatae atque responsa, quae Labeo in libro de duodecim tabulis secundo (Gell. 6, 15, 1), Sabinus in libro de furtis (Gell. 11, 18, 12), postea Gaius aliique congesserunt, ex Mucii libro desumpta sunt.

1. Gell. 6, 15, 2. — Q. Scaevola in librorum, quos de iure civili composuit, XVI verba haec posuit: *Quod*

cui servandum datum est, si id usus est, sive quod utendum accepit, ad aliam rem atque accepit usus est, furti se obligavit.

Ad verba 'quod cui servandum datum est' cf. Gai. III, 196 'si quis re, quae apud eum deposita sit utatur, furtum committit'. ad verba 'quod utendum accepit' cf. Gai. ibid. 'et si quis utendam rem acceperit eamque in alium usum transtulerit, furti obligatur, veluti si quis argentum utendum acceperit, quasi amicos ad cenam invitaturus et id peregre secum tulerit, aut si quis equum gestandi gratia commodatum longius aliquo duxerit, quod veteres scripserunt de eo qui in aciem perduxisset'. hoc exemplum ipsum Mucium attulisse conicere licet, cum non solum Gaius hoc 'veteres' scripsisse tradat, sed etiam Pomponius libro vicensimo primo ad Q. Mucium (D. 13, 6, 21) haec scribat: 'si commodavero tibi equum, quoutereris usque ad certum locum'. ad utrumque exemplum conferas D. 47, 2, 17 pr., ubi Pomponius libro trigensimo octavo ad Quintum Mucium scribit: 'qui re sibi commodata vel apud se deposita usus est aliter atque accepit, si existimavit se non invito domino id facere, furti non tenetur'. Gai. III, 196 hoc de commodato tradit: 'placuit .. eos qui rebus commodatis aliter uterentur quam utendas accepissent, ita furtum committere, si intellegant id se invito domino facere'.

2[a]. C. 6, 2, 22, 1. .. quaerebatur apud antiquos legum interpretes, si quis commodavit alii rem ad se pertinentem et ipsa res subtracta est, an furti actio adversus furem institui possit ab eo qui rem utendam accepit.

2[b]. D. 47, 2, 77, 1. Idem (Pomponius) libro trigensimo octavo ad Quintum Mucium (P. 322). Si quis alteri furtum fecerit et id quod subripuit alius ab eo subripuit, cum posteriore fure dominus eius rei furti agere potest, fur prior non potest, ideo quod domini interfuit, non prioris furis, ut id quod subreptum est salvum esset. haec Quintus Mucius refert.

3. D. 13, 6, 5, 3. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 802). Commodatum autem plerumque solam utilitatem continet eius cui commodatur, et ideo verior est Quinti Mucii sententia existimantis, et culpam praestandam et diligentiam et, si forte res aestimata data sit, omne periculum praestandum ab eo, qui aestimationem se praestaturum recepit.

4. Cic. ad fam. 7, 22. — Inluseras heri inter scyphos, quod dixeram controversiam esse, possetne heres quod furtum antea factum esset, furti recte agere. itaque ... id caput ubi haec controversia est, notavi et descriptum tibi misi, ut scires id quod tu neminem sensisse dicebas, Sex. Aelium, M'. Manilium, M. Brutum sensisse. ego tamen Scaevolae et Testae assentior.

5[a]. Gell. 17, 7, 1—3. — Legis veteris Atiniae verba sunt: 'quod subruptum erit, eius rei aeterna auctoritas esto' ... Q. Scaevola patrem suum et Brutum et Manilium viros adprime doctos quaesisse ait dubitasseque, utrumne in post facta modo furta lex valeret an etiam in ante facta, quoniam 'subruptum erit' utrumque tempus videretur ostendere, tam praeteritum quam futurum.

5[b]. D. 50, 16, 123. Idem (sc. Pomponius) libro vicensimo sexto ad Quintum Mucium (P. 296). Verbum 'erit' interdum etiam praeteritum nec solum futurum tempus demonstrat.

Liber XVII.

De repetitionibus?

Quod posteriores condictiones, id veteres repetitiones nominaverunt. cf. Pernice Labeo I, 420. de repetitionibus Mucium scripsisse certum est, sed eum condictionum genera proposuisse Bekker Aktionen I, 106, 121 sq. non recte putat. cf. Pernice l. c. III, 214 n. 4. fortasse condictio furtiva causa fuit, cur hoc libro de repetitionibus Mucius scriberet.

Gai. IV, 4. . . . 'nec res quae ⟨nostra iam est⟩, nostra amplius fieri potest. plane odio furum, quo magis pluribus actionibus teneantur, receptum est, ut extra poenam dupli aut quadrupli rei recipiendae nomine fures e⟨tiam⟩ hac actione teneantur »si paret eos dare oportere«, quamvis sit etiam adversus eos haec actio, qua rem nostram esse petimus'.

Mucii auctoritate id receptum fuisse, indicare videtur fragmentum quod subieci.

1. D. 13, 1, 16. Pomponius libro trigensimo octavo ad Quintum Mucium (P. 321). Qui furtum admittit vel re commodata vel deposita utendo, condictione quoque ex furtiva causa obstringitur . .

2. D. 12, 6, 52. Pomponius libro vicensimo septimo ad Quintum Mucium (P. 297). Damus aut ob causam aut ob rem: ob causam praeteritam, veluti cum ideo do, quod aliquid a te consecutus sum vel quia aliquid a te factum est ut, etiamsi falsa causa sit, repetitio eius pecuniae non sit: ob rem vero datur, ut aliquid sequatur, quo non sequente repetitio competit.

Hanc sententium ipsius Mucii esse Pernice Labeo I, 422 sq. monuit, quia Pomponius de falsa causa aliter sentiat. l. 23 pr. eod.

3? D. 12, 6, 50. Pomponius libro quinto ad Quintum Mucium (P. 242). Quod quis sciens indebitum dedit hac mente, ut postea repeteret, repetere non potest.

Pernice Labeo I, 423 n. 25; III, 239 n. 3 hanc quoque sententiam Mucii esse posse iudicat.

Liber XVIII.

De publicatione praediorum bonorumque vel de iure populi?

Talis argumenti extremum Mucii librum fuisse Pomponii ultimi libri fragmenta duo (P. 323, 324) indicant. etiam Pomponii ad Sabinum liber ultimus, qui de postliminio agit, publicationis mentionem facit: 'verum est

expulsis hostibus ex agris quos ceperint, dominia eorum ad priores dominos redire nec aut publicari aut praedae loco cedere: publicatur enim ille ager qui ex hostibus captus est' (D. 49, 15, 20).

Fortasse fragmentum, quod de capitis deminutione maxima est D. 40, 12, 23 pr. (supra p. 94), huic libro adtribuendum est.

Plane incertae sedis fragmenta.

1. D. 39, 3, 1 §§ 3. 4. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285). De eo opere, quod agri colendi causa aratro factum sit, Quintus Mucius ait non competere hanc actionem ... fossas agrorum siccandorum causa factas Mucius ait fundi colendi causa fieri, non tamen oportere corrivandae aquae causa fieri: sic enim debere quem meliorem agrum suum facere, ne vicini deteriorem faciat.

2. D. 43, 24, 1, 5. Ulpianus libro septuagesimo primo ad edictum (P. 1592). vi factum videri Quintus Mucius scripsit, si quis contra quam prohiberetur fecerit.

3. D. 43, 24, 5, 8. Ulpianus libro septuagesimo <primo> ad edictum (P. 1593). Haec verba 'quod vi aut clam factum est', ait Mucius ita esse 'quod tu aut tuorum quis aut tuo iussu factum est'.

4. D. 17, 1, 48. Celsus libro septimo Digestorum (P. 68). Quintus Mucius Scaevola ait, si quis sub usuris creditam pecuniam fideiussisset et reus in iudicio conventus cum recusare vellet sub usuris creditam esse pecuniam et fideiussor solvendo usuras potestatem recusandi eas reo sustulisset, eam pecuniam a reo non petiturum. sed si reus fideiussori denuntiasset, ut recusaret sub usuris debitam esse nec is propter suam existimationem recusare voluisset, quod ita solverit, a reo petiturum.

Tribonianus Celsi verba non videtur ipsa exhibere. Lenel pro fideiussore fidepromissorem nominatum fuisse putat.

5. Cic. de offic. 3, 17, 70. — Q. quidem Scaevola pontifex maximus summam vim dicebat esse in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur ex fide bona fideique bonae nomen existimabat manare latissime idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis venditis, conductis locatis, quibus vitae societas contineretur. in his magni esse iudicis statuere, praesertim cum in plerisque essent iudicia contraria, quid quemque cuique praestare oporteret.

6. D. 3, 5, 10. Pomponius libro vicensimo primo ad Q. Mucium (P. 278). si negotia absentis et ignorantis geras, et culpam et dolum praestare debes.

Quae verba Mucii esse Pernice Labeo I, 494 et II, 302 vidit; nam non solum Pomponius addit: 'sed Proculus interdum etiam casum praestare debere' et sq., sed etiam Ulpianus D. 3, 5, 3, 9 tradit: 'interdum in negotiorum gestorum actione Labeo scribit, dolum solum modo versari'.

7? D. 41, 1, 54. Idem (Pomponius) libro trigensimo primo ad Q. Mucium (P. 308). Homo liber hereditatem nobis adquirere non potest.

Lenel ad Pomponium 308 haec verba Mucii esse conicit, quamquam in Mucianis fragmentis non exhibet.

8. Augustin. de civit. dei 4, 27. — relatum est in litteras, doctissimum pontificem Scaevolam disputasse, tria genera tradita deorum: unum a poetis, alterum a philosophis, tertium a principibus civitatis. primum genus nugatorium dicit esse, quod multa de diis fingantur indigna; secundum non congruere civitatibus, quod habeat aliqua supervacua, alia etiam, quae obsit populis nosse. de supervacuis non magna causa est: solet enim et a iuris peritis dici 'superflua non nocent'. quae sunt autem illa, quae prolata in multitudinem nocent? haec, inquit: non esse deos Herculem Aesculapium Castorem Pollucem; proditur enim a doctis, quod homines fuerint et humana condicione defecerint. quid aliud? quod eorum qui sint dii, non habeant civitates

vera simulacra, quod verus deus nec sexum habeat nec aetatem nec definita corporis membra. poeticum sane deorum genus cur Scaevola respuat, eisdem litteris non tacetur: quia sic videlicet deos deformant, ut nec bonis hominibus comparentur, cum alium faciunt furari, alium adulterare; sic item aliquid turpiter atque inepte dicere ac facere: tres inter se deas certasse de praemio pulcritudinis, victas duas a Venere Troiam evertisse; Iovem ipsum converti in bovem aut cygnum, ut cum aliqua concumbat; deam homini nubere; Saturnum liberos devorare; nihil denique posse confingi miraculorum atque vitiorum, quod non ibi reperiatur atque a deorum natura longe absit.

Fortasse haec disputatio in libros recepta non erat.

9. Cicero de legib. 2, 19. — Quaeruntur .. qui adstringantur sacris ... quarto [qui] si nemo est, qui ullam rem ceperit, <de> creditoribus eius qui plurimum servet ...

cf. quae supra p. 82 disputavi.

10. Cicero ibid. — Extrema persona est, ut si qui ei qui mortuus est, pecuniam debuerit neminique eam solverit, proinde habeatur, quasi eam pecuniam ceperit. haec nos a Scaevola didicimus ...

IV. Liber singularis ὅρων.

Q. Mucium hunc librum iam editis iuris civilis libris composuisse verisimile est. Triboniano Mucii librum integrum in manibus fuisse pro certo Krueger p. 327 statuit. at argumenta quae profert neque gravioris momenti videntur et alia re a Kruegero neglecta confutantur. certe Mucii librum in indicem librorum receptum videmus; sed id nihil aliud demonstrat quam Tribonianum doctrinae gloriam appetivisse. quod praeterea Mucii fragmenta certum locum in fragmentorum serie obtinent, quomodo id probare potest, Tribonianum Mucii fragmenta non ex secunda manu accepisse? rem eo decidi censeo, quod in huius

libri fragmentis Mucii oratio non magis servata videtur quam in illis quae apud Pomponium legimus. ὅρων liber in scholis nova orationis forma indutus videtur esse; nam ea quam habemus, Cervidii Scaevolae dictioni in Regularum libris non dissimilis est, cum haud conveniat Mucianae orationi apud Gellium servatae.

Quid de rerum ordine iudicandum sit, qui D. 50, 17, 73 reperitur, nescimus.

1. D. 50, 17, 73, 1. Quintus Mucius Scaevola libro singulari ὅρων. Nemo potest tutorem dare cuiquam nisi ei, quem in suis heredibus cum moritur habuit habiturusve esset, si vixisset.

2. Ibid. 3. Quae in testamento ita sunt scripta, ut intellegi non possint, perinde sunt ac si scripta non essent.

3. Ibid. pr. Quo tutela redit, eo et hereditas pervenit, nisi cum feminae heredes intercedunt.

4. D. 41, 1, 64. Quintus Mucius Scaevola libro singulari ὅρων. Quae quisque aliena in censum deducit, nihilo magis eius fiunt.

5. D. 43, 20, 8. Scaevola libro singulari ὅρων. Cui (cuius?) per fundum iter aquae debetur, quacumque vult in eo rivum licet faciat, dum ne aquae ductum interverteret.

6. D. 50, 17, 73, 2. Quintus Mucius Scaevola libro singulari ὅρων. Vi factum id videtur esse, qua de re quis cum prohibetur fecit, clam, quod quisque cum (quod quis clam eo quocum?) controversiam haberet habiturusve se putaret, fecit.

7. D. 50, 16, 241. Quintus Mucius Scaevola libro singulari ὅρων. In rutis caesis ea sunt, quae terra non tenentur quaeque opere structili tectoriove non continentur.

8. D. 50, 7, 13, 4. Quintus Mucius Scaevola libro singulari ὅρων. Nec paciscendo nec legem dicendo nec stipulando quisquam alteri cavere potest.

V. SEPTIMI SAECULI IURIS CONSULTORUM SERIES TERTIA

1. Q. Valerius Soranus. — 2. C. vel T. Iuventius. — 3. L. Iulius Caesar? — 4. .. Manilius? — 5. M. Varro Lucullus? — 6. P. Orbius. — 7. Aulus Verginius. — 8. Volcacius. — 9. Q. Lucretius Vispillo. — 10. C. Visellius Varro. — 11. Octavius Hersennius? — 12. Nicostratus. — 13. Q. Cornelius Maximus. — 14. C. Aquillius Gallus.

1. Q. VALERIUS SORANUS

Sorae circa a. 600/154 natus, a L. Crasso apud Ciceronem de or. 3, 43 (a. 663/91) 'litteratissimus togatorum omnium' dictus, Varronis quasi praeceptor, distinguendus a Valerio illo Sorano tribuno plebis, qui arcanum urbis nomen enuntiare ausus senatus iussu occisus est. Varro apud Serv. Aen. 1, 277.

Valerio huic XII tabularum explanatio, cuius meminit Festus, recte adtribui solet.

Ad XII tabularum leges.

Fest. p. 321. in XII: NEX ... FORTI SANATI ... id est bonor⟨um ... sunt⟩ qui et infe ... ⟨ut ait⟩ Cincius l. II de officio ⟨iuris con⟩sulti. ne Valerius ⟨quidem⟩ ... in XII explanati⟨one rem expedivit⟩.

C. O. Mueller: 'ne Valerius ⟨quidem Messalla⟩ ...' supplevit, contra Schoell p. 35. cf. infra Messallam VII, 2.

2. C. vel T. IUVENTIUS

Pomponius § 42 'Mucii auditores fuerunt ... Gaius Iuventius'. idem, ut videtur, atque T. Iuventius, quem Cicero laudat Brut. 178 'in eodem genere causarum multum erat T. Iuventius, nimis ille quidem lentus in dicendo et paene frigidus, sed et callidus et in capiendo adversario versutus, et praeterea nec indoctus, et magna cum iuris civilis intelligentia'. 179 'cuius auditor P. Orbius, meus fere aequalis ...' cf. infra V, 6. itaque si praeceptorem viginti fere annis natu maiorem fuisse putas, Iuventius circa a. 628/126 natus ante a. 672/82 Mucium audiit.

Pomponius Iuventium inter eos Mucii auditores numerat, qui 'praecipuae auctoritatis fuerunt', eumque etiam libros scripsisse indicat; nam ita concludit: 'omnes ... hi a Servio Sulpicio nominantur, alioquin per se eorum scripta non talia exstant, ut' rel. at neque responsum neque librorum fragmentum traditum est.

---

3. L. IULIUS CAESAR?

fortasse frater maior natu L. Julii Caesaris Strabonis pontificis (Teuffel-Schwabe § 153, 3), ipse cos. 664/90, a Marianis 667/87 cum fratre illo occisus (Teuffel-Schwabe § 199, 3). L. Caesar Festi et Prisciani certe idem est atque Iulius Caesar Macrobii.

Augurales vel auspiciorum libri.

Liber XVI.

1. Macrob. sat. 1, 16, 29. — Iulius Caesar sexto decimo auspiciorum libro negat, nundinis contionem advocari posse, id est, cum populo agi, ideoque nundinis Romanorum haberi comitia non posse.

Ex incertis libris.

2. Fest. p. 161 v. maiorem. — Maiorem consulem L. Caesar putat dici vel eum, penes quem fasces sint, vel eum, qui prior factus sit; praetorem autem maiorem urbanum, minores ceteros.

3. Priscian. 6, 16, 86. — Caesar in auguralibus: *sincera pecus erat.*

4. Priscian. 8, 4, 15. — L. Caesar: *certaeque res augurantur οἰωνοσκοποῦνται.*

---

4. .. MANILIUS?

fortasse L. Manlius, proquaestor Sullae circa 670/84 et Galliae Narbonensis praeses circa 677/77.

De iure sacro?

1. Fest. 334: sexagenarios ⟨de ponte olim deiciebant⟩, cuius causam Mani⟨lius hanc refert, quod Romam⟩ qui incoluerint ⟨primi Aborigines, aliquem h⟩ominem sexaginta ⟨annorum qui esset, immolare⟩ diti Patri quot⟨annis soliti fuerint⟩. quod facere eos de⟨stitisse adventu Her⟩culis, sed religio⟨sa veteris ritus observatione sc⟩irpeas hominum effi⟨gies de ponte in Tiberim antiquo⟩ modo mittere ⟨instituisse⟩.

2. Arnob. adv. nat. 3, 38. — Novensiles Piso deos esse credit nomen in Sabinis apud Trebiam constitutos, hos Granius Musas putat .. deos novem Manilius, quibus solis Iupiter potestatem iaciendi sui permiserit fulminis.

---

5. M. VARRO LUCULLUS?

praetor 678/76.

Cicero pro Tullio 8 '. . . cum multae familiae dicerentur in agris longinquis et pascuis armatae esse caedesque facere cumque ea consuetudo non solum ad res

privatorum, sed ad summam rem publicam pertinere videretur, M. Lucullus, qui summa aequitate et sapientia ius dixit, primus hoc iudicium (de damno vi hominibus armatis coactisve dato) composuit et id spectavit, ut omnes ita familias suas continerent, ut non modo armati damnum nemini darent, verum etiam lacessiti iure se potius quam armis defenderent . . .'

Fortasse 'Varius Lucullus', qui apud Pomponium ad Sabinum (v. infra) laudatur, idem est, ita ut eum etiam de iure respondisse debeamus statuere.

Responsa?

D. 41, 1, 19 pr. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 414). Liber homo qui bona fide mihi servit, id quod ex operis suis aut ex re mea pararet, ad me pertinere sine dubio Aristo ait . . . sed hereditatem legatumve non adquiri mihi per eum, quia neque ex re mea neque ex operis suis id sit nec ulla eius opera esset in legato [in hereditate aliquatenus, quia per ipsum adiretur], quod et Varium Lucullum (fortasse: Varronem Lucullum) aliquando dubitasse.

Uncis inclusa verba a Triboniano addita esse A. Pernice recte monuit.

6. P. ORBIUS

a. 691/63 praetor Asiae.

Cicero Brut. 179. 'Cuius (T. Iuventii supra V, 2 nominati) auditor P. Orbius, meus fere aequalis, in dicendo non nimis exercitatus, in iure autem civili non inferior quam magister fuit'. pro Flacco (a. 695/59) 76: 'Illi igitur, illi Pergameni proscriptiones, quas tu afferebas, repudiaverunt. P. Orbius, homo et prudens et innocens, contra te omnia decrevit.'

Responsa.

Nulla exstant.

7. AULUS VERGINIUS

Pomponius § 40 'Ab his (P. Mucio, Bruto et Manilio) profecti sunt .. [P.] Aulus Verginius'. cf. Cicero Lael. 27, 101 'A. Verginii familiaritate delector'.

---

8. VOLCACIUS

Cascellium (infra VII, 1) ius civile docuit (Plin. h. n. 8, 40, 144). cf. Pomponius 45: 'Aulus Cascellius, Quinti Muci auditoris Volcacii auditor' (sic Mommsen pro: Quintus Mucius Volusii auditor).

---

9. Q. LUCRETIUS VISPILLO

Cicero Brut. 170 'in privatis causis et acutus et iuris peritus'.

---

10. C. VISELLIUS VARRO

C. Visellii Aculeonis filius, 'perfectus in litteris, iurisque civilis iam a patre .. traditam tenuit disciplinam', 'cum post curulem aedilitatem iudex quaestionis esset, est mortuus'. Cicero Brut. 244.

Non de hoc puto dici, quae Valerius Maximus 8, 2, 2 narrat. 'C. Visellius Varro gravi morbo correptus trecenta milia nummum ab Otacilia Laterensi, cum qua commercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passus est eo consilio, ut si decessisset, ab heredibus eam summam peteret; quam legati genus esse voluit, libidinosam liberalitatem debiti nomine colorando. evasit deinde Visellius ex illa tempestate adversus vota Otaciliae. quae offensa, quod spem praedae suae morte non maturasset, ex amica obsequenti subito destrictam foeneratricem agere

coepit nummos petendo, quos ut fronte inverecunda ita inani stipulatione captaverat. de qua re C. Aquillius .. iudex addictus, adhibitis in consilium principibus civitatis, prudentia et religione sua mulierem repulit'.

---

11. OCTAVIUS HERSENNIUS?

a Macrobio (v. infra) inter Varronem et Antonium Gniphonem (de quo Teuffel-Schwabe § 159, 5) nominatus.

De sacris Saliaribus Tiburtium.

Macrob. sat. 3, 12, 7. — ut praeterea Octavii Hersennii liber, qui inscribitur de sacris Saliaribus Tiburtium, in quo Salios Herculi institutos operari diebus certis et auspicato docet.

---

12. NICOSTRATUS

Festi uno tantum loco nobis notus huius fere aetatis fuisse videtur.

De senatu habendo.

Fest. p. 347 v. senacula. — Senacula tria fuisse Romae, in quibus senatus haberi solitus sit, memoriae prodidit Nicostratus in libro, qui inscribitur de senatu habendo, unum, ubi nunc est aedis Concordiae inter Capitolium et forum, in quo solebant magistratus d(um) t(axat) cum senioribus deliberare, alterum ad portam Capenam, tertium citra aedem Bellonae, in quo exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, senatus dabatur.

---

13. Q. CORNELIUS MAXIMUS

Trebatii Testae praeceptor (Pomponius § 45), quem Cicero in epistolis ad Trebatium a. 700/54 memorat (ad fam. 7, 8) 'querar cum Vacerra et Manilio: nam Cornelio nihil audeo dicere, cuius tu periculo stultus es, quoniam te ab eo sapere didicisse profiteris'. 7, 17, 3 'hoc, quemadmodum vos scribere soletis in vestris libris, idem Q. Cornelio videbatur'. idem, ut videtur, atque 'Cornelius' Alfeni vel potius Servii D. 33, 7, 16, 1 (cf. infra) et fortasse idem atque 'Maximus' senatus consulti anni 743/11 de flaminica Diali apud Gai. 1, 136 ('.. Maximi et Tuberonis cautum est, ut haec quod ad sacra tantum videatur in manu esse ...').

Responsa.

D. 33, 7, 16, 1. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum. Vinea et instrumento eius legato instrumentum vineae nihil esse Servius respondit. qui cum consulebat, Cornelium respondisse aiebat, palos perticas rastros ligones instrumenti vineae esse.

---

14. C. AQUILLIUS GALLUS

Q. Mucii auditor (Pomponius § 24), Ciceronis familiaris, eques, qui in Viminali domum pulcherrimam habebat (Plin. h. n. 17, 2), homo acutus et exercitatus promptae et paratae in agendo et in respondendo celeritatis (Cicero Brut. 154), 'vir magnae auctoritatis et scientia iuris excellens' (Val. Max. 8, 2, 2), iudex in causa Otaciliae Laterensis et C. Visellii Varronis (Val. Max. l. c.), 673/82 iudex in Quinctii causa, 688/66 praetor quaestionis de ambitu (Cicero pro Cluentio 53, 147), consulatum non petiit, ut iuris arti viveret (Cicero ad Attic. 1, 1, 1

a. 689/65 'Aquillium non arbitramur, qui denegavit et iuravit morbum et illud suum regnum iudiciale opposuit'), postea aliquamdiu Cercinae degebat, ubi Servium Sulpicium Rufum instruxit, obiit post a. 699/55 (Cicero ad Att. 4, 12 '(Egnatius) graviter se acturum cum Aquillio confirmavit') et ante a. 710/44 (Cicero Topic. 32: 'solebat Aquillius . .').

Cicero pro Caecina 78 has Gallo laudes tribuit: 'numquam eius auctoritatem nimium valere, cuius prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perspexerit, qui iuris civilis rationem numquam ab aequitate seiunxerit, qui tot annos ingenium laborem fidem suam populo Romano promptam expositamque praebuerit, qui ita iustus et bonus vir est, ut natura, non disciplina consultus esse videatur, ita peritus ac prudens, ut ex iure civili non scientia solum quaedam, verum etiam bonitas nata videatur, cuius tantum est ingenium, ita prompta fides, ut quidquid inde haurias, purum liquidumque te haurire sentias.'

Gallus Aquillius partim Q. Mucium secutus est (D. 32, 29, 1: 'Q. Mucius et Gallus putabant'; 40, 7, 39 pr.: 'Q. Mucius, Gallus . . . putant'), partim novas sententias induxit (D. 28, 2, 29 pr.: 'Gallus . . induxit'; 28, 5, 75: 'idque auctoritate Galli Aquillii factum est'; 30, 127: 'optinuit Galli sententia').

Gallum etiam libros scripsisse inter alios Krueger p. 60 putat; Pomponius enim § 43 haec habet: '. . Servius . . operam dedit iuri civili . . ., institutus a Balbo Lucilio, instructus autem maxime a Gallo Aquilio, qui fuit Cercinae; itaque libri complures eius extant Cercinae confecti'. utrum vero ad Gallum an ad Servium verba extrema 'itaque . . . confecti' referenda sint, quaeritur. cf. Rob. Schneider de Ser. Sulpicio Rufo spec. I (Lips. 1834) p. 19 sq. sed cum de Galli libris ceterum nihil traditum sit, verba illa potius ad Servium referenda esse puto.

Gallus ne responsa quidem sua ipse collegit aut edidit. quod Teuffel-Schwabe § 174, 1 dicit: 'nur von

einigen rechtlichen Formularen wissen wir, dass Aquillius sie selbst schriftlich veröffentlicht hat', manifesto errat: Aquillius Gallus formulas quas novas composuit, consulentibus dedit fortasse etiam conscriptas; at eum formulas foras edidisse nequaquam traditum est.

Unum tantum fragmentum ex Aquillii libro desumptum videatur, scilicet quod Dion. Hal. 3, 61 refert ('Γάϊος Ἀκύλιός φησιν') quodque et Lenel P. 15 et Huschke 4 in Aquillii fragmenta receperunt. sed alii viri docti non hunc C. Aquillium, sed potius 'C. Acilium' designari, 'qui graece scripsit historiam' (Cic. de off. 3, 115), viderunt. Teuffel-Schwabe § 127, 2. H. Jordan Topographie I, 1 p. 442 n. 60. itaque fragmentum illud in historicorum Rom. fragmenta recepit H. Peter (p. 37).

In Iustiniani Digestis hi fere 'Gallum Aquillium' vel 'Gallum' laudant: Labeo (D. 32, 29, 1; 34, 2, 32, 1; 40, 7, 39 pr.), Mela (D. 19, 1, 17, 6), Iavolenus (v. Labeo), Iulianus (D. 50, 16, 17), Celsus (D. 43, 24, 7, 4; cf. 50, 16, 96 ex Mommseni emendatione), Florentinus (D. 46, 4, 18, 1), Scaevola (D. 28, 2, 29 pr.), Paulus (D. 30, 127; 34, 2, 32, 1; 50, 16, 77), Ulpianus (D. 8, 5, 6, 2; 19, 1, 17, 6; 30, 30, 7; 43, 24, 7, 4). Iulianus et Ulpianus Gallum 'recte' aliquid dixisse vel definisse aiunt (D. 50, 16, 77; 19, 1, 17, 6).

Ceterum Aquillius numquam scripsisse aliquid, sed tantum 'aiere' (D. 19, 1, 17, 6; 34, 2, 32, 1), 'putare' (D. 8, 5, 6, 2; 32, 29, 1; 40, 7, 39 pr.), 'dubitare' (D. 43, 24, 7, 4) dicitur, cum iidem scriptores exempli gratia Melam fere ubique aliquid scribentem allegent (P. 2. 3. 4. 5. 7. 8. 10. 13. 15. 16. 23. 28. 29. $30^{b. c. d.}$ 31).

Aquillii sententias inprimis a Servio Sulpicio (D. 32, 29, 1; 40, 7, 39 pr; 43, 24, 7, 4), Aulo Ofilio (D. 30, 30, 7; 40, 7. 39 pr.), Trebatio Testa (D. 30, 30, 7), Labeone (D. 34, 2, 32, 1), Mela (D. 19, 1, 17, 6) posteris traditas esse verisimile est. fortasse Servius Sulpicius praeceptoris responsa collecta notis adiectis edidit.

I. Res a Gallo iudicatae.

1. Valer. Max. 8, 2, 2. — C. Visellius Varro gravi morbo correptus trecenta milia nummum ab Otacilia Laterensi, cum qua commercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passus est eo consilio, ut si decessisset, ab heredibus eam summam peteret; quam legati genus esse voluit libidinosam liberalitatem debiti nomine colorando. evasit deinde Visellius ex illa tempestate adversus vota Otaciliae. quae offensa, quod spem praedae suae morte non maturasset, ex amica obsequenti subito destrictam foeneratricem agere coepit nummos petendo, quos ut fronte inverecunda, ita inani stipulatione captaverat. de qua re C. Aquillius ... iudex addictus, adhibitis in consilium principibus civitatis, prudentia et religione sua mulierem repulit.

De re Pernice Labeo II, 115 et in secunda libri editione extremo anno 1895 mihi allata p. 238 sq. ait: 'Die Klage war die a. de certa pecunia credita. Es ist wohl anzunehmen, dass Visellius die Einschaltung der exceptio doli erlangte und so den Zweck und das Wesen des abgeschlossenen Rechtsgeschäfts zur Geltung brachte. Dass Aquillius ohne exceptio darauf hätte eingehen dürfen, widerspricht allem was wir sonst wissen ... Ist diese Vermuthung richtig, so haben wir nach des Valerius Darstellung offenbar hier den ersten Fall, wo ein Richter es wagte, einer formell zweifellosen Verbindlichkeit gegenüber aus den begleitenden Umständen zu Ungunsten des Klägers Schlüsse zu ziehen.'

2. Quinctii causa haec erat. P. Quinctii frater, Caius Quinctius, cum P. Naevio societatem coierat. post C. Quinctii mortem inter P. Quinctium fratris heredem et Naevium lis orta est. Naevius a praetore Burrieno a. 671/83 missionem in Quinctii bona adeptus est. a. 673/81 a praetore Dolabella praeiudicium ordinabatur

de sponsione: 'si bona P. Quinctii ex edicto P. Burrieni praetoris dies XXX possessa non essent.'

Kuebler 'der Process des Quinctius und C. Aquillius Gallus' (Z. d. Savigny-Stiftung XIV 54 ff.) Aquillium contra Naevium pronuntiasse conicit.

II. Novae formulae introductae.

Aquillius non paucas formulas novas introduxit, partim actionum vel exceptionum, partim negotiorum solemnium.

1. Cicero de offic. 3, 60. 'Stomachari Canius, sed quid faceret? nondum enim Aquillius collega et familiaris meus protulerat de dolo malo formulas ..' de natura deor. 3, 74 '. . . inde everriculum malitiarum omnium, iudicium de dolo malo, quod C. Aquillius familiaris noster protulit.' — quae Ciceronis verba dubitationem habent, inprimis utrum actionem tantum de dolo, an etiam doli exceptionem dicat. verba 'de dolo malo formulas' ad actionem et exceptionem referri debere Dernburg Compensation (2. Aufl.) p. 171 ait, cum Pernice Labeo II 95 actionem tantum Aquillium proposuisse arbitretur. at nunc in secunda libri editione p. 198 sq. vir doctissimus haec scribit: 'Ob auch die exceptio doli von Aquillius ausgegangen sei oder in ältere Zeit hinaufreiche, ist ungewiss. An sich scheint die gleichzeitige Entstehung natürlich. Der Plural formulae, den Cicero für Aquillius Schöpfung verwendet, gewährt immerhin dafür seinen gewissen Anhalt: Cicero durfte beide Rechtsmittel zur Noth so zusammenfassen, wenn auch formula für die exceptio sonst nicht gebraucht wird. .. Andererseits spricht für ein höheres Alter der exceptio nichts entscheidendes. Das Provinzialedict des Q. Mucius Scaevola vom J. 654/100 enthielt materiell eine exceptio doli. Aber äusserlich weicht die Formel von der edictalen, wie wir sie kennen, stark ab . . . sie ist nicht auf dolus, sondern auf fides bona abgestellt. Das sieht nicht wie

Nachahmung des Edictssatzes aus, sondern gerade wie eine Erfindung des Q. Mucius, der auch hier die ihm so liebe fides bona anbringt.' 'Ulpians Bemerkung in fr. 2 pr. de dm. exc. 44, 4 hat keine geschichtliche Bedeutung, wie ich das früher angenommen habe ...' 'So bleibt eigentlich nur die Bemerkung Ulpians (fr. 4 P. 33 de dm. exc. 44, 4): metus causa exceptionem Cassius non proposuerat, contentus doli exceptione, quae est generalis ... Der Gedanke ist: Cassius habe die exc. metus nicht 'proponiert', weil seiner Ansicht nach die exc. doli als allgemeine auch für die Fälle des Zwanges ausreichte. Danach konnten zu seiner Zeit schon beide Einreden vorhanden sein ... Die octavische Formel für die a. metus fällt noch unter Sullas Regierung, frühestens ins J. 679/75, kurz vor die makedonische Prätur des L. Metellus von 684/70. Die exceptio aber ist erst später entstanden. Damit kommen wir schon bis ins Jahr der Prätur des Aquillius (688/66): und dies wird man doch wohl als den spätesten Zeitpunkt für die Einführung der Dolusrechtsmittel ansehen müssen.'

Aquillium ad exemplum Mucii etiam doli exceptionem auctoritate sua introduxisse dubitari nequit. in causa illa, quam Gallum Aquillium iudicasse Valerius Maximus refert, iudex eum, qui iure civili tenebatur, primus aequitatis ratione absolvisse videtur, et quidem doli exceptionis auxilio. quid, si ipsum Aquillium praetori proposuisse coniciamus, ut causa cognita hanc exceptionem accommodaret: 'si in ea re nihil dolo malo Otaciliae Laterensis factum sit neque fiat' (Gai. 4, 119)?

2. J. 3, 29, 2. 'est prodita stipulatio, quae vulgo Aquilliana appellatur, per quam stipulationem contingit, ut omnium rerum obligatio in stipulatum deducatur et ea per acceptilationem tollatur. stipulatio enim Aquilliana novat omnes obligationes'. quae sequuntur v. infra.

D. 46, 4, 18 § 1. Florentinus libro octavo Institutionum. Eius rei stipulatio, quam acceptio sequatur, a Gallo Aquillio talis exposita est:

'Quidquid te mihi ex quacumque causa dare facere oportet oportebit praesens in diemve, quarumque rerum mihi tecum actio quaeque adversus te petitio vel adversus te persecutio est eritve, quodve tu meum habes tenes possides: quanti quaeque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari stipulatus est Aulus Agerius, spopondit Numerius Negidius.'

'Quod Numerius Negidius Aulo Agerio promisit spopondit, id haberetne a se acceptum Numerius Negidius Aulum Agerium rogavit, Aulus Agerius Numerio Negidio acceptum fecit'.

J. 3, 29, 2 (v. supra). 'et a Gallo Aquillio ita composita est:

'Quidquid te mihi ex quacumque causa dare facere oportet oportebit praesens in diemve, quarumque rerum mihi tecum actio quaeque abs te petitio vel adversus te persecutio est erit, quodque tu meum habes tenes possides possidereresve dolove malo fecisti, quo minus possideas: quanti quaeque earum res erit, tantam pecuniam dari stipulatus est Aulus Agerius, spopondit Numerius Negidius'.

Item e diverso Numerius Negidius interrogavit Aulum Agerium: 'quidquid tibi hodierno die per Aquillianam stipulationem spopondi, id omne habesne acceptum?' respondit Aulus Agerius; 'habeo acceptumque tuli'.

Formulam a Triboniano aliquatenus mutatam esse apparet. sed ne ea quidem formula, quam Florentinus habet, Aquillii est; Florentinus potius cautionis formulam dat, quae de stipulatione facta conscribi solebat: id

verba ostendunt: 'stipulatus est Aulus Agerius, spopondit Numerius Negidius'. Aquillius vero formulam primam ita fere conclusit: 'tantam pecuniam dare spondesne? spondeo'. secunda formula talis fere erat: 'quidquid tibi hodie spopondi, habesne acceptum? habeo acceptum'.

3. D. 28, 2, 29 pr. Scaevola libro sexto Quaestionum (P. 157). Gallus sic posse institui postumos nepotes induxit: 'si filius meus vivo me morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos sive quae neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus nata erit, heredes sunto'.

Ibid. § 2. Idem credendum est Gallum existimasse et de pronepote, ut dicat testator: 'Si me vivo nepos decedat, tunc qui ex eo pronepos' et cetera. cf. D. 28, 6, 33, 1. Africanus libro secundo Quaestionum. Si filius et ex eo nepos postumus ita heredes instituantur, ut Gallo Aquillio placuit . . .

III. Responsa.

Cicero pro Balbo 20. . . . 'nos de aqua nostra Tusculana M. Tugionem potius quam C. Aquillium consulebamus, quod assiduus usus uni rei deditus et ingenium et artem saepe vincit . . .'

1[a]. Cic. de off. 3, 60. — Cum ex eo (Aquillio) quaereretur quid esset dolus malus, respondebat, cum esset aliud simulatum, aliud actum.

1[b]. Cic. de nat. deor. 3, 14. — Quem dolum (malum) idem Aquillius tum teneri putat, cum aliud sit simulatum, aliud actum.

2. D. 50, 16, 77. Idem (Paulus) libro *quinquagesimo* nono ad edictum (P. 715). Frugem pro reditu appellari, non solum ⟨qui ex⟩ frumentis . . . capitur, Iulianus scribit. fruges omnes ⟨res⟩ esse, quibus homo vescatur, falsum esse . . . frumentum autem id esse, quod arista se teneat, recte Gallum definisse.

3[a]. Cic. top. 7, 32. — Solebat Aquillius, collega et familiaris meus, cum de litoribus ageretur, quae omnia publica esse vultis, quaerentibus iis, ad quos id pertinebat, quid esset litus, ita definire: qua fluctus eluderet.

3[b]. Quintil. instit orat. 5, 14, 34. — Cum etiam iurisconsulti, quorum summus circa verborum proprietatem labor est, litus esse audeant dicere, qua fluctus eludit.

3[c]. Dig. 50, 16, 96. Celsus libro vicensimo quinto Digestorum (P. 208). Litus est, quousque maximus fluctus a mari pervenit, idque Marcum Tullium aiunt cum arbiter esset, primum constituisse.

Errore hoc loco Marcus Tullius pro Gallo Aquillio positus est. Celsum ita fere scripsisse cum Mommseno iudico: 'idque Marcus Tullius Gallum Aquillium ait, cum arbiter esset' et q. s.

4. D. 28, 5, 75. Licinnius Rufus libro secundo Regularum (P. 5). Si ita quis heres institutus fuerit: 'excepto fundo, excepto usu fructu heres esto', perinde erit iure civili atque si sine ea re heres institutus esset, idque auctoritate Galli Aquillii factum est.

5. D. 30, 127. Paulus libro singulari de iure codicillorum (P. 896). A fratris postumo fideicommissum dari potest: sola enim voluntas servatur in fideicommissis, et optinuit Galli sententia, alienos quoque postumos legitimos nobis heredes fieri.

6. D. 32, 29 § 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 171). Cum ita legatum esset, ut Titia uxor mea tantandem partem habeat (capiat?) quantulam unus heres, si non aequales partes essent heredum, Q. Mucius et Gallus putabant maximam partem legatam esse, quia in maiore minor quoque inesset, Servius Ofilius minimam ...

7. D. 30, 30 pr. § 7. Ulpianus libro nono decimo ad Sabinum (P. 2597). Talis scriptura: 'quas pecunias legavi, quibus dies adpositus non est, eas heres meus

annua bima trima die dato' ... hanc ... scripturam non solum ad praecedentia sola legata, sed ad universa quae testamento adscripta sunt, extendi Gallus Aquillius, Ofilius, Trebatius responderunt.

8. D. 34, 2, 32 § 1. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 2074). (Auro facto adnumerantur gemmae anulis inclusae ... cymbia argentea crustis aureis illigata, margaritae, quae ita ornamentis muliebribus contextae sunt, ut in his aspectus auri potentior sit) ... aurea emblemata, quae in lapidibus apsidibus argenteis essent et replumbari possent, deberi Gallus ait.

9. D. 40, 7, 39 pr. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis (P. 196). 'Stichum Áttio do lego et, si is ei nummos centum dederit, liber esto' ... eum ... statuliberum esse Q. Mucius, Gallus ... putant, Servius Ofilius non esse ...

10. D. 8, 5, 6 § 2. Ulpianus libro septimo decimo ad edictum (P. 598). Etiam de servitute, quae oneris ferendi causa imposita erit, actio nobis competit, ut et onera ferat et aedificia reficiat ad eum modum, qui servitute imposita comprehensus est. et Gallus putat non posse ita servitutem imponi, ut quis facere aliquid cogeretur, sed ne me facere prohiberet.

11. D. 19, 1, 17 § 6. Ulpianus libro trigesimo secundo ad edictum (P. 938[c]). Si ruta et caesa excipiantur in venditione, ea placuit esse ruta, quae eruta sunt, ut harena, creta et similia: caesa ea esse, ut arbores caesas et carbones et his similia. Gallus autem Aquillius, cuius Mela refert opinionem, ... ait frustra in lege venditionis de rutis et caesis contineri [, quia, si non specialiter venierunt, ad exhibendum de his agi potest].

12. D. 43, 24, 7, 4. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1594). (apud Iulianum quaeritur, an haec exceptio noceat in hoc interdicto: 'quod non tu vi aut clam feceris'.) est et alia exceptio, de qua Celsus dubitat, an sit obicienda: ut puta si

incendii arcendi causa vicini aedes intercidi et quod vi aut clam mecum agatur, aut damni iniuria. Gallus enim dubitat, an excipi oporteret: 'quod incendii defendendi causa factum non sit'. Servius autem ait et q. s.

Mommsen pro Celsi nomine Galli substituit et verba 'Gallus enim dubitat' delet: *vereor ut recte.* nam Celsum hac de re disputasse alia testimonia docent a Lenelio allata D. 9, 2, 49, 1 et 47, 9, 3, 7 (P. 262), eundemque alias etiam Gallum Aquillium nominasse Mommsen ipse indicat, quippe qui D. 50, 16, 96 (Celsus libro vicensimo quinto Digestorum) Galli Aquillii nomen restituerit. itaque hoc quoque loco Celsus cum Gallo 'dubitat'. Ulpianum in libris ad edictum Aquillium Gallum vel simpliciter Gallum nominare videmus D. 8, 5, 6, 2.

VI. OCTAVI SAECULI IURIS CONSULTORUM SERIES PRIMA

1. M. Terentius Varro. — 2. M. Tullius Cicero. — 3. L. Lucilius Balbus. — 4. L. Valerius. — 5. C. Camillus. — 6. Titius? — 7. Sextus Papirius. — 8. Servius Sulpicius Rufus.

1. M. TERENTIUS VARRO

natus 638/116, triumvir (capitalis?), tribunus plebis, aedilis, pro quaestore proconsulis Pompeii, ut videtur 678/76 in Hispania, legatus eiusdem 687/67 in bello adversus praedones gesto, praetor, 695/59 vigintivir legis Iuliae agrariae, 705/49 iterum legatus Pompeii in Hispania, Caesari se dedit, bibliothecae publicae condendae curator electus, 711/43 proscriptus, fere nonagenarius decessit.

Composuit antiquitatum libros XLI, de vita populi Romani libros IIII ad Atticum (circa 711/43), de gente populi Romani libros IIII (711/43 vel brevi post editos), de lingua Latina libros XXV (711/43), rerum rusticarum libros III (717/37), de familiis Troianis, rerum urbanarum libros III, tribuum librum, epistolicas quaestiones, de gradibus, de iure civili libros XV.

Cicero acad. post. 1, 9 'nos in nostra urbe peregrinantes errantesque tamquam hospites tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando, qui et ubi essemus, agnoscere. tu aetatem patriae, tu discriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu

bellicam disciplinam, tu sedem regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti.'

I. Antiquitatum libri XLI.

Augustin. de civ. dei 6, 3 'XLI libros scripsit antiquitatum; hos in res humanas divinasque divisit, rebus humanis XXV, divinis XVI tribuit'. ibid. 6, 4. 'Varro propterea se prius de rebus humanis, de divinis autem postea scripsisse testatur, quod prius exstiterint civitates, deinde ab eis res divinae institutae sint.'

A. Rerum humanarum libri XXV.

P. Mirsch de M. T. Varronis antiquitatum rerum humanarum libris XXV: Leipziger Studien V (1882, 1—144) librorum ordinem et argumenta definire studuit, sed non feliciter. v. O. Gruppe: Philolog. Wochenschrift III, 464 sqq. R. Reitzenstein: Hermes XX p. 514 n. 1. ea tantum indico quae certa sunt. cf. Teuffel-Schwabe § 166 n. 4 a.

Liber I loquebatur communiter de omnibus, libri II usque ad VII de hominibus, libri VIII usque ad XIII de locis, libri XIV usque ad XIX de temporibus, libri XX usque ad XXV de rebus.

B. Rerum divinarum libri XVI ad Caesarem pontificem maximum scripti.

Fragmenta collegit R. Merkel in Ovidii Fastorum editione p. CVI.

Libro I sermo erat de rebus divinis communiter, II de pontificibus, III de auguribus, IV de quindecimviris sacrorum, V de sacellis, VI de sacris aedibus, VII de locis religiosis, VIII de feriis, IX de ludis circensibus, X de ludis scenicis, XI de consecrationibus, XII de sacris privatis, XIII de sacris publicis, XIV de deis certis, XV de deis incertis, XVI de deis praecipuis atque selectis.

Conferendi sunt Iustinianorum librorum tituli non pauci, inprimis C. 1, 56 de magistratibus (municipalibus); D. 5, 1 et C. 3, 1 de iudiciis . . .; D. 11, 7 de (locis) religiosis; D. 2, 12 de feriis et diversis temporibus; C. 1, 1 de summa trinitate.

II. Tribuum liber.

Varro l. l. 5, 56. — (ager Romanus primum divisus in partis tris . . .) ab hoc quattuor quoque partis urbis tribus dictae, ab locis Suburana Palatina Esquilina Collina; quinta quod sub Roma, Romilia. sic reliquae triginta ab his rebus, quibus in tribuum libro scripsi.

Fortasse reliquiae servantur apud Festum. L. Mercklin quaestiones Varronianae (Dorpat 1852) p. 5. cf. E. Bormann, die älteste Gliederung Roms. Eranos Vindob. 1893.

III. Augurum libri?

Macrob. sat. 1, 16, 19. — vitabant veteres ad viros vocandos etiam dies, qui essent notati rebus adversis, vitabant etiam feriis, sicut Varro in augurum libris scribit in haec verba: *viros vocare feriis non oportet: si vocavit, piaculum esto.*

Fortasse 'pro augurum libris' potius 'augurum libro' scribendum est, ita ut hoc fragmentum antiquitatum libris attribuendum sit. cf. Ritschl opusc. III, 480.

IV. *Εἰσαγωγικὸς* ad Pompeium.

Gell. 14, 7, 1. 'Gn. Pompeio consulatus primus cum M. Crasso designatus est. eum magistratum Pompeius cum initurus foret, quoniam per militiae tempora senatus habendi consulendique, rerum expers urbanarum fuit, M. Varronem familiarem suum rogavit, uti commentarium faceret 'isagogicum', sic enim Varro ipse appellat,

ex quo disceret, quid facere dicereque deberet, cum senatum consuleret. eum librum commentarium, quem super ea re Pompeio fecerat, perisse Varro ait in litteris, quas ad Oppianum dedit, quae sunt in libro epistulicarum quaestionum quarto, in quibus litteris, quoniam quae ante scripserat non comparebant, docet rursum multa ad eam rem ducentia.'

1. Ibid. 4. 5. — Primum ibi ponit, qui fuerint, per quos more maiorum senatus haberi soleret eosque nominat: dictatorem consules praetores tribunos plebis, interregem praefectum urbi, neque alii praeter hos ius fuisse dixit facere senatusconsultum, quoties usus venisset, ut omnes isti magistratus eodem tempore Romae essent, tum quo supra ordine scripti essent, qui eorum prior aliis esset, ei potissimum senatus consulendi ius fuisse ait, deinde extraordinario iure tribunos quoque militares, qui pro consulibus fuissent, item decemviros, quibus imperium consulare tum esset, item trium viros rei publicae reconstituendae causa creatos ius consulendi senatum habuisse.

2. Ibid. 6. — Postea scripsit de intercessionibus dixitque intercedendi, ne senatus consultum fieret, ius fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua ii qui senatusconsultum facere vellent, maioreve essent.

3. Ibid. 7. — Tum adscripsit de locis, in quibus senatus consultum fieri iure possit, docuitque confirmavitque, nisi in loco per augurem constituto, quod templum appellaretur, senatusconsultum factum esset, iustum id non fuisse. propterea et in curia Hostilia et in Pompeia et post in Iulia, cum profana ea loca fuissent, templa esse per augures constituta, ut in iis senatus consulta more maiorum iusta fieri possent. inter quae id quoque scriptum reliquit, non omnes aedes sacras templa esse ac ne aedem quidem Vestae templum esse.

Ibid. 8. — Post haec deinceps dicit, senatus consultum ante exortum aut post occasum solem factum

ratum non fuisse, opus etiam censorium fecisse existimatos, per quos eo tempore senatusconsultum factum esset.

Ibid. 9. 10. — Docet deinde inibi multa, quibus diebus habere senatum ius non sit, immolareque hostiam prius auspicarique debere, qui senatum habiturus esset, de rebusque divinis prius quam humanis ad senatum referendum esse, tum porro referri oportere aut infinite de republica, aut de singulis rebus finite; senatusque consultum fieri duobus modis: aut per discessionem, si consentiretur, aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas; singulos autem debere consuli gradatim incipique a consulari gradu. ex quo gradu semper quidem antea primum rogari solitum, qui princeps in senatum lectus esset; tum autem, cum haec scriberet, novum morem institutum refert per ambitionem gratiamque, ut is primus rogaretur, quem rogare vellet, qui haberet senatum, dum is tamen ex gradu consulari esset. praeter haec de pignore quoque capiendo disserit deque multa dicenda senatori, qui cum in senatum venire deberet, non adesset.

Ibid. 11. — Haec et alia quaedam id genus in libro, quo supra dixi, M. Varro epistula ad Oppianum scripta exsecutus est.

V. De iure civili libri XV.

Titulum operis catalogus Hieronymi exhibet; cf. Ritschl die Schriftstellerei des Varro: Rhein. Mus. N. F. VI, 485; opusc. III, 444. ceteri auctores nihil de his libris referunt. cf. Sanio Varroniana (1867) p. 209. quod idem vir doctus p. 134 ait: „In diesem Werk ... muſs (wie bei Cicero de iure civili ..) manches Litterarhistorische vorgekommen sein, hauptsächlich aber scheint es den älteren gleichnamigen Schriften gegenüber eine allgemeine juristische Propädeutik ... bezweckt zu haben“, in incerto relinquitur; quod vero p. 212 addit, „daſs er (Varro) in

diesem Werk das ius publicum nicht ausgeschlossen haben könne", idonea ratione nititur.

VI. De gradibus libri.

Serv. ad Aen. 5, 412. — Germanus est secundum Varronem in libris de gradibus de eadem genetrice manans, non, ut multi dicunt, de eodem germine, quos ille tantum fratres vocat, secundum quem bene nunc Erycem, Butae et Veneris filium Aeneae dicit fuisse germanum.

Conferendi sunt Pauli aliorumque iuris consultorum libri de gradibus (Krueger p. 252 sq.) et Iustinianorum Digestorum titulus XXXVIII, 10.

VII. De lingua Latina libri XXV.

Quae ad ius pertinent, e libris V, VI, VII et VIII congessit Bruns in font. II p. 53—63.

VIII. Rerum rusticarum libri III.

Quae ad ius pertinent, e libris I et II congessit Bruns l. c. p. 63—65.

---

2. M. TULLIUS CICERO

natus 648/106, 679/75 quaestor Siciliae, 685/69 aedilis curulis, 688/66 praetor (repetundarum?), 691/63 cos., 701/53 augur et Ciliciae proconsul, 711/43 proscriptus et necatus.

Orationes habuit 673/81 pro Quinctio, 674/80 pro Sex. Roscio Amerino, 678/76 pro Q. Roscio comoedo, 682/72 vel 683/71 pro M. Tullio, 684/70 in Verrem actionem primam, 685/69 pro M. Fonteio et pro Caecina, 688/66 de imperio Cn. Pompeii et pro A. Cluentio Habito, 691/63 de lege agraria, pro C. Rabirio, in L. Catilinam

et pro L. Murena, 692/62 pro P. (Cornelio) Sulla et pro Archia, 695/59 pro L. (Valerio) Flacco, 697/57 de domo sua ad pontifices, 698/56 de haruspicum responsis, pro P. Sestio, in P. Vatinium testem, pro M. Caelio, de provinciis consularibus et pro L. (Cornelio) Balbo, 699/55 in L. (Calpurnium) Pisonem, 700/54 pro Cn. Plancio et pro C. Rabirio Postumo, 702/52 pro T. Milone, 708/46 pro M. Marcello et pro Q. Ligario, 709/45 pro rege Deiotaro, 710/44 et 711/43 in M. Antonium.

De edicto Ciliciensi, quod proposuit, haec tradita sunt. Cicero qui 703/51 ultimo die mensis Iulii in Ciliciam pervenit, iam Romae edictum composuerat ad exemplum Asiatici illius, quod Q. Mucius proposuerat (cf. p. 48). ad Atticum VI, 1, 15 haec scripsit: 'De Bibuli edicto nihil novi ... ego tamen habeo *ἰσοδυναμοῦσαν*, sed tectiorem, ex Q. Mucii P. f. edicto Asiatico 'extra quam si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat ex fide bona' multaque sum secutus Scaevolae, in iis illud, in quo sibi libertatem censent Graeci datam, ut Graeci inter se disceptent suis legibus. breve autem edictum est propter hanc meam *διαίρεσιν*, quod duobus generibus edicendum putavi: quorum unum est provinciale, in quo est de rationibus civitatum, de aere alieno, de usura, de syngraphis; in eodem omnia de publicanis; alterum, quod sine edicto satis commode transigi non potest, de hereditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciendis, vendendis, quae ex edicto et postulari et fieri solent. tertium de reliquo iure dicundo *ἄγραφον* reliqui. dixi me de eo genere mea decreta ad edicta urbana accommodaturum ... Graeci ... exsultant quod peregrinis iudicibus utuntur ... se *αὐτονομίαν* adeptos putant'.

Iustiniani Digesta D. 50, 16, 96 Celsum de eo scripsisse tradunt, quod Cicero, cum arbiter esset, constituerit, sed aperto errore, cum revera Galli Aquillii constitutio sit. v. supra p. 119. ceterum Ciceronis orationes sententias-

que Celsus, Pomponius, Tryphoninus et Ulpianus laudaverunt, ita ut vel in Iustiniani Digestis oratoris memoria servetur. fragmenta hoc loco collocare visum est.

1. Celsus libro vicensimo quinto Digestorum (P. 208). D. 50, 16, 96. Litus est quousque maximus fluctus a mari pervenit idque Marc*us* Tulli*us* <Gallum Aquillium> ai[un]t, cum arbiter esset, primum constituisse.

2. Pomponius libro singulari enchiridii (P. 178). D. 1, 2, 46. exstat eius (Ciceronis) oratio satis pulcherrima, quae inscribitur pro Quinto Ligario.

3. Tryphoninus libro decimo Disputationum (P. 40). D. 48, 19, 39. Cicero in oratione pro Cluentio Habito scripsit Milesiam quandam mulierem, cum esset in Asia, quod ab heredibus secundis accepta pecunia partum sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam.

4. Ulpianus libro quinquagensimo nono ad edictum (P. 1390). D. 42, 4, 7, 4. Quid sit autem latitare videamus. latitare est non, ut Cicero definit, turpis occultatio sui ....

Utrum quae Ulpianus tradit, in deperdito libro scriptum an in aliqua oratione dictum sit, nescimus.

Scripsit inde ex anno 700/54 de re publica, ex anno 702/52 de legibus libros, post a. 703/51 de auguriis, 710/44 Topica et incerto tempore de iure civili in artem redigendo librum.

Librorum sex, quos de republica composuit, vix tertia pars nobis servata est. libri neque de legibus neque de iure civili in artem redigendo ab ipso auctore absoluti sunt. librorum qui fortasse sex erant de legibus primus est de iure naturae, secundus de legibus ferendis et de iure sacro, tertius de magistratibus, quartus de iudiciis disputabat. quod ad librum de iure civili in artem redigendo, Cicero id sibi proposuit, quod Crasso propositum fuisse de orat. 2, 142 narrat: 'se ius civile; quod nunc diffusum et dissipatum est, in certa genera coacturum et ad artem facilem redacturum'. cf. Teuffel-Schwabe §§ 184, 1. 2, 185 et supra p. 47.

De iure civili in artem redigendo liber.

1. Gell. 1, 22, 7. M. Cicero in libro, qui inscriptus est de iure civili in artem redigendo, verba haec posuit: *nec vero scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit.*

2. Charis. GL. I, 138. Cicero de iure civili: *aliquo excellente ac nobili viro.*

---

3. L. LUCILIUS BALBUS

doctus et eruditus homo, in agendo et in respondendo consideratae tarditatis (Cicer. Brut. 42, 154), 673/71 in consilio Aquillii, cum Quinctii causa iudicabatur (Cicero pro Quinct. 16, 53. 17, 54), Servii Sulpicii Rufi praeceptor (Cicer. Brut. l. c.).

Responsa.

Nulla tradita sunt.

---

4. L. VALERIUS

Cicero a. 703/51 Appio scribit: 'L. Valerium iure consultum valde tibi commendo, sed ita etiam, si non est iuris consultus. melius enim ei cavere volo, quam ipse aliis solet. valde hominem diligo: est ex meis domesticis atque intimis familiaribus' (ad fam. III, 1). a. 700/54 Cicero ipsi 'L. Valerio iurisconsulto' scripserat: 'fac ut quam primum venias neque in Apuliam tuam accedas' (ad fam. 1, 10). idem ut videtur Valerius, de quo Cicero a. 701/53 Trebatio scribit: 'si diutius frustra abfueris, non modo Laberium, sed etiam sodalem nostrum Valerium pertimesco. mira enim persona induci potest Britannici iuris consulti'.

'Valerium' quendam ad XII tabularum leges scripsisse traditum est. Fest. p. 321: 'ne Valerius . . . in XII explanati . . .' 'at quisnam sit ille Valerius, qui

scripsit XII explanationem, res est plena dubitationis' Schoell p. 37. in mentem veniunt Q. Valerius Soranus (T. § 147, 1), M. Valerius Messalla (T. § 199, 2) et hic L. Valerius. sed Messallam ad XII tabulas scripsisse argumenta nulla sunt. Schoell p. 35 sqq. Teuffel-Schwabe et de Valerio (Sorano) disserens scribit: 'auch wird er der gleichnamige Erklärer der XII Tafeln sein' et de nostro L. Valerio (§ 207, 1): 'möglicherweise ist er auch der Valerius, welcher als Erklärer der XII Tafeln erwähnt wird'. at cum ea quae sub Valerii nomine feruntur, magis grammaticum et antiquitatum studiosum quam iuris consultum prodant, non L. Valerius, sed Soranus illorum auctor habendus esse videtur. cf. V, 1.

---

5. C. CAMILLUS

iuris consultus Ciceronis amicus eiusque sententia 'omnium peritissimus' (ad fam. 5, 20, 3), de quo a. 704/50 et sequenti Terentiae suae aliisque scribit (ad fam. 14, 5, 2. 5, 20, 3. 14, 14, 2): consilio enim eius utebatur in negotiis. itaque haec legimus: 'de hereditate Preciana ... velim cures: si auctio ante meum adventum fiet, ut Pomponius aut, si is minus poterit, Camillus nostrum negotium curet' (14, 5, 2).

Responsa.

Cic. ad fam. 5, 20, 3 (a. 705/49): . . de Volusio quod scribis, non est id rationum: docuerunt enim me periti homines, in his cum omnium peritissimus ... tum mihi amicissimus C. Camillus, ad Volusium transferre nomen a Valerio non potuisse, praedes Valerianos teneri.

---

6. TITIUS?

incertus quidam; an idem atque Tertius Macrobii (3, 11, 5)? Titius de sacerdotalibus vestibus videtur scripsisse.

De vestibus sacerdotalibus?

1. Fest. 205, 2. — Offendices ait esse Titius nodos, quibus apex retineatur et remittatur.

2. Fest. 289, 22 ... Titi⟨us autem ait, quod ex lana fiat⟩ sucida alba vesti⟨mentum dici ricam, idque esse⟩ triplex, quod conf⟨iciant virgines inge⟩nuae, patrimae, m⟨atrimae, cives, quod confec⟩tum lavetur aqua pe⟨renni et tingendo fiat caeru⟩leum.

---

7. SEXTUS PAPIRIUS

Pomponius § 42 'Mucii auditores fuerunt complures, sed praecipuae auctoritatis ... Sextus Papirius ...' cur hunc Papirium ab aliis nominari non videamus (Teuffel-Schwabe § 154, 3), ea causa potest esse, quod nomen eius celebre postea in iuris consultorum libris fortasse deletum est. nam eum de iure scripsisse Pomponii verba corrupta, quae l. c. habemus, satis indicant: 'omnes tamen hi (Mucii auditores) a Servio Sulpicio nominantur: alioquin per se eorum scripta non talia extant, ut ea omnes appetant ..'

Nihil quantum video obstat quominus Sextus Papirius, quem § 42 Mucii auditorem dicit, et ille Sextus Papirius, in cuius libro leges regias conscriptas extare § 2 narrat, idem habeatur. Pomponium de iure Papiriano non iis locis, quibus de eo hodie sermo est (§§ 2 et 7), sed demum § 42 dixisse iudico.

Verba quae § 2 legimus: 'quae omnes (leges) conscriptae extant in libro Sexti Papirii' cum iis, quae § 42 habemus, optime convenientia Pomponii esse puto, sed quae sequuntur: 'qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris', Triboniani vel adiutoris eius. denique verba 'is liber [, ut diximus,] ... appellatur ius [civile] Papirianum', '[non quia Papirius de suo quicquam ibi adiecit, sed] quod

leges sine ordine latas ... composuit', item Pomponii sunt intermixtis Triboniani additamentis. Tribonianum Sextum hunc Papirium cum vetere confudisse vel haec res indicat, quod in gente Papiria Sexti praenomen non in usu erat.

Quae vero apud Pomponium legimus: 'leges sine ordine latas in unum composuit (cf. § 36 'leges regias in unum contulit'), non Pomponii esse iudico: nam quin leges regiae iam antea in pontificum libris collectae fuerint, dubitari nequit. accedit, quod verba 'leges sine ordine latas' contrarium etiam positum fuisse indicant. denique et exemplum Quinti Mucii, qui ius civile constituit generatim, et Varronis rerum divinarum libri Sextum Papirium impulisse videntur, ut leges regias secundum rerum argumenta collocaret.

Qui hunc demum S. Papirium Q. Mucii auditorem leges regias ita disposuisse sumet, etiam illud explicabit, quod neque Varro neque Cicero libri mentionem faciunt, qua in re viri docti merito offenderunt. Granius Flaccus, qui de iure Papiriano scripsit, primus alterius iuris consulti librum commentario instruxit, quem postea multi secuti sunt. quae Servius ad Aen. 12, 836 de 'titulo legis Papiriae' ait, cum illis conveniunt, quae Persius 5, 90 et Arriani Epictetus 4, 3 de 'Masuri rubrica' et de '*Μασουρίου νόμοις*' aiunt.

Sexti Papirii librum postea Servii libris oblitteratum esse ipse Pomponius § 42 indicat verbis, quae Triboniani manu corrupta esse apparet: 'denique nec versantur omnino scripta eorum (sc. Mucii auditorum) inter manus hominum, sed Servius ⟨iis⟩ libros suos complevit, pro cuius scriptura ipsorum quoque memoria habetur.'

Leges regiae secundum argumenta collocatae vel ius Papirianum.

Macrobius sat. 3, 11, 5 commentarium, quem Granius Flaccus de iure Papiriano scripsit, 'ius Papirianum' nun-

cupare non dubitavit. Servius ubi l. l. de 'titulo legis Papiriae' loquitur, quae 'de ritu sacrorum' publicata sit, non librum, sed caput eius designat.

[*De terminis.*]

1[a]. Dionys. 3, 74. — *ἡ περὶ τοὺς ὁρισμοὺς τῶν κτήσεων νομοθεσία. κελεύσας .. ἑκάστῳ περιγράψαι τὴν ἑαυτοῦ κτῆσιν καὶ στῆσαι λίθους ἐπὶ τοῖς ὅροις, ἱεροὺς ἀπέδειξεν ὁρίου Διὸς τοὺς λίθους . . . εἰ δέ τις ἀφανίσειεν ἢ μεταθείη τοὺς ὅρους, ἱερὸν ἐνομοθέτησεν εἶναι τοῦ θεοῦ τὸν τούτων τι διαπραξάμενον.*

1[b]. Fest. p. 368. — Termino sacra faciebant, quod in eius tutela fines agrorum esse putabant. denique Numa Pompilius statuit, eum qui terminum exarasset, et ipsum et boves sacros esse.

[*De patris familias potestate.*]

2. Dionys. 2, 25. — *Ὁ δὲ Ῥωμύλος .. ἕνα .. νόμον .. καταστησάμενος εἰς σωφροσύνην .. ἤγαγε τὰς γυναῖκας. ἦν δὲ τοιόσδε ὁ νόμος· γυναῖκα γαμετὴν τὴν κατὰ γάμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν.*

Cf. D. 23, 2, 1. Modestinus libro primo Regularum (P. 180). Nuptiae sunt coniunctio maris et feminae et consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio.

3. Plutarch. Rom. 22. — *Ἔθηκε δὲ καὶ νόμους τινὰς (ὁ Ῥωμύλος), ὧν σφοδρὸς μέν ἐστιν ὁ γυναικὶ μὴ διδοὺς ἀπολείπειν ἄνδρα, γυναῖκα δὲ διδοὺς ἐκβάλλειν ἐπὶ φαρμακείᾳ τέκνων ἢ κλειδῶν ὑποβολῇ καὶ μοιχευθεῖσαν· εἰ δ' ἄλλως τις ἀποπέμψαιτο, τῆς οὐσίας αὐτοῦ τὸ μὲν τῆς γυναικὸς εἶναι, τό δε τῆς Δήμητρος ἱερὸν κελεύων· τὸν δ' ἀποδόμενον γυναῖκα θύεσθαι χθονίοις θεοῖς.*

4. Dionys. 2, 27. — *ἐκ τῶν Νομᾶ .. νόμων, ἐν οἷς καὶ οὗτος γέγραπται· ἐὰν πατὴρ υἱῷ συγχωρήσῃ γυναῖκα ἀγαγέσθαι, κοινωνὸν ἐσομένην ἱερῶν τε καὶ*

χρημάτων κατὰ τοὺς νόμους, μηκέτι τὴν ἐξουσίαν εἶναι τῷ πατρὶ πωλεῖν τὸν υἱόν.

Cf. ignoti illius, qui Papinianum consuluit (Collat. 4, 8, 1. Papinianus libro singulari de adulterio P. 23), verba: 'cum patri lex regia dederit in filiam vitae necisque potestatem, quod bonum fuit . . .?'

5. Fest. 220. — Plorare flere nunc significat et cum praepositione inplorare, invocare, at apud antiquos plane inclamare. in regis Romuli et Tatii legibus haec est: 'si parentem puer verberit, ast olle plorassit parens, puer divis parentum sacer estod'.

Secundum Mommseni lectionem in Brunsii fontib. p. 8 propositam.

[De ritu sacrorum.]

Servius ad Verg. Aen. 12, 836. — quod ait 'morem ritusque sacrorum' ipso titulo legis Papiriae usus est, quam sciebat de ritu sacrorum publicatam.

6. Plutarch. Numa 14. — *μὴ σπένδειν θεοῖς ἐξ ἀμπέλων ἀτμήτων μηδὲ θύειν ἄτερ ἀλφίτων.*

7. Plinius n. h. 14, 12, 88. — ex imputata vite libari vina diis nefas statuit (Numa).

8. Cassius Hemina apud Plinium n. h. 32, 2, 20. — Numa constituit, ut pisces, qui squamosi non essent, ni pollucerent.

9[a]. Fest. p. 222. — antiqui proprie eam paelicem nominabant, quae uxorem habenti nubebat. cui generi mulierum etiam poena constituta est a Numa Pompilio hac lege: 'paelex aram Iunonis ne tangito; si tanget Iunoni crinibus demissis agnum feminam caedito.'

9[b]. Gell. 4, 3, 3. — . . . hac antiquissima lege . . ., quam Numae regis fuisse accepimus: 'paelex aram Iunonis ne tangito; si tangit Iunoni crinibus demissis agnum feminam caedito'.

10. Servius in Vergilii ecl. 4, 43. — in Numae legibus cautum est, ut si quis imprudens occidisset

hominem, pro capite occisi agnatis eius in contione offerret arietem.

11. Tacitus ann. 12, 8. — addidit Claudius sacra ex legibus Tulli regis piaculaque per pontifices danda.

[*De sacerdotibus.*]

12. Livius 1, 20, 6. — Pontificem .. legit (Numa) eique sacra omnia exscripta exsignataque adtribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent. cetera quoque omnia publica privataque sacra pontificis scitis subiecit, .. ne quid divini iuris .. turbaretur.

13. Lydus de mens. 1, 31. — *καὶ τοῦτο δὲ πρὸς τοῦ Νουμᾶ διατέθειται, ὥστε τοὺς ἱερεῖς χαλκαῖς ψαλίσιν, ἀλλ' οὐ σιδηραῖς ἀποκείρεσθαι.*

14. Plutarch. Numa 10. — *Τιμὰς δὲ μεγάλας ἀπέδωκεν αὐταῖς* (Vestalibus), *ὧν ἔστι καὶ τὸ διαθέσθαι ζῶντος ἐξεῖναι πατρὸς καὶ τἆλλα πράττειν ἄνευ προστάτου διαγούσας ὥσπερ αἱ τρίπαιδες.*

Cf. Gai. **1**, **144** sq. — veteres .. voluerunt feminas, etiamsi perfectae aetatis sint, .. in tutela esse ... loquimur autem exceptis virginibus Vestalibus, quas etiam veteres in honorem sacerdotii liberas esse voluerunt; itaque etiam lege XII tabularum cautum est.

[*De funeribus.*]

15. Plin. h. n. 14, 12, 88. — Numae regis post eum (Romulum) lex est: 'vino rogum ne respargito'.

16. Fest. p. 178. — occisum a necato distingu*unt* quidam, quod alterum a caedendo atque ictu fieri dicunt, alterum sine ictu. itaque in Numae Pompilii regis legibus scriptum est: 'si hominem fulmen *Iovis*[1] occisit, ne supra genua tollito'. et alibi: 'homo si fulmine occisus est, ei iusta nulla fieri oportet'.

1 fulminibus *C.*, *emendavit Scaliger.*

17. D. 11, 8, 2. Marcellus libro vicensimo octavo Digestorum (P. 256). — *vetat*[1] lex regia, mulierem, quae praegnas mortua sit, humari, antequam partus ei excidatur. [qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur.]

[*De luctu*]

18[a]. Plutarch. Numa 12. — (*Ὁ Νομᾶς*) *τὰ πένθη καθ' ἡλικίας καὶ χρόνους ἔταξεν, οἷον παῖδα μὴ πενθεῖν νεώτερον τριετοῦς, μηδὲ πρεσβύτερον πλείονας μῆνας ὧν ἐβίωσεν ἐνιαυτῶν μέχρι τῶν δέκα, καὶ περαιτέρω μηδεμίαν ἡλικίαν· ἀλλὰ τοῦ μακροτάτου πένθους χρόνον εἶναι δεκαμηνιαῖον, ἐφ' ὅσον καὶ χηρεύουσιν αἱ τῶν ἀποθανόντων γυναῖκες· ἡ δὲ πρότερον γαμηθεῖσα βοῦν ἐγκύμονα κατέθυεν ἐκείνου νομοθετήσαντος.*

18[b]. Vat. fr. 321 (Ulpianus libro octavo ad edictum?) (P. 308). — 'parentem' inquit (praetor). 'hic omnes parentes accipe utriusque sexus, nam lugendi eos mulieribus moris est. quamquam Papinianus libro II Quaestionum etiam a liberis virilis sexus lugendos esse dicat, quod nescio ubi legerit. sed quatenus extendatur parentum appellatio, non est definitum apud quemquam; itaque erunt lugendi etiam ex feminino sexu parentes ... lugendi autem sunt parentes anno, liberi maiores X annorum aeque anno. quem annum decem mensuum esse Pomponius ait; nec leve argumentum est annum X mensuum esse, cum minores liberi tot mensibus elugeantur, quot annorum decesserint usque ad trimatum; minor trimo non lugetur, sed sublugetur; minor anniculo neque lugetur neque sublugetur.

[*De bellicis caerimoniis.*]

19. Livius 1, 32, 5. — ut tamen, quoniam Numa in pace religiones instituisset, a se bellicae caerimoniae proderentur, nec gererentur solum sed etiam in-

1 negat *F*.

dicerentur bella aliquo ritu, ius ab antiqua gente Aequiculis, quod nunc fetiales habent, descripsit (Ancus Marcius), quo res repetuntur.

Cf. Cicero de rep. 2, 17, 31. — (Tullus) constituit ius, quo bella indicerentur, quod .. sanxit fetiali religione, ut omne bellum, quod denuntiatum indictumque non esset, id iniustum esse atque impium iudicaretur.

[*De opimis spoliis.*]

20[a]. Plutarch. Marc. 8. — *φασίν, ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Νομᾶν Πομπίλιον καὶ πρώτων ὀπιμίων καὶ δευτέρων καὶ τρίτων μνημονεύειν, τὰ μὲν πρῶτα ληφθένται τῷ Φερετρίῳ Διὶ κελεύοντα καθιεροῦν, τὰ δεύτερα δὲ τῷ Ἄρεϊ, τά δὲ τρίτα τῷ Κυρίνῳ· καὶ λαμβάνειν γέρας, ἀσσάρια τριακόσια τὸν πρῶτον, τὸν δὲ δεύτερον διακόσια, τὸν δὲ τρίτον ἑκατόν.*

20[b]. Serv. in Verg. Aen. 6, 860. — tertia opima spolia suspendet patri i. e. Iovi .. possumus, et quod est melius, secundum legem Numae hunc locum accipere, qui praecepit prima opima spolia Iovi Feretrio debere suspendi, quod iam Romulus fecerat, secunda Marti, quod Cossus fecit, tertia Quirino, quod fecit Marcellus.

Cf. Fest. 189 s. v. opima. — M. Varro ait, .. esse etiam Pompili regis legem .. talem: 'cuius auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Iovi feretrio bovem caedito; qui cepit, aeris CCC darier oporteat. secunda spolia, in Martis aram in campo solitaurilia, utra voluerit, caedito [qui cepit, aeris CC dato]. tertia spolia, Ianui Quirino agnum marem caedito; C qui ceperit ex aere dato. cuius auspicio capta, dis piaculum dato.'

[*Incerti argumenti fragmenta.*]

21. Fest. 6. — aliuta antiqui dicebant pro aliter ..; hinc est illud in legibus Numae Pompili: 'si quisquam aliuta faxit, ipsos Iovi sacer esto'.

22. Fest. 230. — adicitur: 'si nurus, sacra divis parentum estod' in Servi Tulli.

8. SERVIUS SULPICIUS RUFUS

equitis Romani filius 649/105 natus, 676/78 apud Rhodios et rhetoricae et philosophiae operam dedit, 680/74 quaestor Ostiae, aedilis curulis, 689/65 praetor quaestionis peculatus, 691/63 consulatum frustra petiit, 703/51 cos. et fortasse is qui legem Sulpiciam rivaliciam rogavit, 705/49 in Africa, ubi cum aliis senatoribus Jubam Numidiae regem comitantibus Uticam ingressus est, 707/47 a Caesare proconsul Achaiae factus, a. 709/45 Romam reversus, 710/44 die quo post Caesaris necem senatus in aedem Telluris convocatus est, auctor senatus consulti: 'ne qua post Idus Martias immunitatis tabula neve cuius beneficii figeretur', 711/43 legatus ad Antonium Mutinam missus ibique brevi tempore ante Ciceronem mortuus. statuam ei populus Romanus ex Ciceronis relatione pro rostris posuit 'et hodieque', ait Pomponius § 43, 'exstat pro rostris Augusti'.

Ex uxore Postumia filium habuit, qui 691/63 accusationem L. Licinii Murenae subscripsit. filia Q. Aelio Tuberoni nupsit.

Pomponius § 43 narrat haec: 'Servius Sulpicius .. traditur ad consulendum Quintum Mucium de re amici sui pervenisse cumque eum .. parum intellexisset, iterum Quintum interrogasse et a Quinto Mucio responsum esse nec tamen percepisse, et ita obiurgatum esse a Quinto Mucio; namque eum dixisse: turpe esse patricio et nobili et causas oranti ius in quo versaretur ignorare. ea velut contumelia tactus operam dedit iuri civili'. utrum factum an fictum Pomponius narret nescimus. oratoriae arti cum Cicerone apud Rhodios deditus postea iuris prudentiam amplexus est, institutus a L. Lucilio Balbo (de quo VI, 3), instructus (fortasse Cercinae) a C. Aquillio Gallo (de quo V, 14). etiam alios Mucii auditores, scilicet Sextum Pomponium et Gaium (?) Iuventium, Servium audiisse idem Pomponius indicat. nam cum § 41 Mucii auditores

complures, sed praecipuae auctoritatis quatuor nominatos fuisse dixerit, § 43 haec addit: 'Servius .. operam dedit iuri civili et plurimum eos de quibus locuti sumus, audiit'. neque grammaticam neque dialecticam neglexit, cum M. Varrone litterarum commercio coniunctus. de epistula, quam Varro ad Servium scripsit, Gellius 2, 10 refert, cuius verba transscribere a re non alienum videtur.

'Servius Sulpicius, iuris civilis auctor, vir bene litteratus scripsit ad M. Varronem rogavitque, ut rescriberet, quid significaret verbum, quod in censoriis libris scriptum esset. id erat verbum »favisae Capitolinae«. Varro rescripsit, in memoria sibi esse, quod Q. Catulus curator restituendi Capitolii dixisset, voluisse se aream Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in aedem conscenderetur suggestusque pro fastigii magnitudine altior fieret, sed facere id non quisse, quoniam favisae impedissent. id esse cellas quasdam et cisternas, quae in area sub terra essent, ubi reponi solerent signa vetera, quae ex eo templo collapsa essent et alia quaedam religiosa e donis consecratis. ac deinde eadem epistula negat quidem, se in litteris invenisse, cur favisae dictae sint, sed Q. Valerium Soranum solitum dicere ait, quos thesauros Graeco nomine appellaremus priscos Latinos flavisas dixisse, quod in eas non rude aes argentumque, sed flata signataque pecunia conderetur. coniectare igitur se, detractum esse ex eo verbo secundam litteram et favisas esse cellas quasdam et specus, quibus aeditui Capitolii uterentur ad custodiendas res veteres religiosas.' —

Servium respondendi munere summo officio functum esse Cicero tradit; nam in oratione pro Murena (a. 691/93 habita 4, 9) haec ait: '.. tibi necesse putas, etiam adversariis amicorum tuorum de iure consulentibus respondere'. 9, 19 'Servius hic .. hanc urbanam militiam respondendi scribendi cavendi plenam sollicitudinis et stomachi secutus est: ius civile didicit, multum vigilavit, laboravit, multis praesto fuit, multorum stultitiam perpessus est, arrogantiam pertulit, difficultatem exsorbuit,

vixit ad aliorum arbitrium, non ad suum, magna laus et grata hominibus, unum hominem elaborare in ea scientia, quae sit multis profutura'. 9, 22 'vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas .. te gallorum .. cantus exsuscitat. tu actionem instituis, ... tu caves, ne tui consultores .. capiantur .., ut aquae pluviae arceantur .. tu (exercitatus es) in regendis (finibus) ... quod .. ius civile didicisti, non dicam, operam perdidisti'.

Ib. 13, 28 haec legimus: 'si mihi homini vehementer occupato stomachum moveritis, triduo me iurisconsultum esse profitebor ... quae consuluntur .., minimo periculo respondentur. si id quod oportet, responderis, idem videare respondisse quod Servius; sin aliter, etiam controversum ius nosse et tractasse videare'. Brut. 42, 154: 'cum .. discendi causa duobus peritissimis operam dedisset (scil. Servius), L. Lucilio Balbo, C. Aquillio Gallo, Galli hominis acuti et exercitati promptam et paratam in agendo et in respondendo celeritatem subtilitate diligentiaque superavit, Balbi docti et eruditi hominis in utraque re consideratam tarditatem vicit expediendis conficiendisque rebus. sic et habet, quod uterque eorum habuit, et explevit, quod utrique defuit.'

Non minore studio libris scribendis operam dedit. Pomponius § 43 haec ait: 'reliquit . prope centum et octoginta libros'. nonnullorum operum argumenta tradita sunt; scripsit enim reprehensa Scaevolae capita, de sacris detestandis, de dotibus, de duodecim tabulis et ad edictum, et quod hunc commentarium attinet, primus omnium iuris consultorum. Servium Mucii auditorum libris usum fuisse eorumque libros Servii libris oblitteratos esse Pomponius tradit. Servii enim scriptorum secundum Ciceronis iudicium (Brut. 42, 153) 'similia nulla sunt'. Pomponius autem § 42 sq. haec narrat: 'Mucii auditores fuerunt complures, sed praecipuae auctoritatis Aquillius Gallus, Balbus Lucilius, Sextus Papirius, Gaius Iuventius, ex quibus Gallum maximae auctoritatis apud populum fuisse Servius dicit. omnes tamen hi a Servio

Sulpicio nominantur .. denique nec versantur omnino scripta eorum inter manus hominum, sed Servius <iis> libros suos complevit, .. pro cuius scriptura ipsorum quoque memoria habetur'. mira haec narratio num vera sit diiudicari iam nequit, cum Servii librorum pauca tantum fragmenta servata sint, in quibus Mucii auditorum illorum nomina nusquam inveniuntur. id vero pro certo statuere licet, Servium Q. Mucii placitorum haud parvam partem improbasse: quod non solum titulus 'reprehensa Scaevolae capita', sed etiam ea docent, quae Servium de generibus constituendis aliisque de rebus docuisse traditum est. qui Servii fragmenta inspexerit, in nullo eum Mucii sententiam probare, sed in omnibus, in quibus de iure controverso agitur, a Mucio dissentire videbit. sunt autem fragmenta haec: Labeonis D. 32, 29, 1. 40, 7, 39 pr.; Pomponii D. 47, 2, 77, 1; Gai Inst. 3, 149; Pauli D. 17, 2, 30. 50, 16, 25, 1; Ulpiani D. 33, 9, 3, 6, denique Gellii 4, 1, 17. 20. quae fragmenta fortasse veram rei imaginem non praebent, cum in aliis fragmentis Servium Mucium secutum quidem esse, at Tribonianum et Mucii et Servii nomina delevisse conicere liceat. adiumento est, quod nonnunquam a posterioribus, ubi Servius contra Mucium statuit, aut reiecta Servii sententia Mucii probatur (D. 47, 2, 77, 1. Pomponius: 'haec Q. Mucius refert et vera sunt .. nec utimur Servii sententia, qui putabat' et q. s.) aut Mucii sententia contra Servii reprehensionem excusatur (D. 33, 9, 3, 6. Ulpianus: 'Q. Mucius sic definiebat, ... sed materiam praebuit Servio notandi ...., sed Mucius eos voluit significari' et q. s.). denique Servii sententiam quandam eandem esse atque Publii Mucii Labeo monet (D. 24, 3, 66 pr. .. 'Servius ait: ea sententia Publii Mucii est' et q. s.). —

Ad Servii proconsulatum pertinent nonnullae Ciceronis epistolae, quae partim etiam huius loci sunt. Cicero enim ad amicum scribit:

'M.' Curius, qui Patris negotiatur, multis et magnis de causis a me diligitur .. sic tibi eum commendo, ut neque

maiore studio quemquam neque iustioribus de causis commendare possim ... spondebo .. tibi vel potius spondeo in meque recipio, eos esse M.' Curii mores eamque cum probitatem tum etiam humanitatem, ut eum et amicitia tua et tam accurata commendatione, si tibi sit cognitus, dignum sis existimaturus ..' (ad fam. 13, 17).

'Cum Lysone Patrensi est mihi quidem hospitium vetus, quam ego necessitudinem sancte colendam puto ... a te contendimus, ut Lysonem in fidem necessitudinemque tuam recipias .. totam tibi domum commendo; in his adolescentulum filium eius, quem C. Maenius Gemellus, cliens meus, cum in calamitate exsilii sui Patrensis civis factus esset, Patrensium legibus adoptavit, ut eius ipsius hereditatis ius causamque tueare ...' (ad fam. 13, 19).

'Asclapone Patrensi medico utor familiariter eiusque cum consuetudo mihi iucunda fuit, tum ars etiam, quam sum expertus in valetudine meorum ... hunc igitur tibi commendo ..' (ibid. 13, 20).

'M. Aemilius Avianus ab ineunte adolescentia me observavit semperque dilexit, vir cum bonus tum perhumanus .. quem si arbitrarer esse Sicyone et nisi audirem ibi eum etiamnunc, ubi ego reliqui, Cibyrae commorari, nihil esset necesse plura me ad te de eo scribere ... sed cum illum abesse putem, commendo tibi in maiorem modum domum eius, quae est Sicyone, remque familiarem, maxime C. Avianum Hammonium libertum eius .. cum propterea mihi est probatus, quod est in patronum suum officio et fide singulari, tum etiam in me ipsum magna officia contulit mihique molestissimis temporibus ita fideliter benevoleque praesto fuit, ut si a me manumissus esset. itaque peto a te, ut eum et in patroni eius negotio sic tueare, ut eius procuratorem, quem tibi commendo et ipsum suo nomine diligas habeasque in numero tuorum ..' (ibid. 13, 21).

'T. Manlium, qui negotiatur Thespiis, vehementer diligo ... gratissimum igitur mihi feceris, si huic commendationi meae tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimum, id est, si T. Manlium quam maxime, quibuscun-

que rebus honeste ac pro tua dignitate poteris, iuveris ...' (ibid. 13, 22).

'L. Cossinio, amico et tribuli suo, valde familiariter utor ... tota Cossinii domus me diligit in primisque libertus eius, L. Cossinius Anchialus, homo et patrono et patroni necessariis, quo in numero ego sum, probatissimus. hunc tibi ita commendo, ut si meus libertus esset ..' (ibid. 13, 23).

'Hagesaretus Larisaeus, magnis meis beneficiis ornatus in consulatu meo, memor et gratus fuit ... eum tibi magno opere commendo, ut et hospitem meum et familiarem ...' (ibid. 13, 25).

'L. Mescinius ea mecum necessitudine coniunctus est, quod mihi quaestor fuit ... peto igitur a te, ... ut eius negotia, quae sunt in Achaia, ex eo quod heres est M. Mindio fratri suo, qui Elide negotiatus est, explices et expedias cum iure et potestate quam habes, tum etiam auctoritate et consilio tuo. sic enim praescripsimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus, quae in aliquam controversiam vocarentur, te arbitro et, quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore uterentur. id ut honoris mei causa suscipias, vehementer te etiam atque etiam rogo. illud praeterea, si non alienum tua dignitate putabis esse, feceris mihi pergratum, si qui difficiliores erunt, ut rem sine controversia confici noluit, si eos, quoniam cum senatore res est, Romam reieceris. quod quo minore dubitatione facere posses, litteras ad te a M. Lepido consule, non quae te aliquid iuberent (neque enim id tuae dignitatis esse arbitrabamur), sed quodam modo quasi commendaticias sumpsimus ..' (ibid. 13, 27).

'... C. Avianus .. Hammonius incredibiles mihi gratias per litteras egit et sui et Aemilii Aviani, patroni sui, nomine ... illud te rogo, ut illos quoque gratos esse homines putes, quod ita esse tibi promitto atque confirmo. quare velim, quidquid habent negotii, des operam, quod commodo tuo fiat, ut te obtinente Achaiam conficiant ...' (ibid. 13, 27).

'... incredibile est .., quas mihi gratias omnes agant ... de L. Mescinio gratissimum ... quod reliquum est, velim augeas tua in eum beneficia omnibus rebus, quae te erunt dignae. sunt duo, quae te nominatim rogo: primum, ut si quid satis dandum erit, »amplius eo nomine non peti« cures, ut satis detur fide mea. deinde, cum fere consistat hereditas in iis rebus, quas avertit Oppia, quae uxor Mindii fuit, adiuves ineasque rationem, quem ad modum ea mulier Romam perducatur ..

Nec Lacedaemonios dubitare arbitror, quin ipsi sua maiorumque suorum auctoritate satis commendati sint fidei et iustitiae tuae, et ego, qui te optime novissem, non dubitavi, quin tibi notissima et iura et merita populorum essent. itaque cum a me peteret Philippus Lacedaemonius, ut tibi civitatem commendarem, etsi memineram me ei civitati omnia debere, tamen respondi commendatione Lacedaemonios apud te non egere. itaque sic velim existimes, me omnes Achaiae civitates arbitrari pro horum temporum perturbatione felices, quod iis tu praesis ...' (ibid. 13, 28).

Servius ad Ciceronem haec scribit (ibid. 4, 5): '... ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere. post me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus. quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos iacent ...'

Quae Servius in iure colendo re vera praestiterit, certo aestimari nequit, cum librorum paucissima tantum fragmenta servata sint. quae habemus, demonstrant eum in hac quidem re Q. Mucium secutum non modo definitionibus, sed etiam generibus constituendis ius in melius produxisse. in rebus vero ipsis a Q. Mucio eum non raro dissensisse dixi: exempli gratia tutelae genera non quinque, ut Mucius, sed tantum tria statuit (Gai. 1, 188), contra, cum Mucius unum tantum furti genus esse puta-

visset, quatuor furtorum genera statuit (Gai. 3, 183). iuris civilis systemate a Q. Mucio fundato Servius primus artis dialecticae auxilio quaestiones de iure propositas dissolvere studuit.

Res de quibus Servius sententias tulit, non solum hae sunt: fundus vel ager communis, agri instrumentum, aquae rivus terrenus et cementicius, vinea et vineae instrumentum, aedes et aedificia, tegula, protectum et pergula, paries, servitus oneris ferendi, aurum et argentum factum, statua, sed etiam insula et insularius, inquilinus, taberna, caupona, pistrinum, pistores, procurator, institor, ratio dominica, focaria, caballus, merces, unguentum, chartae epistulares, lapilli et gemmae, navis, vectores, pirati.

Inter negotia nominantur exempli causa haec: saltum pascuum locasti, in quo herba mala nascebatur; tutor ex pupilli auctione rem emit; servo empto dens deest; insula aversione locatur; aedificio vel frumento coemendo aliquis praeponitur; purpurae in Asia per libertum emuntur; mandatum tibi datur, ut Titio pecuniam foenerares.

De nonnullis rebus dubitabatur, utrum penoris essent necne, inprimis de ture et cereis, de unguento et de chartis epistularibus. a re non alienum est hoc loco narrare, quae fuerit Servii de hac quaestione sententia.

Tus etiam a viris vere Romanis in sacris adhibitum fuisse Cato docet (de agric. 134, 1). cereorum usus in Saturnalibus notus est (Preller II, 17). unguentum aeque in deorum cultu et valetudinis causa adhibitum esse constat (Marquardt VII p. 785 sqq.); Iunoni ipsi nomen Unxia datum erat (Preller I, 280. II, 215). epistularum denique usum etiam in privatis negotiis frequentem fuisse apparet: iam consultationes et responsa plerumque litteris mandabantur. itaque chartae epistulares patrifamilias iam necessariae erant. moribus civitatis mutatis etiam penoris definitio non mutari non potuit. Servius quidem 'et unguentum ⟨. . .⟩ et chartas epistulares penoris esse' putavit (D. 33, 9, 3, 10) et in reprehensis Scaevolae capitibus 'Cato Aelio placuisse' scripsit, 'tus quoque et cereos in

penu esse' (Gell. 4, 1, 20). at Servium non omnia unguenta, comprehensis etiam quibus luxuriae causa utebantur, sed certum tantum unguenti genus penori adtribuisse pro certo licet statuere; id vero genus non aliud fuisse puto quam Italico oleo et Italicis herbis confectum. cf. Marquardt VII p. 427 et 763.

Quam rationem Servius in diiudicandis rebus secutus sit, alia exempla ostendunt. silvam caeduam non cum aliis eam definivit, quae in hoc haberetur, ut caederetur, sed potius eam, 'quae succisa rursus ex stirpibus et radicibus renascitur' (D. 51, 16, 30 pr.). deinde non contra naturam societatis esse existimavit, si quis 'maiorem partem lucretur, minorem damni praestet'; immo potius ita quoque societatem coiri posse dixit, 'ut quis nihil omnino damni praestet, sed lucri partem capiat, si modo opera eius tam pretiosa videatur, ut aequum sit, eum cum hac pactione in societatem admitti' (J. 3, 25, 2 = Gai. 3, 149).

Primus rerum negotiorumque naturam Servius diligenter explorare studuit: itaque de rerum vitiis, de re principali et de accessione, de temporis et condicionis ratione, de dolo, culpa et errore, de vi cui resisti non potest similibusque statuit. verba illa quae Cicero in libro de legibus Atticum facit dicentem (I, 5, 17): 'non ergo a praetoris edicto .. neque a XII tabulis .. sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas', Servii rationem indicant: nam philosophorum more Servius negotiorum elementa et investigavit et exhibuit, ita ut hodierni temporis iuris consultorum consimilis primus habendus sit. sed a patrum consuetudine non descivit: quamquam Graecorum philosophia imbutus tamen Graeco sermone nunquam, quantum scimus, usus est. vim illam, cui resisti nequit, quam Gaius cum Graecis *θεοῦ βίαν* nominat (D. 19, 2, 25, 2), ipse latino nomine vim divinam appellat (D. 39, 2, 24, 2).

Auditores Servius habuit plurimos. Pomponius § 44 scribit: 'ab hoc plurimi profecerunt .. Alfenus Varus

[Gaius], Aulus Ofilius, Titus Caesius, Aufidius Tucca, Aufidius Namusa, Flavius Priscus, Gaius Ateius, Pacuvius Labeo Antistius, Labeonis Antistii pater, ⟨Gaius?⟩ Cinna, Publicius Gellius ... ex his auditoribus plurimum auctoritatis habuit Alfenus Varus et Aulus Ofilius'. quos auditores novam Servii rationem secutos esse apparet.

Cicero amicum laudibus efferre nunquam cessavit. in oratione pro Muraena 14, 30 haec ait: 'virtutes ipsae per se multum valent: iustitia fides pudor temperantia, quibus te, Servi, excellere omnes intellegunt'. in Bruto 150 sq. vero haec legimus: 'tum Brutus: cum ex tua oratione mihi videor, inquit, bene Crassum et Scaevolam cognovisse, tum de te et de Ser. Sulpicio cogitans, esse quandam vobis cum illis similitudinem iudico. Quonam, inquam, istuc modo? Quia mihi et tu videris, inquit, tantum iuris civilis scire voluisse, quantum satis esset oratori, et Servius eloquentiae tantum assumpsisse, ut ius civile facile possit tueri. .. Et ego, .. inquam, .. de Servio et tu probe dicis et ego dicam quod sentio. non enim facile quem dixerim plus studii quam illum et ad dicendum et ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. nam et in iisdem exercitationibus ineunte aetate fuimus, et postea una Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset et doctior, et inde ut rediit videtur mihi in secunda arte primus esse maluisse quam in prima secundus. atque haud scio, an par principibus esse potuisset, sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium, non eiusdem modo aetatis, sed eorum etiam qui fuissent, in iure civili esse princeps. Hic Brutus, ain' tu? inquit. etiamne Q. Scaevolae Servium nostrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute, existimo, iuris civilis magnum usum et apud Scaevolam et apud multos, artem in hoc uno, quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam praeterea didicisset artem, quae doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram

explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicarentur et quae, quibus positis, essent quaeque non essent consequentia. hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam quasi lucem ad ea quae confuse ab aliis aut respondebantur aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam, intelligis, sed adiunxit etiam et litterarum scientiam et eloquendi elegantiam, quae ex scriptis eius quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest . . . itaque, ut Crassus mihi videtur sapientius fecisse quam Scaevola, . . sic Servius sapientissime . . .'

Servio mortuo Cicero in Philippica nona mense Februario a. 711/43 habita haec dixit. 'Vellem, dii immortales fecissent, patres conscripti, ut vivo potius Ser. Sulpicio gratias ageremus quam honores mortuo quaeremus . . . ut . . alia, sic hoc, C. Pansa, praeclare, quod nos ad honorandum Ser. Sulpicium cohortatus es, et ipse multa copiose de illius laude dixisti. quibus a te dictis nihil praeter sententiam dicerem, nisi P. Servilio respondendum putarem, qui hunc honorem statuae nemini tribuendum censuit, nisi ei qui ferro esset in legatione interfectus. ego autem, patres conscripti, sic interpretor sensisse maiores nostros, ut causam mortis censuerint, non genus esse quaerendum . . . quis dubitat, quin ei vitam abstulerit ipsa legatio? . . . semper illius gravitatem constantiam fidem praestantem in re publica tuenda curam atque prudentiam omnium mortalium fama celebrabit. nec vero silebitur admirabilis quaedam et incredibilis ac paene divina eius in legibus interpretandis aequitate explicanda scientia. omnes in omni aetate, qui in hac civitate intelligentiam iuris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Ser. Sulpicio non sint comparandi. nec enim ille magis iuris consultus, quam iustitiae fuit. ita ea quae proficiscebantur a legibus et a iure civili, semper ad facilitatem aequitatemque referebat, neque instituere litium actiones malebat quam controversias tollere. ergo hoc statuae monu-

mento non eget, habet alia maiora. haec enim statua mortis honestae testis erit, illa memoria vitae gloriosae, ut hoc magis monumentum grati senatus, quam clari viri futurum sit . . . mihi autem recordanti Ser. Sulpicii multos in nostra familiarite sermones, gratior illi videtur, si quis est sensus in morte, aenea statua futura et ea pedestris, quam inaurata equestris . . *mirifice enim* Servius *maiorum* continentiam diligebat, huius saeculi insolentiam vituperabat . . . quas ob res ita censeo: Cum Serv. Sulpicius Q. f. Lemonia Rufus difficillimo rei publicae tempore gravi periculosoque morbo affectus auctoritatem senatus salutemque rei publicae vitae suae praeposuerit . . isque . . vitam amiserit in maximo rei publicae munere, . . . senatui placere, Ser. Sulpicio statuam pedestrem aeneam in rostris ex huius ordinis sententia statui circumque eum statuam locum ludis gladiatoribusque liberos posterosque eius quoque versus pedes quinque habere, quod is ob rem publicam mortem obierit eamque causam in basi inscribi; utique C. Pansa A. Hirtius consules alter ambove, si eis videatur, quaestoribus urbis imperent, ut eam basim statuamque faciendam et in rostris statuendam locent quantique locaverint, tantam pecuniam redemptori adtribuendam solvendamque curent . . . et . . senatum censere atque e re publica existimare, aediles curules edictum, quod de funeribus habeant, Ser. Sulpicii . . funere remittere, utique locum sepulchro in campo Esquilino C. Pansa consul, seu quo in loco videbitur, pedes triginta quoque versus assignet, quo Ser. Sulpicius inferatur, quod sepulchrum ipsius, liberorum posterorumque eius esset, uti quod optimo iure publice sepulchrum datum esset.'

De statua Servio publice posita Pomponium § 43 referre p. 139 vidimus. 'rostra Augusti' non alia esse atque Caesaris rostra Iordan Topographie II p. 228 n. iudicat addens: 'Der seltsame Ausdruck erklärt sich wahrscheinlich durch eine zur Zeit des Pomponius durch Hadrian erfolgte Wiederherstellung der rostra aedis divi Iuli'. dissentit Chr. Huelsen in litteris ad me datis.

Servii auctoritatem non modo apud aequales, sed etiam apud posteros eximiam fuisse facile apparet. a Petronio (a. 66 p. Chr. mortuo) cum Labeone ita laudatur, ut utrumque principem iuris consultum haberi videamus: sat. 137, 7 'iuris consultus »paret, non paret« habeto atque esto quidquid Servius et Labeo'. iam Proculus D. 41, 1, 26 pr. indicat, hoc iure cives in quadam re uti, quod Servio placuerit; Pii tempore Africanus D. 19, 2, 35 pr. distinctionem quandam a Servio introductam ab omnibus fere probatam esse, Gaius III, 149 Servii sententiam de societatis natura contra Q. Mucii, Scaevola D. 21, 2, 69, 3 eiusdem Servii auctoritatem in quaestione de emptione venditione, Ulpianus denique D. 8, 5, 6, 2 Servii sententiam in quaestione de servitute praevaluisse tradunt.

Servii sententiis etiam ad similes res decidendas posteriores pro argumento usos esse legimus; nam et Africanus D. 19, 2, 35 pr. distinctionem novam hac ratione commendat, quod 'convenit illi, quae a Servio introducta et ab omnibus fere probata est', et Papinianus D. 28, 7, 28 scribit: 'argumentoque est quod apud Servium quoque relatum est .. de quo respondit Servius ...'

At non omnes Servii sententias receptas esse constat. apud Pomponium D. 47, 2, 77, 1 legimus: 'haec Quintus Mucius refert et vera sunt .. nec utimur Servii sententia qui putabat ..', item apud Gaium III, 156: 'Servius negavit, .. sed sequimur Sabini opinionem contra sentientis'; 179 'Servius Sulpicius existimavit .. qui consequenter et illud respondit ..., ⟨sed⟩ in utroque casu alio iure utimur'.

Falsam Servii sententiam iudicat Celsus (D. 30, 63 'Servius .. negat .., quod falsum puto'); Paulus iuris consulti cuiusdam, qui aliud atque Servius responsum dederat, verius responsum esse iudicat (D. 33, 7, 16, 1 .. 'Servius respondit. qui eum consulebat, Cornelium respondisse aiebat ... quod verius est'); Ulpianus denique 'nequaquam opinandum' esse scribit, quod Servius de possessionis aestimatione dixit (D. 43, 17, 3, 11).

At multo saepius Servium 'recte' aliquid dixisse vel Servii sententiam veram esse legimus: Iavolenus enim ait (D. 32, 29, 1): 'Quintus Mucius et Gallus putabant maximam partem legatam esse ..., Servius Ofilius minimam ... Labeo hoc probat idque verum est'; (23, 3, 79 pr.) 'negat Servius .. et ego cum Servio sentio'; Celsus (D. 33, 10, 7, 2): 'etsi magnopere me Tuberonis et ratio et auctoritas movet, non tamen a Servio dissentio'; Pomponius (D. 38, 10, 8): 'Servius recte dicebat ...'; Africanus (D. 19, 2, 35, 1): 'Servii sententiam veram esse existimo'; 44, 7, 23: 'respondit <Iulianus?>, adeo ut et illud Servius rectissime existimaverit ...'; Paulus (D. 40, 4, 35): 'Servius existimabat ..: quae sententia vera est'; (D. 50, 16, 25, 1) 'Servius non ineleganter ..'; Ulpianus (D. 13, 3, 3): 'verius est quod Servius ait'; (28, 5, 17, 1) 'sed Servius .. ait, quam sententiam veriorem puto'; (43, 24, 5, 3) 'Servius recte ait'.

Servii sententiae plurimae ab auditoribus referuntur, inprimis ab Alfeno Varo, Aufidio Namusa et C. Ateio, a prioribus in libris Digestorum (et quidem ab Alfeno libro I D. 28, 1, 25; libro XXXIX D. 3, 5, 20 pr. et libris incertis: D. 17, 2, 65, 8; 32, 29, 2; 33, 7, 16, 1; 46, 3, 67; 50, 16, 77, a Namusa incertis tantum libris D. 17, 2, 52, 18; 35, 1, 40, 3 cf. infra de Servii responsis), a C. Ateio in incerti argumenti libris (D. 23, 3, 79, 1; 34, 2, 39, 2.)

Auditores secuti sunt alii aetate inferiores, primus Labeo, qui Servium et libris ad edictum praetoris (urbani? peregrini?) et libris posterioribus laudat, et illis quidem libris incerto loco (D. 4, 3, 1, 2 P. 34; D. 43, 21, 3, 1 P. 165; D. 39, 2, 24, 3. 4. P. 190), in his autem libris non quidem genuinis (P. 229—240), sed tantum in libris a Iavoleno epitomatis (libro II D. 32, 29, 1 P. 171. D. 33, 4, 6 pr. P. 178. D. 34, 2, 39, 2 P. 185. D. 35, 1, 40, 3 P. 186, libro IV D. 40, 7, 39 pr. § 3 P. 196, libro V D. 18, 1, 80, 2 P. 208. D. 28, 1, 25 P. 216, libro VI D. 23, 3, 79 pr. § 1 P. 221. D. 24, 3, 66 pr. P. 227).

Servium non a Iavoleno demum, sed iam a Labeone laudatum esse negari nequit. Labeonem enim saepe Servii

auditorum libris usum esse apparet: in libris enim ad edictum praetoris (D. 39, 2, 9, 2) et in posterioribus libris Alfeno Varo (D. 39, 2, 9, 2 Labeo P. 116. D. 28, 1, 25 et D. 33, 4, 6 pr. Iavolenus P. 216. 178) usus est, in posterioribus libris praeterea Aufidio Namusa (D. 33, 5, 20. 35, 1, 40, 3. Iavolenus P. 179. 186) et C. Ateio (D. 34, 2, 39, 2. 23, 3, 79 Iavolenus P. 185. 221).

Sequuntur Masurius Sabinus, qui Servium raro tantum laudat (D. 34, 2, 19, 17 P. 16. Gai. 3, 156 P. 228), fortasse semel libris ad Vitellium (D. 19, 2, 19, 1 P. 95 P. 16), — Fabius Mela in incerti argumenti libro (D. 33, 9, 3, 10 P. 24), — Iuventius Celsus filius in Digestorum libris (libro VI D. 13, 3, 3 P. 56, libro XI D. 26, 1 3, 4 P. 93; libro XVI D. 28. 5, 17, 1 P. 123; libro XVII D. 30, 63 P. 137; libro XIX D. 33, 10, 7, 2 P. 168; libro XXV D. 43, 24, 7, 4 P. 210), — Proculus libro incerto (D. 41, 1, 26 pr. P. 147), — Neratius Priscus tam in Membranarum libris (libro II D. 12, 4, 8 P. 11), quam libro singulari de nuptiis (Gell. 4, 4 P. 63), — Salvius Iulianus, qui pro fragmentorum numero quae habemus (928), Servium rarissimo laudat, nimirum in Digestorum libris tantum libro XLIV (D. 41, 5, 2, 2 P. 620) et libro XLVII (D. 50, 16, 77 P. 642), praeterea tantum libro singulari de ambiguitatibus (D. 32, 62 P. 2), — Sextus Pomponius, non quidem in libris ad edictum, sed tam in libris ad Q. Mucium (libro VIII D. 50, 16, 122 P. 255[b] et libro XXXVIII D. 42, 2, 77, 1 P. 322) quam ad Sabinum (libro II D. 5, 1, 80 P. 392; libro III D. 35, 1, 6 P. 423; libro VI D. 33, 7, 15 P. 490; libro XXX D. 32, 57 P. 749), praeterea in libris variarum lectionum (libro X D. 4, 8, 40 P. 832) et in libro II enchiridii (D. 38, 10, 8 P. 174. de enchiridii libro singulari v. supra p. 139 sqq.), — Gaius non quidem in libris ad edictum praetoris urbani, sed tam ad edictum provinciale (D. 50, 16, 30 pr. P. 174) quam ad leges XII tabularum (D. 50, 16, 237 P. 439), denique in Institutionum libris (libro I 188. II 244. III 149. 179. 183), — Ulpius Marcellus libris

Digestorum (libro XIII D. 46, 3, 67 P. 157 et libro XX D. 13, 3, 3 P. 225), — Claudius Venuleius Saturninus in libris de interdictis (D. 43, 24, 4 P. 13), — Q. Cervidius Scaevola libris Quaestionum (D. 21, 2, 69, 3 P. 138), — Claudius Tryphoninus libris Disputationum (D. 49, 15, 12 pr. P. 13), — Aemilius Papinianus tam libris Quaestionum (libro X D. 40, 4, 48 P. 176; libro XIII D. 28, 7, 28 P. 217) quam Responsorum (Vat. fr. 294 P. 700), — Iulius Paulus libris ad edictum (libro IX D. 3, 5, 20 pr. P. 191; libro XXI D. 50, 16, 25, 1 P. 339[b]; libro XXXII D. 17, 2, 65, 8 P. 495; libro XXXIV D. 14, 2, 2 pr. § 3 P. 521; libro XXXVIII D. 26, 1, 1 pr. P. 556; libro LI D. 40, 12, 24 pr. P. 646; libro LIV D. 41, 4, 2, 8 et 34, 2, 4 P. 664[a]. 669; libro LIX D. 50, 16, 77 P. 715), ad Sabinum (libro VI D. 17, 2, 30 P. 1732 et libro XIV D. 41, 1, 26 pr. P. 1868[b]) et libris ad Plautium (D. 8, 6, 7 P. 1191[a]), — Domitius Ulpianus tam libris ad edictum (libro XI D. 4, 3, 1, 2 P. 384; libro XII D. 4, 6, 26, 4 P. 439; libro XVIII D. 9, 1, 1, 4 P. 607; libro XXIII D. 9, 3, 5, 12 P. 694; libro XXVII D. 13, 3, 3 P. 780; libro XXVIII D. 14, 3, 5 pr. P. 824[b]; libro XXIX D. 15, 1, 9 P. 852[c]; libro XXXII D. 19, 1, 13, 30 P. 935; D. 19, 2, 15, 2 P. 949; D. 19, 2, 19, 1 P. 951; libro XXXVI D. 27, 7, 4 P. 1032; libro XLI D. 37, 9, 1, 24 P. 1135; libro XLII D. 38, 2, 1 P. 1149; libro LIII D. 39, 3, 1, 6 P. 1285; libro LXIX D. 43, 17, 3, 11 P. 1542; libro LXX D. 43, 21, 3 pr. P. 1583[b]; libro LXXI D. 43, 24, 5, 3 P. 1592[c]; D. 43, 24, 13, 3 P. 1597[b]; libro LXXXI D. 39, 2, 24, 4. 5 P. 1753) quam ad Sabinum (libro VII D. 28, 5, 17, 1 P. 2488; libro XIX D. 30, 30, 2 P. 2597[c]; libro XX D. 34, 2, 19, 17 P. 2606; D. 33, 7, 12, 6 P. 2609; libro XXII D. 33, 9, 3, 6. 10 P. 2641; libro XXVII D. 40, 7, 3, 2 P. 2697; libro XXXVII D. 26, 1, 3, 4 P. 2837; libro LIV D. 34, 2, 27, 3 P. 2915).

Ipsius Servii libros paulatim negligi videmus, ita ut Servii sententiae a posteris ex aliorum potius libris desumantur. Hadriani temporis iuris consultis Servii libri

partim adhuc in manibus fuerunt, inprimis Neratio (D. 12, 4, 8 P. 11: 'Servius in libro de dotibus scribit'), qui in libro quem de nuptiis composuit, Servii de dotibus libro usus est (Gell. 4, 4 .. 'scripsit Servius Sulpicius in libro quem ⟨in⟩scripsit de dotibus .. haec eadem Neratius scripsit in libro quem de nuptiis composuit'), sine dubio et Celso, quem etiam Q. Mucii libris usum esse constat, in Digestorum libris (nam haec legimus: libro XVIII D. 30, 63 P. 137 '... Servius .. negat deberi .., quod falsum puto', et libro XIX D. 33, 10, 7, 2 P. 168 'Servius fatetur sententiam eius qui legaverit aspici oportere .. id Tubero parum sibi liquere ait ... sed .. non .. a Servio dissentio ..'), fortasse et Pomponio (apud quem haec legimus D. 50, 16, 122 P. 255[b]; D. 4, 8, 40 P. 832 'Servius ait'; 'Servius respondit' D. 5, 1, 80 P. 392; D. 35, 1, 6, 1 P. 423 et D. 32, 57 P. 749) et Gaio (Inst. I, 188 'quidam dixerunt, ut Q. Mucius, alii .., ut Ser. Sulpicius'; III, 156 'Servius negavit'; II, 244 'Servius .. putat'; III, 149 et 179 'Ser. Sulpicius .. existimavit'; III, 183 'Ser. Sulpicius et Masurius Sabinus .. dixerunt'. cf. D. 50, 16, 30 pr. P. 174 'quidam putant .., Servius ..').

Sub Severis Servii libri in usu esse desierunt. de Tryphonino (D. 49, 15, 12 pr.: 'Servius scribit') et de Paulo (D. 17, 2, 30: 'Servius in notatis Mucii ait'; D. 40, 12, 24, 1 et 41, 4, 2, 8: 'Servius ait'; D. 8, 6, 7: 'Servius scribit'; D. 26, 1, 1 pr.: 'Servius definit'; D. 40, 4, 35: 'Servius existimabat') dubitari potest; nam quae D. 50, 16, 77 legimus: 'Servius apud Alfenum .. putat' ad Servii responsa referre licet. cf. D. 14, 2, 2, 3: 'Servius Ofilius Labeo .. aiunt'. de Pauli veterum usu cf. Krueger p. 206.

Ulpianum vero Servii sententias ex aliorum, inprimis ex Labeonis Sabini Melae libris hausisse apparet (D. 39, 2, 24, 3 sqq.: 'et Labeo quidem scribit .. Servius quoque putat .. Labeo et rationem adicit .. idem Servius putat .. et ita Labeo probat'. D. 4, 3, 1, 2 .. 'Servius quidem

ita definiit ... Labeo autem ...'; D. 43, 21, 3, 1: 'Servius et Labeo scribunt'; D. 30, 30, 2: 'et ait Servius et Labeo ..'; D. 19, 2, 19, 1: 'et ita Servio Labeoni Sabino placuit'; D. 33, 9, 3, 10: 'Servius apud Melam .. scribit').

Iuliani tempore iuris civilis scientiam, quae paulo ante libertorum artificium dicta esset, Manilios Scaevolas Servios in amplissimum gradum dignitatis evexisse Mamertinus (grat. act. Iuliano 20) ait. Tribonianus cum Iustiniani iussu Digesta et Institutiones componeret, in harum quidem libris ex complurium scriptorum compilatis Servii definitiones sententiasque nonnullas retinuit (I. 1, 13, 1. 3, 25, 2 pr.), sed neque in Digesta ullum Servii librum recepit et in multis posterorum iuris consultorum fragmentis quae recepit, Servii et sententias et nomen delevit.

Qui Servii sententias referunt, partim scribunt: 'dixit' (Gai. 1, 188; 3, 183), 'scripsit' (Gell. 4, 3, 2; 4, 4; 7, 12, 1), 'existimavit' (Gai. 3, 149. 179), 'negavit' (Iulianus D. 41, 5, 2, 2), partim 'dicebat' (Pomponius D. 38, 10, 8), 'aiebat' (Cic. ad fam. 7, 21, Fest. v. municeps, Ulpianus D. 37, 9, 1, 24), 'existimabat' (Paulus D. 40, 4, 35), 'putabat' (Pomponius D. 47, 2, 77, 1; Scaevola D. 21, 2, 69, 3; Ulpianus D. 19, 1, 13, 30), 'distinguebat' (Ulpianus D. 34, 2, 19, 17), partim 'dicit' (Gell. 4, 4, 3), 'scribit' (Neratius D. 12, 4, 8; Tryphoninus D. 49, 15, 12 pr.; Paulus D. 8, 6, 7; Ulpianus D. 9, 1, 1, 4; 33, 9, 3, 10; 38, 2, 1 pr.; 43, 21, 3 pr.), 'existimat' (Ulpianus D. 34, 2, 27, 3), 'putat' (Cic. top. 8, 38; Labeo D. 40, 7, 39 pr.; Gai. 2, 244; Paulus D. 50, 16, 77; Ulpianus D. 39, 2, 24, 5), 'animadvertit' (Gai. D. 50, 16, 237), 'ait' (Labeo (D. 24, 3, 66 pr.; Fest. v. pedem, vindic., sarcito, Pomponius D. 4, 8, 40; 50, 16, 122; Paulus D. 14, 2, 2, 3; 17, 2, 30; 40, 12, 24, 1; 41, 4, 2, 8).

I. Orationes.

Oratoriam Servii artem Cicero magni aestimavit, nam Servium non modo 'in secunda arte', scilicet in iuris

prudentia primum, sed etiam 'in prima', scilicet in arte oratoria, secundum fere habuit. hac arte Servius in iudiciis publicis usus est. Cicero pro Murena 21, 43 'accusandi terrores et minae, quibus tu quotidie uti solebas, sunt fortis viri'.

Quintil. 10, 1, 116: 'Ser. Sulpicius insignem non immerito famam tribus orationibus meruit'. 10, 7, 30: 'feruntur aliorum quoque (quam Ciceronis) .. et inventi forte ut eos dicturus quisque composuerat et in libros digesti, ut causarum quae sunt actae a Ser. Sulpicio, cuius tres orationes exstant. sed hi de quibus loquor commentarii ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis videantur esse compositi'. 12, 10, 11: 'vim Caesaris, indolem Caelii, subtilitatem Calidii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalae, sanctitatem Calvi, gravitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Cassii reperiemus'.

Quintilianus et orationem 'pro Aufidia' (4, 2, 106) et aliam 'contra Aufidiam' nominat (6, 1, 20), alteram fortasse errore. Teuffel-Schwabe § 174, 3. ex oratione pro Aufidia fragmentum habemus, quod subieci.

Fest. p. 153 v. mancipatione. — ⟨mancipatione adoptatur⟩, ut patri sui here⟨s esse desinat: sed eius qui adop⟩tet, tam heres est quam⟨si ex eo natus esset. adrogatione qui⟩ in potestate alie⟨na non est, adrogatoris fit filius⟩ et suus heres, ut p⟨atet manifeste ex eo quod ait⟩ Ser. Sulpicius in ea oratio⟨ne, quam habuit contra Messalam⟩ pro Aufidia.

II. Responsa.

De Servii respondendi munere supra p. 140 diximus. responsa eius plurima tradita sunt maximam partem ab auditoribus post praeceptoris mortem collecta. collegerunt Alfenus Varus, Aufidius Namusa, C. Ateius et fortasse etiam Cinna. quae de singulis auditoribus referuntur, hoc loco collocavi.

Alfenum Varum Servii responsa retulisse tradunt Labeo (D. 28, 1, 25 'Varus .. Servium respondisse scripsit'; D. 32, 29, 2 'Alfenus Varus Servio placuisse scribit'; D. 33, 4, 6 pr. 'Alfenus Varus Servium respondisse scribit'), Marcellus (D. 46, 3, 67 'apud Alfenum Servius respondit'), Paulus (D. 3, 5, 20 pr. 'Servius respondit, ut est relatum apud Alfenum').

Aufidium Namusam Servii responsa retulisse tradunt idem Labeo (D. 35, 1, 40, 3 'Namusa Servium respondisse scribit'), Ulpianus (D. 17, 2, 52, 18 'Servium respondisse Aufidius refert'), Paulus in Alfeni Digestis epitomatis (D. 28, 5, 46 'Servius respondit'; D. 33, 7, 16, 1 'Servius respondit').

C. Ateium Servii responsa retulisse scribit unicus Labeo (D. 23, 3, 79, 1 'Ateius scripsit Servium respondisse'; D. 34, 2, 39, 2 'Ateius Servium respondisse scribit').

Cinna denique, qui bis tantum in Iustiniani Digestis laudatur (scilicet a Labeone D. 35, 1, 40, 1 et ab Ulpiano D. 23, 2, 6), utroque loco de responsis scribit, ita ut Servii fortasse responsa in mentem habuisse videatur.

Nonnunquam generaliter 'Servii auditores' praeceptoris responsa referre dicuntur, scilicet ab iisdem Labeone (D. 33, 4, 6, 1 'Servii auditores retulerunt') et Ulpiano (D. 33, 7, 12, 6 'ita Servium respondisse auditores referunt'). haec viri docti optimo iure ad illud opus referunt, quod Aufidium Namusam ex octo Servii auditorum libris composuisse Pomponius § 44 dicit.

Etiam a posterioribus iuris consultis Servii responsa laudantur et nonnunquam quidem expresse ex auditorum illorum libris. testimonia secundum temporis rationem collocare visum est. primo loco Labeo nominandus est, qui in posterioribus libris, quorum fragmenta in Iavoleni epitome servata sunt (P. 160—240), et Alfenum Varum et Namusam et Ateium praeceptoris responsa referentes allegat. ex Alfeno haec afferuntur: 'Alfenus Varus Servium respondisse scribit' (D. 33, 4, 6 pr. Labeo libro II posteriorum a Iavoleno epitomatorum P. 178); 'Varus

Digestorum libro primo Servium respondisse scripsit (D. 28, 1, 25 Iavolenus libro V posteriorum Labeonis P. 216), 'scio Servium respondisse' (D. 18, 1, 80, 1 Labeo libro V posteriorum a Iavoleno epitomatorum P. 208); ex Namusa haec: 'Namusa Servium respondisse scribit' (D. 35, 1, 40, 3. Idem [Iavolenus] libro II ex posterioribus Labeonis P. 186); ex Ateio denique haec: 'Ateius Servium respondisse scribit' (D. 34, 2, 39, 2 Iavolenus libro II ex posterioribus Labeonis P. 185), 'Ateius scripsit Servium respondisse' (D. 23, 3, 79 Labeo libro VI posteriorum a Iavoleno epitomatorum P. 221).

Secuti sunt Proculus ('Proculus indicat hoc iure nos uti, quod Servio et Labeoni placuisset' D. 41, 1, 26 Paulus libro XIV ad Sabinum), — Celsus filius ('Servius .. negat deberi' D. 30, 63 libro XVII Digestorum; 'et ait Celsus Servium constituisse' D. 26, 1, 3, 3 Ulpianus libro XXXVII ad Sabinum), — Pomponius cum certe libris ad Sabinum (libro II D. 5, 1, 80 'Servius respondit', libro III D. 35, 1, 6, 1 'Servius respondit', libro VI D. 33, 7, 15 pr. 'Servius respondit' et libro XXX D. 32, 57 'Servius respondit'), tum fortasse etiam libris ad Q. Mucium (libro VIII D. 50, 16, 122 'Servius ait' et libro XXXVIII D. 47, 2, 77, 1 'nec utimur Servii sententia qui putabat . . .'), — Iulianus Digestorum libris (libro XLIV D. 41, 5, 2, 2: 'negavit usucapere Servius'), libro singulari de ambiguitatibus (D. 32, 62 'respondit Servius') et incerto quodam libro (Africanus enim Quaestionum libro VII D. 44, 7, 23 haec scribit: 'respondit <Iulianus?>: adeo ut et illud Servius rectissime existimaverit'), — Africanus Quaestionum libris (libro VII D. 44, 7, 23 '. . ut Servius . . existimaverit', libro VIII D. 19, 2, 35 pr. 'distinctio . . quae a Servio introducta . . est'), — Marcellus Digestorum libris (D. 46, 3, 67 'apud Alfenum .. Servius respondit'), Scaevola Quaestionum libris (D. 21, 2, 69, 3 'auctoritas Servii .. existimantis'), — Papinianus Responsorum libris (libro X D. 40, 4, 48 'Servius respondit', libro XII Vat. fr. 294 'Servio Sulpicio placuit', libro XIII D. 28,

7, 28 'respondit Servius'), — Paulus libris ad edictum (libro IX D. 3, 5, 20 pr. 'Servius respondit, ut est relatum apud Alfenum libro trigensimo nono Digestorum', libro XXXIV D. 14, 2, 2 pr. 'Servius respondit', libro XLIX D. 50, 16, 77 'Servius apud Alfenum .. putat', libro L D. 40, 4, 35 'Servius existimabat', libro LI D. 40, 12, 24, 1 'Servius ait', libro LIV D. 34, 2, 4 'Servius respondit'; 41, 4, 2, 8 'Servius ait'), — Ulpianus et libris ad edictum (libro XVII D. 8, 5, 6, 2 'Servii sententia'; libro XXIII D. 9, 3, 5, 12 'Servius respondit'; libro XXIX D. 15, 1, 17 'Servius respondit'; libro XXXI D. 17, 2, 52, 18 'Servium respondisse Aufidius refert'; libro XXXII D. 19, 1, 13, 30 'Servius putabat'; 19, 2, 15, 2 'Servius ... ait'; 19, 2, 19, 1 'Servio .. placuit'; libro XXXVI D. 27, 7, 4 pr. 'exstat Servii sententia'; libro XLI D. 37, 9, 1, 24. 25 'Servius aiebat .. idem ait'; libro LXIX D. 43, 17, 3, 11 'Servii .. sententia est'; libro LXXI D. 43, 24, 5, 3—6 'Servius .. ait .. item ait .. idem dicit'; libro LXXVII D. 47, 10, 15, 32 'Servius ait'; libro LXXXI D. 39, 2, 24, 4. 5 'Servius .. putat .. idem Servius putat') et ad Sabinum (libro XX D. 33, 7, 12 pr. § 6 'Servium respondisse auditores eius referunt ... Servium respondisse auditores eius referunt', libro XXXVII D. 26, 1, 3, 4 'ait Celsus Servium constituisse').

Itaque Alfeni Digesta a Labeone, Marcello et Paulo, Namusae Digesta ab eodem Labeone et ab Ulpiano, Ateii denique libri tantum a Labeone laudantur. fortasse non casu factum est, quod neque Paulus Namusae neque Ulpianus Alfeni libros laudat.

Ceterum testimoniorum collocatio id quoque videtur docere, verba 'ait', 'dicit', 'putat', 'existimat', 'negat' vel 'aiebat', 'putabat', 'existimabat' similiaque non sine causa ad responsa referri et posse et nonnunquam deberi. an vero ubique recte responsa statuerim, in incerto relinquo.

Iam ad Alfeni Digesta recurrendum est, quae non modo ipsius Alfeni sed etiam Servii responsa protulisse apparet. at utra responsa utri attribuenda sint, de eo

valde dubitatur. nimirum res ita se habet: ex genuinis Alfeni Digestis tria tantum fragmenta servata sunt; plurima vero eorum quae habemus, epitomae vel potius duarum epitomarum videntur esse a Paulo et ab anonymo factarum. illius fragmenta invenies P. 31—74, huius P. 4—30.

E tribus genuinorum Alfeni Digestorum fragmentis unum Alfeni (Gell. 7, 5, 1), reliqua duo Servii responsa proferunt (D. 28, 1, 35 'Varus Digestorum libro I Servium respondisse scripsit'; D. 3, 5, 20 'Servius respondit, ut est relatum apud Alfenum libro XXXIX Digestorum'). quod vero ad epitomas attinet, Pauli epitome Servii responsa duo refert (D. 28, 5, 46 P. 34 'Servius respondit'; D. 33, 7, 16, 1 P. 44 'Servius respondit'), anonymi vero epitome nusquam Servii nomen habet. in neutra epitome Alfeni nomen laudatur, sed in utraque saepius vel 'respondit' vel 'respondi' legitur.

Responsa igitur, quae voce 'respondi' referuntur, Alfeno, quae voce 'respondit' referuntur, Servio videntur attribuenda. quamquam Krueger p. 65 n. 56 Mommsenum (Z. f. RG. IX 90 n. 25) secutus varietatem illam ex scribae errore vel ex falsa interpretatione notae, quae una eademque fuisset vocum 'respondi' et 'respondit' facile oriri potuisse, caute monet. itaque rem ipsam inspiciamus.

'Respondit' invenitur in Pauli epitome his locis: P. 35. 36, 1. 39, 2. 44, 2. 46. 49. 51 pr. 1. 52[b], 1. 54 pr. 1, 2. 56. 58. 59 pr. 61. 62 pr. 1, 2, 3, 4. 64 pr. 65. 66. 69. 70. 71. 72. 73; in anonymi epitome his: P. 5 pr. 1, 2. 11. 12. 15, 1. 17. 18 pr. 1. 19. 20. 21[b]. 25. 26 pr. 1. 28. 29[a]. 'respondi' invenitur in Pauli epitome his locis: P. 39, 1. 43, in anonymi his: P. 4, 2. 6. 7, 1, 2, 3, 4. 8. 10. 23. 24. 27. 30.

In Florentino codice complurium librariorum manus cognoscuntur. Mommseni praef. p. XXVI. fragmenta, quae 'respondi' habent, in his Digestorum libris inveniuntur: IV (P. 30), V (P. 23), VI (P. 24), VIII (P. 43), IX (P. 6),

X (P. 8), XI (P. 10), XXXII (P. 39); respondit in his libris: VI (P. 49), VIII (P. 61), X (P. 66), XII (P. 69), XIII (P. 70), XIV (P. 55), XVIII (P. 52[b]. 62), XIX (P. 54. 56), XXIII (P. 58), XXIV (P. 59), XXVIII (P. 19), XXXII (P. 39), XXXIII (P. 35. 44. 46), XXXIV (P. 21), XXXV (P. 36), XXXVIII (P. 26), XXXIX (P. 5. 64), XXXX (P. 17. 18. 25), XXXXI (P. 65), L (P. 29[a]. 38). quale exemplum fuerit, quod librarii descripserunt, nescimus, sed id notis scriptum fuisse neque constat neque verisimile est, cum Iustinianus notarum usum vetuerit.

Triboniani vero adiutores Alfeni Digestorum naturam cognitam habuisse Dorotheus docet, quem Mommsen ad D. 9, 1, 5 et 19, 2, 25 (editionis maioris) et Krueger p. 65 n. 53 allegant. cf. Z. f. RG. IX, 93. itaque uno vel altero quidem loco librarium errare potuisse non negaverim, sed discrepantiam illam nullius omnino ponderis esse certe nego. accedit, quod in uno eodemque Pauli fragmento (P. 39) continuo et 'respondi' (§ 1) et 'respondit' (§ 2) legitur, cum in ceteris fragmentis, quae plurima responsa contineant, ubique aut 'respondit' aut 'respondi' legatur. exempla sunt P. 62 (pr. 1. 2. 3. 4 'respondit') et P. 7 (1. 2. 3. 4 'respondi'). Krueger p. 205 n. 20 quidem putat: „In Dig. 32, 60, 1 ist für respondi sicher wie in den übrigen Stellen respondit zu schreiben", quod ego negaverim.

Praeter 'respondit' et 'respondi' alia similia in utraque epitome reperiuntur, de quibus iam disserendum est. in Pauli enim epitome legimus 'ait' (P. 39, 3. 63), in anonymi epitome: 'item rogavi' (P. 26, 1). qui scripsit 'rogavi', non alius videtur esse atque is qui scripsit 'respondi', Alfenum dico: is ergo praeceptorem aeque consuluit, atque postea exempli causa Modestinus Ulpianum (D. 47, 2, 52, 20). in priore illo Pauli fragmento, in quo non modo 'respondi' et 'respondit', sed etiam 'ait' legitur, haec quoque verba inveniuntur: 'sic mihi placet' (P. 39, 2); an qui haec scripsit, idem sit atque qui 'respondi' scripsit, hoc loco in incerto relinquendum est.

Ut reliqua expediantur, ante omnia quaerendum est, utrum cum Paulus et anonymus tum Tribonianus Alfeni verba ubique retinuerint an nonnunquam mutaverint. quod ad Tribonianum, responsorum formam ab Alfeno plerumque retentam in Iustiniani Digestis saepius mutatam esse idque negligentissime apparet. operae pretium erit, quae varietates in referendis Alfeni verbis inveniantur, exemplis illustrare.

In nonnullis Pauli et anonymi fragmentis hodie et consultatio et responsum plene genuinaque, ut videtur, forma leguntur. exempla habes apud Paulum P. 36, 1. 43. 44, 2. 48. 51. 54 pr. 2, 3. 61. 62 pr. 3. 69. 71. 73, apud anonymum P. 4, 2. 5 pr. 1, 2. 6. 7, 1, 2, 3, 4. 8. 10. 15, 1. 17. 18 pr. 19. 20. 23 pr. 24. 25. 27. 28. 29. in his fragmentis ubique re ipsa proposita inveniuntur primum 'quaerebatur' (vel 'quaesitum est') vel 'consulebatur', deinde 'respondit' vel 'respondi' (vel 'responsum est').

In aliis fragmentis re ipsa proposita tantum responsum refertur, ita ut consultatio non expressis verbis proferatur. exempla habes apud Paulum P. 34. 39, 1. 44, 1. 46. 51, 1. 52[b], 1. 54, 1. 4. 55. 58. 62, 2. 4. 65. 70, apud anonymum P. 11. 14. 18, 1. in his fragmentis dictionem traditam in brevius contractam esse nonnunquam apparet.

In aliis fragmentis aeque responsum tantum refertur, sed ita ut eius forma aliqua tenus immutata sit. exempla habes apud Paulum P. 32. 41. 45. 60 pr., apud anonymum P. 9. 21[b]. quomodo Tribonianus Alfeni verba mutaverit, P. 60 optime docet, ubi haec legimus: 'supellectilis eas res esse puto, quae .. paratae essent ..., quare quae ... pertinerent neque ... essent, supellectilis non esse'.

In aliis denique fragmentis responsi forma prorsus deleta res generaliter definitur. exemplum habes apud Paulum P. 50, apud anonymum P. 13. res ita negligenter expedita est, ut altero loco talia legamus: 'si quis,

cum fundum venderet, dolia . . . accessura dixisset, quamvis ibi nullum dolium fuisset, tamen dolia emptori debebit'. —

Iam quaeritur, utrum Paulus vel anonymus Alfeni orationem retinuerit an nonnunquam mutaverit. sed hoc vel ideo magis placet, quod uterque non quid Alfeni, sed quid suo ipsius tempore iuris sit, referre putandus est. itaque non dubito, quin nonnulla quae in Pauli epitome leguntur, neque Alfeni neque Triboniani, sed Pauli habenda sint. huius generis esse puto 'verum est' (P. 31) vel 'verius est' (P. 39 pr. 44 pr. 1). cf. Pauli fragmenta exempli gratia P. 1087, 1 ('verius est'), 1142 ('est verum'), 1152 ('verius est'), 1166 ('verius est'). item quod in Pauli et anonymi epitome legitur 'placet' (P. 52[a]) et 'magis placet' (P. 29[b]), ipsius Pauli vel anonymi esse puto. an idem de voce 'placuit' (P. 14) indicandum sit, incertus sum, cum fortasse Alfenus scripserit 'Servio placuit' et Tribonianus Servii nomen deleverit.

Krueger, qui verba 'verius est' (P. 44 pr. § 1) ipsi Alfeno adtribuit, discipulum contra praeceptorem statuisse putat (p. 65 n. 55). quae interpretatio vel ideo dubitationem habet, quod similia nusquam traduntur.

Alfenum in Digestis suis etiam proprias sententias protulisse non nego. sed qui eas accuratius inspiciet, nunquam Alfenum quidquam 'respondere' vel 'respondisse' inveniet, excepto unico Gelliano fragmento, in quo Alfenus non tam iuris consultus quam grammaticus verbi 'puri puti' significationem explicat. in ceteris fragmentis aliquid 'rettulisse' (Papinianus D. 31, 74) aut 'scripsisse' vel 'scribere' (Pomponius D. 18, 1, 18; Ulpianus 8, 5, 8, 5; 39, 2, 9, 2; 40, 12, 10) aut 'putare' (Paulus D. 39, 3, 2, 5) aut 'aiere' dicitur (Pomponius D. 50, 16, 239, 6; Marcellus D. 50, 16, 87; Paulus D. 39, 3, 2, 5). licet igitur una et altera sententia responsum fuerit, certe Alfenum non multum fuisse in respondendo apparet, nedum cum Servio hac in re comparari possit.

Itaque praeter responsa quae Servio diserte adtri-

buuntur, ea quoque eidem dedi, quae in Alfeni Digestis epitomatis verbo 'respondit' inducuntur.

Quamquam responsorum partem Servium in libros suos recepisse verisimile est, tamen omnia hoc loco congerere volui, ita ut in librorum fragmentis digerendis nonnulla denuo considerare oporteat.

Iuris consultorum vel aliorum auctorum verba, quae aut ad Servii responsa aut ad Servii libros relegant aut denique in dubio relinquunt, utrum responsa an libros Servii significare velint, hoc loco proponere idoneum videtur.

Servium aliquid 'scribere' legitur apud Tryphoninum (D. 49, 15, 12 pr.), Paulum (D. 8, 6, 7), Ulpianum (D. 9, 1, 1, 4; 38, 2, 1; 43, 21, 3, 1. — 40, 7, 3, 2); Servium 'apud Melam' scribere, legimus apud Ulpianum (D. 33, 9, 3, 10), Servium 'in libro de dotibus' scribere, apud Neratium (D. 12, 4, 8) et apud Gellium (4. 3, 2. 4, 2), eundem 'in libro de sacris detestandis' et 'in reprehensis Scaevolae capitibus' scripsisse, apud Gellium (7, 12, 1; 4, 1, 20); 'apud Servium relatum' esse, legitur apud Ulpianum (D. 43, 24, 13, 4).

Servium aliquid 'respondere' vel 'respondisse' legitur apud Alfenum (D. 28, 5, 46; 33, 7, 16, 1. 2), Iulianum (D. 32, 62), Pomponium (D. 5, 1, 80; 33, 7, 15 pr.; 35, 1, 6, 1; 32, 57), Gellium (4, 2, 12), Papinianum (D. 40, 4, 48), Paulum (D. 34, 2, 4), Ulpianum (D. 9, 3, 5, 12; 15, 1, 17).

Servium respondisse vel Ateium vel Namusam vel Varum scribere, legitur apud Labeonem (D. 23, 3, 79; 28, 1, 25; 33, 4, 6 pr.; 34, 2, 39, 2; 35, 1, 40, 3), apud eundem legitur Servium respondisse se scire (D. 18, 1, 80, 2), eum respondisse, 'ut est relatum apud Alfenum', apud Paulum (D. 3, 5, 20 pr.), vel 'apud Alfenum' Servium respondere, apud Marcellum (D. 46, 3, 67), vel Servium respondisse Aufidium aut auditores Servii referre, apud Ulpianum (D. 17, 2, 52, 18; 33, 7, 12, 6).

Servium aliquid 'aiere' scribunt Cicero ad fam. 7, 21; Festus v. mancipatione, municeps, noxia, sarcito, pedem struit, vindiciae, Labeo sive Iavolenus (D. 24, 3, 66 pr.; 40, 7, 39, 3), Pomponius (D. 4, 8, 40; 50, 16, 122), Paulus

(D. 14, 2, 2, 3; 40, 12, 24, 1; 41, 4, 2, 8), Ulpianus (D. 13, 3, 3; 19, 2, 15, 2; 37, 9, 1, 24. 25; 37, 9, 1, 24. 25; 43, 24, 5, 3. 4; 43, 24, 7, 4; 47, 10, 15, 32; 22, 2, 8. — D. 28, 5, 17, 1; 30, 30, 2), 'libro I ad Brutum' eum aiere scribit Ulpianus (D. 14, 3, 5, 1), 'in notatis Mucii' Paulus (D. 17, 2, 30).

Servium aliquid 'existimare' scribunt Iulianus (D. 41, 5, 2, 2), Gaius (Inst. 3, 179. D. 3, 149), Africanus (D. 44, 7, 23), Scaevola (D. 21, 2, 69, 3), Ulpianus (D. 27, 7, 4 pr.; 34, 2, 27, 3), Paulus (D. 40, 14, 35); eum aliquid 'putare' Cicero (top. 8, 36), Labeo sive Iavolenus (D. 32, 29, 1; 40, 7, 39 pr.), Iulianus (D. 32, 62), Gaius (D. 50, 16, 30 pr.), Scaevola (D. 21, 2, 69, 3), Paulus (D. 50, 16, 77), Ulpianus (D. 19, 1, 13, 30; 39, 2, 24, 4. 5); eum aliquid 'dicere' vel 'dixisse' Gaius (D. 1, 189. 3, 183), Pomponius (D. 38, 10, 8), Ulpianus (D. 43, 24, 5, 6); eum aliquid 'negare' vel 'negasse' Labeo sive Iavolenus (D. 23, 3, 79), Celsus (D. 30, 63), Iulianus (D. 41, 5, 2, 2), Gaius (D. 3, 156); ei aliquid 'placuisse' Labeo sive Iavolenus (D. 32, 29, 2), Papinianus (Vat. fr. 294), Paulus (D. 41, 1, 26 pr.), Ulpianus (D. 19, 2, 19, 1); eum aliquid 'definiisse' Ulpianus (D. 4, 3, 1, 2); eum aliquid 'constituisse' Ulpianus (D. 26, 1, 3, 4), ei aliquid 'videri' idem Ulpianus (D. 4, 6, 24, 4), eum aliquid 'animadvertisse' Gaius (D. 50, 16, 237), eum aliquid 'fateri' Celsus (D. 33, 10, 7, 2) aliique. Servii 'sententiae' referuntur a Pomponio (D. 47, 2, 77, 1), Africano (D. 19, 2, 33), Ulpiano (D. 8, 5, 6, 2; 27, 7, 4 pr.; 43, 17, 3, 11). denique Servii vel dictum vel scriptum affertur solo nomine indicato. cf. Venuleius (D. 43, 24, 4 'Servius .. eum clam facere'), Paulus (D. 50, 16, 25, 1 'Servius .. partis appellatione utrumque significari'), Ulpianus (D. 43, 24, 5, 3 'mihi interdictum competere').

Etiam illis locis, quibus responsum non diserte laudatur, non raro de responso sermonem esse negari nequit.

Digessi Servii responsa secundum rerum ordinem a Q. Mucio constitutum ita quidem, ut ea, quae ad edicti interpretationem pertinent, idoneo loco interponerem.

De testamentis.

Servius et testamentum per nuncupationem factum et tabulas testamenti commemorat. de illo Gaius 2, 103 sq. non disserit, sed id tantum explicat, quod Antonini Pii tempore ('nunc') in usu erat. cf. Czyhlarz Institutionen [2] p. 284.

1. D. 28, 1, 25. Iavolenus libro quinto posteriorum Labeonis (P. 216). Si is, qui testamentum faceret, heredibus primis nuncupatis, priusquam secundos exprimeret heredes, obmutuisset, magis coepisse eum testamentum facere quam fecisse Varus Digestorum libro primo Servium respondisse scripsit: itaque primos heredes ex eo testamento non futuros.

2. D. 28, 5, 17 § 1. Ulpianus libro septimo ad Sabinum (P. 2488). . . . hoc et Labeo. unde idem tractat, si duos ex undecim, duos sine parte scripsit, mox unus ex his qui sine parte fuerunt, repudiaverit, utrum omnibus semuncia an ad solum sine parte scriptum pertineat: . . . sed Servius omnibus adcrescere ait.

3. D. 28, 5, 46. Idem (Alfenus) libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 34). 'Si Maevia mater mea et Fulvia filia mea vivent, tum mihi Lucius Titus heres esto'. Servius respondit, si testator filiam numquam habuerit, mater autem supervixisset, tamen Titium heredem fore, quia id, quod impossibile in testamento scriptum esset, nullam vim haberet.

cf. D. 35, 1, 3. Idem (Ulpianus) libro sexto ad Sabinum (P. 2474). Optinuit impossibiles condiciones testamento adscriptas pro nullis habendas.

4. D. 35, 1, 6 § 1. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 423). Si servos certos quis manumisisset, heres esse iussus erat. quibusdam ex his ante mortuis Neratius respondit defici eum condicione nec aestimabat, parere posset condicioni nec ne. sed Servius respondit, cum ita esset scriptum 'si filia et mater mea vivent' altera iam mortua, non defici condicione.

Servii responsum fortasse ad eam consultationem, de qua est fr. 3, pertinet. matris et filiae nomina ('Maevia', 'Fulvia') a Neratio deleta videntur esse.

5. D. 28, 5, 45. Alfenus libro quinto Digestorum (P. 19). Pater familias testamento duos heredes instituerat. eos monumentum facere iusserat in diebus certis, deinde ita scripserat: 'qui eorum non ita fecerit, omnes exheredes sunto': alter heres hereditatem praetermiserat, reliquus heres consulebat, cum ipse monumentum exstruxisset, numquid minus heres esset ob eam rem, quod coheres eius hereditatem non adisset. respondit neminem ex alterius facto hereditati neque alligari neque exheredari posse, sed uti quisque condicionem implesset, quamvis nemo adisset praeterea, tamen eum heredem esse.

Servium de cretione dixisse Pernice Labeo III p. 43 sq. vidit. cf. Gai. II, 174: interdum duos pluresve gradus heredum facimus, hoc modo: 'L. Titius heres esto cernitoque in diebus <centum> proximis quibus scies poterisque. quodni ita creveris, exheres esto. tum Maevius heres esto cernitoque in diebus centum' et reliqua. II, 164: extraneis heredibus solet cretio dari, id est finis deliberandi, ut intra certum tempus vel adeant hereditatem vel si non adeant, temporis fine summoveantur.

6. D. 35, 1, 27. Alfenus Varus libro quinto Digestorum (P. 21[b]). In testamento quidam scripserat, ut sibi monumentum ad exemplum eius, quod in via Salaria esset Publii Septimii Demetrii, fieret: nisi factum esset, heredes magna pecunia multarat. cum id monumentum Publii Septimii Demetrii nullum repperiebatur, sed Publii Septimii Damae erat, ad quod exemplum suspicabatur eum qui testamentum fecerat monumentum sibi fieri voluisse, quaerebant heredes, cuiusmodi monumentum se facere oporteret et, si ob eam rem nullum monumentum fecissent, quia non repperirent, ad quod exemplum facerent, num poena

tenerentur. respondit, si intellegeretur, quod monumentum demonstrare voluisset is qui testamentum fecisset, tametsi in scriptura mendum esset, tamen ad id, quod ille se demonstrare animo sensisset, fieri debere; sin autem voluntas eius ignoraretur, poenam quidem nullam vim habere, quoniam ad quod exemplum fieri iussisset, id nusquam extaret, monumentum tamen omnimodo secundum substantiam et dignitatem defuncti exstruere debere.

„Iustinian denkt bei diesen Worten (monumentum ... exstruere debere) sicherlich an obrigkeitlichen Zwang, Servius nur an eine sittliche Verpflichtung, sonst hätte er die Zwangsmittel namhaft gemacht. Die unlateinische Construction und die Ähnlichkeit mit dem Schlusse von fr. 7 de ann. leg. weisen sogar auf Interpolation" Pernice Labeo III p. 46 n. 4.

7. D. 34, 8, 2. Alfenus Varus libro quinto Digestorum (P. 21[a]). Quae in testamento scripta essent neque intellegerentur quid significarent, ea perinde *esse* ac si scripta non essent [reliqua autem per se ipsa valent].

Tribonianus pro 'esse' scripsit 'sunt': responsum subesse apparet. cf. fr. 2.

8. Cic. ad fam. 7, 21. — Cicero Trebatio s. d. Silii causam te docui. is postea fuit apud me. cum ei dicerem tibi videri sponsionem illam nos sine periculo facere posse 'si bonorum Turpiliae possessionem Q. Caepio praetor ex edicto suo mihi dedit', negare aiebat Servium tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is, qui factionem testamenti non habuerit ...

cf. Gai. III, 114: 'si quaeramus an valeat testamentum, in primis advertere debemus an is qui id fecerit, habuerit testamenti factionem'. hereditas, de qua agitur, a. 710/44 delata est, ergo responsum non multo ante Servii mortem datum est. Huschke de causa Silaniana. 1824; eiusdem viri docti Studien des R. R. I p. 21 sq.

De legatis.

Servius non modo legatum per damnationem ('heres dato' D. 32, 62; 33, 4, 6 pr.; 35, 1, 40, 3; 31, 74; 33, 1, 22; 35, 1, 28; cf. D. 30, 106 'si in testamento scriptum esset: heres meus .. damnas esto' neque adscripsisset 'dare ..'), sed etiam per vindicationem (D. 33, 7, 15 pr.; 40, 7, 39 pr. 'do lego'; D. 33, 2, 40 'lego') et optionem legatam nominat (D. 35, 1, 38, 1 'Attia uxor mea optato Philargyrum puerum, Agatheam ancillam ...').

Matris et filiae in heredibus instituendis Servium mentionem fecisse vidimus. in legatis iterum de filia dicit (D. 33, 1, 22; 35, 1, 28 pr.) et quidem et 'si arbitratu Lucii Titii nupserit' et quamdiu (Tribonianus 'quotienscunque') 'vidua erit'. inprimis vero uxor nominatur (D. 23, 5, 8; 32, 29, 1 et 60, 2; 33, 4, 6 pr.; 33, 7, 16, 2; 33, 8, 15; 34, 2, 4; 35, 1, 28), cui vel dos relegatur vel partitio legatur vel fundus uti instructus est, in quo paterfamilias ipse habitabat, vel ancillae omnes, vel lana linum purpura quae uxoris causa parata sint, vel optio pueri aut ancillae legantur. legatas res quae ita indicantur, non solum separatim, sed etiam coniunctim datas esse apparet.

Responsa non secundum legatorum genera, sed potius secundum rerum legatarum diversitatem collocavi.

De dote relegata.

9. D. 23, 5, 8. Alfenus libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 58). Vir in fundo dotali uxoris rogatu olivetum succiderat ad hoc, ut novellum reponeret: postea vir mortuus erat et uxori dotem relegaverat. ligna, quae ex oliveto excisa essent, oportere mulieri reddi respondit.

10. D. 33, 4, 6 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 178). Cum scriptum esset: 'quae pecunia propter uxorem meam ad me venit quinquaginta, tantundem pro ea dote heres meus dato', quamvis quadraginta dotis fuissent, tamen quinqua-

ginta debere Alfenus Varus Servium respondisse scribit, quia proposita summa quinquaginta adiecta sit.

11. D. ibid. § 1. Labeo ibid. (P. 178). — Item ei quae dotem nullam habebat, vir sic legaverat: 'quanta pecunia dotis nomine' et reliqua, 'pro ea quinquaginta heres dato'. deberi ei legatum Ofilius Cascellius, item et Servii auditores rettulerunt: perinde habendum esse ac si servus alicui mortuus aut pro eo centum legata essent.

De dote legata.

12. D. 35, 1, 28. Paulus libro secundo epitomarum Alfeni Digestorum (P. 36). Filiae suae ita quis legavit: 'si Attia filia mea arbitratu Lucii Titii nupserit, ei tot heres meus dato'. Titio ante testatorem mortuo Attia nupserat: quaerebatur, an legatum ei deberetur. respondit deberi.

De peculio legato.

13. D. 33, 8, 14. Alfenus Varus libro quinto Digestorum (P. 20). Quidam in testamento ita scripserat: 'Pamphilus servus meus peculium suum cum moriar sibi habeto liberque esto'. consulebatur, rectene Pamphilo peculium legatum videretur, quod prius quam liber esset peculium sibi habere iussus esset. respondit in coniunctionibus ordinem nullum esse neque quicquam interesse, utrum eorum primum diceretur aut scriberetur: quare recte peculium legatum videri [ac si prius liber esse, deinde peculium sibi habere iussus est].

14. D. 33, 8, 15. Idem (Alfenus Varus) libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 46). Servo manumisso peculium legatum erat: alio capite omnes ancillas suas uxori legaverat: in peculio servi ancilla fuit. servi eam esse respondit neque referre, utri prius legatum esset.

15. D. 40, 1, 6. Alfenus Varus libro quarto Digestorum (P. 17). Servus pecuniam ob libertatem pactus

erat et eam domino dederat: dominus prius quam eum manumitteret, mortuus erat testamentoque liberum esse iusserat et ei peculium suum legaverat. consulebat, quam pecuniam domino dedisset ob libertatem, an eam sibi heredes patroni reddere deberent necne. respondit, si eam pecuniam dominus, posteaquam accepisset, in suae pecuniae rationem habuisset, statim desisse eius peculii esse: sed si interea, dum eum manumitteret, acceptum servo rettulisset, videri peculii fuisse et debere heredes eam pecuniam manumisso reddere.

Schol. ad Basil. 48, 1, 6 Servium respondentem nominat.

16. D. 40, 1, 7. Idem (Alfenus Varus) libro septimo Digestorum (P. 25). Duo filii familias peculiares servos separatim uterque habebant: ex his alter servulum suum peculiarem vivo patre manumisit: pater utrique testamento peculium praelegaverat. quaerebatur, servus iste utrum amborum an eius a quo manumissus erat libertus esset. respondit, si prius testamentum pater fecisset, quam filius eum liberum esse iussisset, unius esse libertum, ideo quod eum quoque in peculio legasse videretur: sed si postea testamentum pater fecisset, non videri eam mentem eius fuisse, ut eum, qui manumissus esset, legaret eumque servum, quoniam praelegatus non esset, mortuo patre amborum servum fuisse.

De fundo legato.

17. D. 32, 60 § 3. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 39). Praediis legatis et quae eorum praediorum colendorum causa empta parataque essent, neque topiarium neque saltuarium legatum videri ait: topiarium enim ornandi, saltuarium autem tuendi et custodiendi fundi magis quam colendi paratum esse: asinum machinarium legatum videri: item oves, quae stercorandi fundi causa pararentur: item opilionem, si eius generis oves curaret.

18? D. 35, 1, 40, 1. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. Quidam ita legaverat: 'si Publius Cornelius impensam, quam in fundum Scianum feci, heredi mei dederit, tum heres meus Publio Cornelio fundum Scianum dato'. Cascellius aiebat etiam pretium fundi dari debere, Ofilius impensae verbo negat pretium significari, sed eos tantum sumptus, quos in eum posteaquam emptus esset fecit. idem Cinna scribit adiecto eo, quod non deductis fructibus impensarum ratio haberi debeat.

Fortasse Servii responsum Cinna retulit, ita ut Labeonem sic scripsisse putare possis: 'idem Cinna scribit ⟨Servium respondisse⟩ adiecto' et q. s.

19. D. 33, 7, 16 § 2. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 44). Quidam uxori fundum, uti instructus esset, in quo ipse habitabat, legavit. consultus de mulieribus lanificis an instrumento continerentur, respondit non quidem esse instrumenti fundi, sed quoniam ipse pater familias, qui legasset, in eo fundo habitasset, dubitari non oportere, quin et ancillae et ceterae res, quibus pater familias in eo fundo esset instructus, omnes legatae viderentur.

20. D. 33, 7, 12, 3—6. Ulpianus libro vicesimo ad Sabinum (P. 2609). Quaeritur, an servus, qui quasi colonus in agro erat, instrumento legato contineatur. et Labeo et Pegreus recte negaverunt ... saltuarium autem Labeo quidem putat eum demum contineri, qui fructuum conservandorum gratia paratus sit, eum non, qui finium custodiendorum causa, sed Neratius etiam hunc ... Trebatius amplius etiam putorem et tonsorem, qui familiae rusticae causa parati sunt, putat contineri, item fabrum, qui villae reficiendae causa paratus sit, et mulieres quae panem coquant quaeque villam servent, item molitores, si ad usum rusticum parati sunt, item focariam et vili-

cam, si modo aliquo officio virum adiuvet, item lanificas quae familiam rusticam vestiunt, et quae pulmentaria rusticis coquant.

Sed an instrumenti instrumentum legato instrumento continetur, quaeritur: haec enim, quae rusticorum causa parantur [lanificae et lanae et tonsores et fullones et focariae], non agri sunt instrumentum, sed instrumenti. puto igitur etiam focariam contineri: sed et lanificas et ceteros, qui supra enumerati sunt: et ita Servium respondisse auditores eius referunt.

21. D. 50, 16, 77. Idem (Paulus) libro *quinquagensimo* nono ad edictum (P. 715). '*Fructum*'[1] pro reditu appellari, non solum ⟨qui ex⟩ frumentis aut leguminibus ... Iulianus scribit. fruges omnes ⟨res⟩ esse quibus homo vescatur, falsum esse ... 'frumentum' autem id esse, quod arista se teneat, recte Gallum definisse; lupinum vero et fabam fruges potius dici, quia non arista, sed siliqua continentur, quae Servius apud Alfenum in frumento contineri putat.

22. D. 33, 7, 12 pr. Ulpianus libro vicesimo ad Sabinum (P. 2609). Quaesitum est, an frumentum, quod cibariis cultorum paratum foret, instrumento cederet ... ego puto et frumentum et vinum ad cibaria paratum instrumento contineri: et ita Servium respondisse auditores eius referunt.

De fundi usus fructu legato.

23? D. 33, 2, 12. Alfenus Varus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 40). Heres in fundo, cuius usus fructus legatus est, villam posuit: eam invito fructuario demolire non potest [nihilo magis quam si, quam arborem posuisset, ex fundo is evellere vellet]: sed si antequam usufructuarius prohibuerit, demolierit, impune facturum.

Utrum Servii an Alfeni responsum subsit, in incerto relinquitur.

1 *F.* frugem.

De villa legata.

24. D. 33, 7, 16. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 44). Villae instrumento legato supellectilem non contineri verius est.

Verba 'verius est' non Alfeni, sed Pauli esse iudico: Alfenus fortasse scripsit 'Servius respondit'. cf. D. 13, 3, 3 Ulpianus: 'verius est quod Servius ait'.

De vinea legata.

25. D. 33, 7, 16 § 1. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 44). Vinea et instrumento eius legato instrumentum vineae nihil esse Servius respondit: qui eum consulebat, Cornelium respondisse aiebat palos perticas rastros ligones instrumenti vineae esse.

De materia legata.

26. D. 32, 57. Pomponius libro trigesimo ad Sabinum (P. 749). Servius respondit, cui omnis materia legata sit, ei nec arcam nec armarium legatum esse.

cf. sententiam Minuciorum (Bruns p. 359): 'quominus ex eo agro ligna materiamque sumant utanturque'. D. 18, 6, 15 'materia empta' ..

De habitatione legata.

27. D. 33, 2, 40. Alfenus Varus libro octavo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 74). 'Illi cum illo habitationem lego' perinde esse, ac si ita 'illi et illi' legasset.

Tribonianus scripsit 'perinde est'.

De penu legata?

28. De penu legata Servium respondisse nusquam traditur. at eum hac de re non respondisse veri dissimillimum esse vel ea docent, quae in reprehensis Scaevolae capitibus scripsit. ad responsum de penoris legati

definitione pertinent fortasse verba quaedam corrupta, quae D. 50, 16, 203 hodie ita leguntur: 'quid autem esset »usu suo« magnam habuisse dubitationem et magis placere, quod victus sui causa paratum est, tantum contineri'. quae Mommsen sic restituit: 'et ⟨penu sui usus causa parata⟩ magis placere' et q. s. accedunt alia verba D. 32, 60 relata: 'respondit .. non dissimilem esse deliberationem, cum penus legata esset et multas res quae penus essent reliquisset, ex quibus pater familias vendere solitus esset'.

De vestimentis legatis.

29? D. 33, 5, 20. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 179). Apud Aufidium libro primo *responsum*[1] est, cum ita legatum est: vestimenta quae volet triclinaria sumito sibique habeo, si is dixisset quae ⟨sumere⟩ vellet, deinde, antequam ea sumeret, alia se velle dixisset, mutare voluntatem eum non posse, ut alia sumeret, quia omne ius legati prima testatione, qua sumere se dixisset consumpsit [, quoniam res continuo eius fit, simul ac si dixerit eam sumere].

Responsum ab Aufidio relatum Servii videtur esse. cf. Gai. 2, 209. Sinendi modo ita legamus; 'heres meus damnas esto sinere L. Titium hominem Stichum sumere sibique habere'.

De auro vel argento legato.

30. D. 34, 2, 27 § 3. Ulpianus libro quadragesimo quarto ad Sabinum (P. 2915). Cui aurum vel argentum factum legatum est, si fractum aut collisum sit, non continetur: Servius enim existimat aurum vel argentum factum id videri, quo commode uti possumus, argentum autem fractum et collisum non incidere in eam definitionem, sed infecto contineri.

1. *Fl.* rescriptum. *Mommsen emendare iubet* responsorum scriptum.

31? D. 34, 2, 28. Alfenus Varus libro septimo Digestorum (P. 29[b]). Cum in testamento alicui argentum, quod usus sui causa paratum esset, legaretur, itemque <alii> vestis aut supellex, quaesitum est, quid cuiusque usus causa videretur paratum esse, utrumne id argentum, quod [victus sui causa paratum] pater familias ad cotidianum usum parasset an et si eas mensas argenteas et eius generis argentum haberet, quo ipse non temere uteretur, sed commodare ad ludos et ad ceteras apparationes soleret. et magis placet, quod victus sui causa paratum est, tantum contineri.

Verba 'magis placet' non Alfeni, sed Pauli esse iudico. Alfenus fortasse scripsit 'et Servio placuit' vel 'Servius magis esse putabat'. cf. D. 19, 1, 13, 10 'magis esse Servius putabat'.

32. D. 34, 2, 39, 2. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 185). Ateius Servium respondisse scribit, cui argentum, quod in Tusculano fundo cum moreretur habuisset, legatum esset, et quod antequam moreretur ex urbe in Tusculanum iussu testatoris translatum esset, deberi: contra fore, si iniussu translatum esset.

33. D. 34, 2, 19, 17. Ulpianus libro vicesimo ad Sabinum (P. 2606). Gemmae .. sunt perlucidae materiae, quas, ut refert Sabinus ..., Servius a lapillis eo distinguebat, quod gemmae essent perlucidae materiae, velut smaragdi chrysolithi amethysti, lapilli autem contrariae superioribus naturae, ut obsidiani veientani.

De supellectili legata.

34? D. 33, 10, 6. Alfenus libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 60). Supellectilis eas esse res [puto], quae ad usum communem patris familias paratae essent, quae nomen sui generis separatim non haberent: quare quae ad artificii genus aliquod pertinerent neque ad communem usum patris familias

accommodatae essent, supellectilis non esse. [sed nec pugillares et codices in supellectili sunt].

Inclusa verba partim Triboniani, partim Pauli esse existimo. sed Servium quoque de supellectili respondisse veri non dissimile est.

35. D. 33, 10, 7, 2. Celsus libro nono decimo Digestorum (P. 168). Servius fatetur sententiam eius qui legaverit aspici oportere, in quam rationem ea solitus sit referre: verum si ea, de quibus non ambigeretur, quin in alieno genere essent, ut puta escarium argentum aut paenulas et togas, supellectili quis adscribere solitus sit, non idcirco existimari oportere supellectili legata ea quoque contineri: non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere.

De lana lino purpura uxori legatis.

36. D. 32, 60, 2. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 59). Lana lino purpura uxori legatis, quae eius causa parata essent, cum multam lanam et omnis generis reliquisset, quaerebatur, an omnis deberetur. respondit, si nihil ex ea destinasset ad usum uxoris, sed omnis commixta esset, non dissimilem esse deliberationem, cum penus legata esset et multas res quae penus essent reliquisset, ex quibus pater familias vendere solitus esset. nam si vina diffudisset habiturus usioni ipse et heres eius, tamen omne in penu existimari. sed cum probaretur eum qui testamentum fecisset partem penus vendere solitum esse, constitutum esse, ut ex eo, quod ad annum opus esset, heredes legatario darent. sic mihi placet et in lana fieri, ut ex ea quod ad usum annuum mulieri satis esset, ea sumeret: non enim deducto eo, quod ad viri usum opus esset, reliquum uxori legatum esse: sed quod uxoris causa paratum esset.

Triboniani manus per totum fragmentum agnoscendas esse puto. non modo responsum negligenter proponitur ('si

vina diffudisset, tamen omne (sc. vinum) .. existimari'; 'habiturus usioni ipse et heres eius' 'reliquisset, ex quibus paterfamilias vendere solitus esset'; 'cum probaretur eum qui testamentum fecisset .. vendere solitum esse'; 'partem penus .., ut ex eo (vino?) .. darent; sic mihi placet'; 'ut ex ea (lana) .. ea (uxor?) sumeret'), sed etiam in responso de re agitur, de qua sermo non esse debebat: nam lana linum purpura legata dicuntur, 'quae uxoris causa parata essent'; nihilo minus nunc legimus: 'si nihil ex ea (lana) destinasset ad usum uxoris'.

Quae post Servium Sabinus eumque secutus Paulus docuerunt, ea Tribonianum in hunc locum negligentissime transtulisse apparet. Gellius 4, 1, 23 enim ait: 'ex his autem quae promercalia et usuaria isdem in locis, esse ea sola penoris putat (sc. Masurius Sabinus in iuris civilis secundo), quae satis sint usu annuo'. conferenda sunt quae Paulus libro quarto ad Sabinum (D. 33, 9, 4, 2) scribit: 'si quis solitus fructus suos vendere penum legaverit, non omnia quae et promercii causa habuit, legasse videtur, sed ea sola, quae in penum sibi separabat. quod si promiscue uti solebat, tunc quantum ad annuum usum *eius* sufficeret, ... legato cedet, quod fere, inquit Sabinus, evenit in personis mercatorum aut quotiens cella est olei et vini, quae venire solebant, in hereditate relicta'. cum enim penus 'intus et penitus' reconderetur (Gell. 4, 1, 17), ceteri fructus qui venire solebant, in aliis locis servabantur, scilicet in cellis vel apothecis vel horreis.

Itaque quae Servius hac de re responderit, nescimus. fortasse de generibus lanae disserens (cf. verba 'cum multam lanam et omnis generis reliquisset' et D. 34, 2, 4 'cum .. uxori suae lanam purpuream legasset') Italicam tantum lanam, non Atticam vel Milesiam vel Bithynicam aliamve peregrinam penoris esse cum Q. Mucio statuit. cf. Marquardt Privatleben II p. 476 sqq., ubi haec legimus: „Die Wollproduction ist immer ein Hauptheil der römischen Landwirthschaft gewesen ... Trotz dieser bedeutenden

einheimischen Production wurde fremde Wolle theils verarbeitet, theils roh in grossen Quantitäten in Rom eingeführt ... Gesucht waren diese verschiedenen Gattungen theils ihrer Feinheit, theils ihrer natürlichen ächten Farbe wegen, die eine weitere Färbung unnöthig machte ...' cf. decretum C. Fannio et M. Valerio Messalla consulibus (a. 592/162) factum, in quo iubentur principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, iurare apud consules verbis conceptis, non vino alienigena, sed patriae se usuros. Gell. 2, 24, 2.

Quae Servius de lino responderit, aeque nescimus. „Feine Leinwand lieferte Italien wenig, aber ordinäres Leinen für den Bedarf der Familie wurde im Hause gewebt (D. 32, 1, 70, 11). Die Zunahme des Verkehrs mit den ausseritalischen Ländern brachte feines Linnenzeug immer mehr in Aufnahme. Ein feines Taschentuch brauchte man schon zu Ciceros Zeit ... Plinius (n. h. 19, 8) erwähnt es als eine Familienüberlieferung der Serrani, dass die Frauen kein Linnen tragen". Marquardt a. a. O. p. 466 sqq.

37. D. 34, 2, 4. Paulus libro quinquagesimo quarto ad edictum (P. 669). Cum quidam libertum suum in Asiam misisset ad purpuras emendas et testamento uxori suae lanam purpuream legasset, pertinere ad eam, si quam purpuram vivo eo libertus emisset, Servius respondit.

De servis et ancillis legatis.

38. D. 32, 61. Idem (Alfenus) libro octavo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 73). Textoribus omnibus, qui sui essent cum moreretur, legatis quaesitum est, an et is, quem postea ex his ostiarium fecisset, legato contineretur. respondit contineri: non enim ad aliud artificium, sed ad alium usum transductum esse.

39? D. 50, 16, 204. Paulus libro secundo epitomarum Alfeni (P. 38). 'Pueri' appellatio tres significationes habet: unam, cum omnes servos pueros appellaremus:

alteram, cum puerum contrario nomine puellae diceremus: tertiam, cum aetatem puerilem demonstraremus.

Utrum Servii an Alfeni an Pauli sit, incertus sum.

40. D. 30, 63. Celsus libro septimo decimo Digestorum (P. 137). Si ancillas omnes et quod ex his natum erit testator legaverit, una mortua Servius partum eius negat deberi, quia accessionis loco legatus sit.

cf. Gai. 2, 203: ea quoque res quae in rerum natura non est, si modo futura est, per damnationem legari potest, velut .. 'quod ex illa ancilla natum erit'.

De mancipii optione legata.

41. D. 35, 1, 28, 1. Paulus libro secundo epitomatorum Alfeni Digestorum (P. 36). 'Attia uxor mea optato Philargyrum puerum *aut* Agatham[1] ancillam, qui mei erunt cum moriar': is qui testamentum fecit Agatham[1], quam testamenti tempore habuit, vendidit et postea ancillas emit, ex his uni Agathae[1] nomen imposuit: quaesitum est, an haec legata videretur. respondit legatam videri.

De iumentis et pecoribus legatis.

42. D. 32, 62. Iulianus libro singulari de ambiguitatibus (P. 2). Qui duos mulos habebat ita legavit: 'mulos duos, qui mei erunt cum moriar, heres dato': idem nullos mulos, sed duas mulas reliquerat. respondit Servius deberi legatum[, quia mulorum appellatione etiam mulae continentur, quemadmodum appellatione servorum etiam servae plerumque continentur].

43? D. 32, 60 pr. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 39). Cum quaereretur agnis legatis ⟨agni⟩ quatenus viderentur, quidam aiebant agnum dumtaxat sex mensum esse: sed verius est eos legatos esse, qui minores anniculis essent.

1 *Flor.* Agatheam *vel* Agatheae.

Paulus fortasse scripsit: 'sed verius est, *quod Servius respondit*, eos' et q. s. cf. D. 38, 7, 16 '. . Servius respondit: qui cum consulebat, Cornelium respondisse aiebat . . .'

De tabernae pistrini cauponae instrumento legato.

44. D. 33, 7, 15 pr. Pomponius libro sexto ad Sabinum (P. 490). Si ita testamento scriptum sit: 'quae tabernarum exercendarum instruendarum pistrini cauponae causa facta parataque sunt, do lego', his verbis Servius respondit et caballos, qui in pistrinis essent, et pistores et in cauponio institores et focariam, mercesque, quae in his tabernis essent, legatas videri.

cf. lex metalli Vipascensis l. 17 (Bruns p. 267): 'qui mulos mulas asinos asinas caballos equas sub praecone vendiderit'.

De nave legata.

45. D. 21, 2, 44. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 45). Scapham non videri navis esse respondit nec quicquam coniunctum habere, nam scapham ipsam per se parvam naviculam esse: omnia autem, quae coniuncta navi essent (veluti gubernacula malus antemnae velum), quasi membra navis esse.

De pecunia legata.

46. D. 32, 29, 2. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 171). Cum ita legatum esset: 'quanta pecunia ex hereditate Titii ad me pervenit, tantam pecuniam heres meus Seiae dato', id legatum putat Labeo, quod acceptum in tabulis suis ex ea hereditate testator rettulisset: ceterum negat cavendum heredi a legatario, si quid forte postea eius hereditatis nomine heres damnatus esset. ego contra puto, quia non potest videri pervenisse ad heredem, quod eius hereditatis nomine praestaturus esset: idem Alfenus Varus Servio placuisse scribit.

47. D. 31, 74. Idem (Papinianus) libro vicesimo septimo Quaestionum (P. 330). 'Titio *HSC*[1] heres praesens dato': deinde protulit diem legatorum. non est verum, quod Alfenus ⟨Servium respondisse?⟩ rettulit, centum praesenti deberi, quia diem proprium habuerunt.

1 *Tribon.* centum aureos.

48. D. 30, 106. Alfenus Varus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 37). Si in testamento scriptum esset: 'heres meus centum Licinio damnas esto' neque adscripsisset 'dare', deberi legatum constat.

Vocem 'constat' Triboniani esse apparet, qui ad 'centum' etiam 'aureos' addidit. Paulum 'deberi legatum Servius respondit' scripsisse puto.

49. D. 30, 30 pr. § 2. Ulpianus libro nono decimo ad Sabinum (P. 2597[e]). ... 'quas pecunias legavi, quibus dies adpositus non est, eas heres meus annua bima trima die dato'. .. quid si forte centum mihi legata sunt praesentia, utrum annua die dabuntur an vero praesentia? et ait Servius et Labeo praesens deberi.

De annuo legato.

50. D. 33, 1, 22. Alfenus Varus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 35). 'Filiae meae quotiescumque vidua erit, in annos singulos centum heres meus dato': quaeritur, si filia minus annui temporis vidua fuisset, numquid minus ei centum deberentur. respondit sibi videri, tametsi totus annus nondum fuisset, tamen deberi.

Vox 'quotiescunque' vereor ne interpolata sit.

De debito legato.

51. D. 35, 1, 40, 3. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 186). Dominus

servo *HSV*[1] ⟨rationis⟩ eius legaverat: 'heres meus Sticho servo meo, quem testamento liberum esse iussi, *HSV*[1], qu*ae* in tabulis debeo, dato'. nihil servo legatum esse Namusa Servium respondisse scribit, quia dominus servo nihil debere potuisset.

1 *Tribon.* aureos quinque.

De legato sub condicione dato.

52. D. 28, 7, 28. Papinianus libro tertio decimo Quaestionum (P. 217). .. argumento .. est, quod apud Servium quoque relatum est: quendam enim refert ita heredem institutum, si ⟨sacrorum faciendorum causa⟩ in Capitolium ascenderit, quo si non ascendisset, legatum ei datum, eumque antequam ascenderet mortem obisse: de quo respondit Servius condicionem morte defecisse ideoque moriente eo legati diem cessisse.

Duarenus disp. anniv. 1, 15. Jordan Topographie II, 39.

53. Gai. 2, 249. An ei, qui in potestate sit eius, quem heredem instituimus, recte legemus, quaeritur. Servius recte legari putat, sed evanescere legatum, si quo tempore dies legatorum cedere solet, adhuc in potestate sit; ideoque sive pure legatum sit et vivo testatore in potestate heredis esse desierit, sive sub condicione et ante condicionem id acciderit, deberi legatum.

Ulp. 24, 23: ei qui in potestate manu mancipiove est scripti heredis, sub condicione legari potest, ut requiratur, quo tempore dies legati cedit, in potestate heredis non sit.

De tutela testamentaria.

54. D. 50, 16, 122. Idem (Pomponius) libro octavo ad Quintum Mucium (P. 255^{b}). Servius ait, si ita scriptum sit: 'filio filiisque meis hosce tutores do', masculis dumtaxat tutores datos, quoniam a singulari casu hoc 'filio' ad pluralem videtur transisse continentem eundem sexum, quem singularis prior positus habuisset.

De libertate testamento data.

55. D. 40, 4, 35. Paulus libro quinquagensimo ad edictum (P. 641). Servius existimabat iis posse servis dari testamento directam libertatem, qui utroque tempore, et quo testamentum fit et quo moritur, testatoris ⟨ex iure Quiritium⟩ fuerunt.

cf. Gai. 2, 267 . . nec alius ullus directo ex testamento libertatem habere potest, quam qui utroque tempore testatoris ex iure Quiritium fuerit, et quo faceret testamentum et quo moreretur.

56. D. 40, 7, 14. Alfenus Varus libro quarto Digestorum (P. 18). Servus, qui testamento domini, cum decem heredi dedisset, liber esse iussus erat, heredi mercedem referre pro operis suis solebat: cum ex mercede heres amplius decem recepisset, servus liberum ⟨se⟩ esse aiebat: de ea re consulebatur. respondit non videri liberum esse: non enim pro libertate, sed pro operis eam pecuniam dedisse nec magis ob eam rem liberum esse, quam si fundum a domino conduxisset et pro fructu fundi pecuniam dedisset.

Schol. ad Basil. 48, 5, 15 Servium respondentem laudat.

57. D. 40, 7, 14, 1. Alfenus libro quarto Digestorum (P. 18). Servus cum heredi annorum septem operas dedisset, liber esse iussus erat: is servus fugerat et annum in fuga fecerat. cum septem anni praeterissent, respondit non esse liberum: non enim fugitivum operas domino dedisse[: quare nisi totidem dies, quot afuisset, servisset, non fore liberum. sed et si ita scriptum esset, ut tum liber esset, cum septem annis servisset, potuisse liberum esse, si tempus fugae reversus servisset].

58. D. 40, 4, 48. Idem (Papinianus) libro decimo Quaestionum (P. 176). Si socius testamento libertatem ita dederit: 'Pamphilus, si eum socius manumiserit, liber esto', Servius respondit socio manumittente communem fieri libertum familiae atque manumissoris.

Familiae erciscundae.

59. D. 32, 29, 2. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 171). Cum ita legatum esset, ut Titia uxor mea tantandem partem habeat (capiat?) quantulam unus heres, si non aequales partes essent heredum, Quintus Mucius et Gallus putabant maximam partem legatam esse, quia in maiore minor quoque inesset, Servius Ofilius minimam, quia cum heres dare damnatus esset, in potestate eius esset, quam partem daret.

De hereditatis petitione.

60? D. 5, 4, 9. Paulus libro tertio epitomarum Alfeni Digestorum (P. 48). Cum multi heredes essent, ex his unus in Asia erat: eius procurator venditionem fecit et pecuniam pro parte eius abstulerat: postea apparuerat eum qui in Asia erat, antea decessisse instituto ex parte dimidia herede procuratore suo et ex parte alio. quaesitum est, quemadmodum pecunia ex hereditate petenda esset. responsum est ab eo, qui procurator eius fuisset, totam [hereditatem], quia ex hereditate ea pecunia [fuisset quae] ad procuratorem ex venditione pervenisset, petere eos oportere: et nihilo minus partem dimidiam [hereditatis] a coheredibus eius. ita fore, sive omnis ea pecunia penes eum qui procurator fuisset resideret, ut omnem per iudicem ab eodem recuperarent, sive is partem dimidiam coheredi suo reddidisset, ipsum ex dimidia parte et ex dimidia coheredes eius condemnarent.

An Servii responsum sit, in dubio relinquo.

De operis libertorum.

61. D. 38, 1, 26. Alfenus Varus libro septimo Digestorum (P. 26). Medicus libertus, quod putaret, si liberti sui medicinam non facerent, multo plures imperantes sibi habiturum, postulabat, ut sequerentur se neque

opus facerent: id ius est nec ne? respondit ius esse, dummodo liberas operas ab eis exigeret[, hoc est ut adquiescere eos meridiano tempore et valetudinis et honestatis suae rationem habere sineret].

Item rogavi, si has operas liberti dare nollent, quanti oporteret aestimari. respondit, quantum ex illorum operis fructus, non quantum ex incommodo dando illis, si prohiberet eos medicinam facere, commodi patronus consecuturus esset.

De liberali causa.

62. D. 40, 12, 24 pr. § 1. Paulus libro quinquagensimo primo ad edictum (P. 646). Ordinata liberali causa liberi loco habetur is, qui de statu suo litigat, ita ut adversus eum quoque, qui se dominum esse dicit, actiones ei non denegentur, quascumque intendere velit: quid enim si quae tales sint, ut tempore aut morte intereant? quare non concedatur ei litem contestando in tutum eas redigere? Servius ait in actionibus annuis ex eo tempore annum cedere, ex quo lis ordinata sit.

De nuptiis.

63? D. 23, 2, 6. Ulpianus libro trigesimo quinto ad Sabinum (P. 2797[b]). Denique Cinna scribit: eum qui absentem accepit uxorem, deinde rediens a cena iuxta Tiberim perisset, ab uxore lugendum responsum est.

Servii responsum esse potest. cf. D. 19, 5, 23. 'Duo secundum Tiberim cum ambularent' et q. s. (infra n. 133).

Quod ad rem attinet, cf. D. 23, 2, 5. Idem (Pomponius) libro quarto *decimo* ad Sabinum (P. 594). Mulierem absenti per litteras eius vel per nuntium posse nubere placet, si in domum eius deduceretur, eam vero quae abesset ex litteris vel nuntio suo duci a marito non posse, deductione enim opus esse ⟨uxoris⟩ in mariti, non in uxoris domum quasi in domicilium matrimonii.

Cum igitur quod Cinna scribit, cum eo quod Sabino placebat, non conveniat, aut mendum subest (pro 'absentem' P. Faber 'absens' legere mavult) aut Cinnae tempore alio iure utebantur atque quod Sabinus statuit: id quod magis placet.

De dotibus.

64. D. 23, 3, 79, 1. Labeo libro sexto posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 221). Pater filiae nomine centum doti ita *dixit*[1], cum commodissimum esset. Ateius scripsit Servium respondisse, cum primum sine turpitudine et infamia dari possit, deberi.

1 *Tribonianus* promisit.

65? D. 23, 4, 19. Alfenus libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 57). Aliud est, si pater pro filia dotem promisit, ut annua bima trima quadrima quinto anno dos a se redderetur, et convenit, ut isdem diebus dos soluto matrimonio redderetur: hoc enim pactum ita valet, si patri filia heres exstitisset et interveniente ea pactum conventum fuerit.

Utrum Servii an Alfeni vel Pauli responsum subsit, in incerto relinquitur. de dote legata v. supra p. 171.

66. D. 24, 3, 66 pr. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis (P. 227). In his rebus, quas praeter numeratam pecuniam doti vir habet, dolum malum et culpam eum praestare oportere Servius ait. ea sententia Publii Mucii est . .

cf. supra p. 32.

67. D. 23, 3, 79. Labeo libro sexto posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 221). Avus neptis nomine filio natae genero dotem dedit et moritur. negat Servius dotem ad patrem reverti.

De donationibus et ad legem Cinciam.

68. D. 24, 1, 38, 1. Alfenus libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 59). Idem iuris *esse*, si ex tribus fratribus unus uxorem haberet et rem commu-

nem uxori donasset: nam ex tertia parte mulieris re*m* facta*m* non *esse*, ex duabus autem partibus reliquis, si id scissent fratres aut posteaquam donata esset ratum habuissent, non debere mulierem ⟨rem⟩ reddere.

Tribonianus Pauli vel Alfeni orationem corrupit: nam legitur: 'idem iuris erit, ... nam .. res facta non est' et q. s. sententiam partem responsi fuisse apparet.

69. D. 24, 1, 38. Alfenus libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 59). Servus communis viri et fratris eius puerum donavit uxori fratris: pro qua parte is servus qui donasset viri esset, pro ea parte munus non esse factum mulieris respondit.

70. Vat. fr. 294. .. cum filius in divisione bonorum penes fratrem, quod pater donaverat, errore lapsus reliquit, portionem eius non esse captam usu Servio Sulpicio placuit[, quod neque frater ipse donaverat, neque pater donare poterat].

cf. infra 'de usucapione' 79.

De tutelis.

71. D. 26, 1, 3, 4. Ulpianus libro trigesimo septimo ad Sabinum (P. 2837). (Si pupillus pupillave cum iusto tutore tutorve cum eorum quo litem ⟨lege aut legitimo iudicio⟩ agere vult et tutor in eam rem petitur . . .) si pupillus petat talem *tutorem*[1] nec addat in quam rem, an in omnes controversias datus sit? et ait Celsus Servium constituisse in omnes res datum videri.

1 *Tribonianus* curatorem.

Cf. Gai. I. 184: Olim cum legis actiones in usu erant, etiam ex illa causa tutor dabatur, si inter tutor*em* et mulierem pupillum*ve* leg*e* agendum erat; nam quia ipse tutor in re sua auctor esse non poterat, alius dabatur, quo auctore legis actio peragebatur, qui dicebatur praetorius tutor, quia a praetore urbano dabatur. Ulp. 11, 24: Moribus tutor datur mulieri pupillove, qui

cum tutore suo lege aut legitimo iudicio agere vult, ut auctore eo agat ...

72. D. 27, 7, 4 pr. Ulpianus libro trigesimo sexto ad edictum (P. 1032). .. exstat Servii sententia existimantis, si post mortem tutoris heres eius negotia pupilli gerere perseveraverit aut in arca tutoris pupilli pecuniam invenerit et consumpserit vel eam pecuniam quam tutor stipulatus fuerat exegerit, tutelae iudicio eum teneri suo nomine[: nam cum permittatur adversus heredem ex proprio dolo iurari in litem, apparet eum iudicio tutelae teneri ex dolo proprio].

De rerum dominio.

73. D. 41, 1, 38. Alfenus Varus libro quarto Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 65). Attius fundum habebat secundum viam publicam: ultra viam flumen erat et ager Lucii Titii: [fluit] flumen paulatim *populi Romani eum*[1] agrum, qui inter viam et flumen esset, ambedit et viam sustulit, postea rursus minutatim recessit et alluvione in antiquum locum rediit. respondit, cum flumen agrum et viam publicam sustulisset, eum agrum eius factum esse, qui trans flumen fundum habuisset: postea cum paulatim retro redisset, ademisse ei, cuius factus esset, et addidisse ei, cuius trans viam esset, quoniam eius fundus proximus flumini esset, id autem, quod publicum fuisset, *ho*mini cessisset[2]. *iam*[3] impedimento viam esse ait, quo minus ager, qui trans viam alluvione relictus est, Attii fieret: nam ipsa quoque via fundi esset.

Alfeni vel Pauli oratio a Triboniano ita mutata est, ut intelligi iam nequeat.

74? D. 39, 3, 24, 3. Alfenus libro quarto Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 64). Lacus cum aut crescerent aut decrescerent, numquam neque accessionem neque decessionem in eos vicinis facere licet.

1 *Fl.* primum omnium. 2 *Fl.* nemini accessisset.
3 *Fl.* nec tamen.

Oratio Triboniani manum ostendit (numquam! accessionem, decessionem in eos facere!). an Servii responsum subsit, incertus sum.

75. D. 41, 1, 26 pr. Paulus libro quarto decimo ad Sabinum (P. 1868[b]). .. si meis tabulis navem fecisses, tuam navem esse, quia cupressus non maneret, sicuti nec lana vestimento facto, sed cupresseum aut laneum corpus fieret. Proculus indicat hoc iure nos uti, quod Servio ... placuisset: in quibus propria qualitas [ex]spectaretur, si quid additum erit toto cedit, ut statuae pes aut manus, scypho fundus aut ansa, lecto fulcrum, navi tabula, aedificio cementum: tota enim eius sunt, cuius ante fuerant.

76. D. 10, 3, 27. Paulus libro tertio epitomarum Alfeni Digestorum (P. 50). De communi servo unus ex sociis quaestionem habere nisi communis negotii causa iure non potest.

Ex responso ab Alfeno relato Paulum certum ius fecisse et Alfenum sic fere scripsisse puto: 'de communi servo unum .. iure non *posse Servius respondit*'.

De usucapione.

77. D. 41, 4, 2, 8. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 684[a]). Tutor ex pupilli auctione rem, quam eius putabat esse, emit. Servius ait posse eum usucapere.

78. D. 41, 3, 34. Alfenus Varus libro primo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 32). Si servus insciente domino rem peculiarem vendidisset, emptorem usucapere posse.

79. D. 41, 5, 2, 2. Iulianus libro quinquagensimo quarto Digestorum (P. 620). Filium .. donatam rem a patre pro herede negavit usucapere Servius, scilicet qui existimabat naturalem possessionem penes eum fuisse vivo patre.

cf. supra 'ad legem Cinciam' 70.

De rei vindicatione.

80. D. 6, 1, 58. Paulus libro tertio epitomarum Alfeni Digestorum (P. 49). A quo servus petebatur et eiusdem servi nomine cum eo furti agebatur, quaerebat, si utroque iudicio condemnatus esset, quid se facere oporteret. si prius servus ab eo evictus esset, respondit, non oportere iudicem cogere, ut eum traderet nisi ei satisdatum esset, quod pro eo homine iudicium accepisset, si quid ob eam rem datum esset, id recte praestari. sed si prius de furto iudicium factum esset et hominem noxae dedisset, deinde de ipso homine secundum petitorem iudicium factum esset, non debere ob eam rem iudicem, quod hominem non traderet, litem aestimare, quoniam nihil eius culpa neque dolo contigisset, quo minus hominem traderet.

Alfeni vel Pauli oratio a Triboniano ita mutata est, ut genuina forma ne divinari quidem possit.

De actione ad exhibendum.

81. D. 10, 4, 19. Paulus libro quarto epitomarum Alfeni (P. 66). Ad exhibendum possunt agere omnes quorum interest. sed quidam consuluit, an possit efficere haec actio, ut rationes adversarii sibi exhiberentur, quas exhiberi magni eius interesset. respondit non oportere ius civile calumniari neque verba captari, sed qua mente quid diceretur, animadvertere convenire. nam illa ratione etiam studiosum alicuius doctrinae posse dicere sua interesse illos aut illos libros sibi exhiberi, quia, si essent exhibiti, cum eos legisset, doctior et melior futurus esset.

De aqua pluvia.

82. D. 39, 3, 24. Alfenus libro quarto Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 64). Vicinus loci superioris pratum ita arabat, ut per sulcos itemque porcas aqua

ad inferiorem veniret: quaesitum est, an per arbitrum aquae pluviae arcendae possit cogi, ut in alteram partem araret, ne sulci in eius agrum spectarent. respondit non posse eum facere, quo minus agrum vicinus quemadmodum vellet araret.

Sed si quos sulcos transversos aquarios faceret, per quos in eius agrum aqua deflueret, hosce ut operiret, arbitrum[1] aquae pluviae arcendae posse cogere.

Sed et si fossas fecisset, ex quibus aqua pluvia posset nocere, arbitrum, si appareat futurum, ut aqua pluvia noceret, cogere oportere fossas eum explere et, nisi faceret, condemnare, tametsi antequam *de ea re* iudicaret[2], aqua per fossas nunquam fluxisset.

De pariete intermedia.

83. D. 8, 5, 17 pr. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 4). Si inter aedes binas paries esset, qui ita ventrem faceret, ut in vicini domum semipedem aut amplius procumberet, agi oport*ere respondit* ius non esse illum parietem ita proiectum in suum esse invito se.

Tribonianus pro 'oportere respondit' scripsit 'oportet' et initio vocem 'quando' adiecit ('si quando inter aedes .. esset ...'): responsum subesse apparet.

Damni infecti.

84[a]. D. 39, 2, 43. Alfenus Varus libro secundo Digestorum (P. 5). Damni infecti quidam vicino repromiserat: ex eius aedificio tegulae vento deiectae ceciderant in vicini tegulas easque fregerant: quaesitum est, an aliquid praestari oportet. respondit, si vitio aedificii et infirmitate factum esset, debere praestari: sed si tanta vis venti fuisset, ut quamvis firma aedificia convelleret, non debere. et quod in stipulatione est 'sive quid ibi ruet', non videri sibi ruere, quod aut

1 *Fl.* per arbitrum. 2 *Fl.* antequam adiudicaret.

vento aut omnino aliqua vi extrinsecus admota caderet, sed quod ipsum per se concideret.

84[b]. D. 39, 2, 24, 4. Idem (Ulpianus) libro octogensimo primo ad edictum (P. 1753). Servius .. putat, si ex aedibus promissoris vento tegulae deiectae damnum vicino dederint, ita eum teneri, si aedificii vitio id acciderit, non si violentia ventorum vel qua alia ratione, quae vim habet divinam.

85. D. 39, 2, 43, 1. Alfenus Varus libro secundo Digestorum (P. 5). Cum parietem communem aedificare quis cum vicino vellèt, priusquam veterem demolirent, damni infecti vicino repromisit adeoque restipulatus est: posteaquam paries sublatus esset et habitatores ex vicinis cenaculis emigrassent, vicinus ab eo mercedem, quam habitatores non redderent, petere vult: quaesitum est, an recte petet. respondit non oportuisse eos, cum communem parietem aedificarent, inter se repromittere neque ullo modo alterum ab altero cogi potuisse: sed si maxime [repromitterent], tamen non oportuisse amplius quam partis dimidiae, quo amplius ne extrario quidem quisquam, cum parietem communem aedificaret, repromittere deberet. [sed quoniam iam in totum repromisissent, omne, quod detrimenti ex mercede vicinus fecisset, praestaturum.]

86. Ibid. § 2 (P. 5). Idem consulebat, possetne, quod ob eam rem dedisset, rursus repetere, quoniam restipulatus esset a vicino, si quid ob eam rem, quod ibi aedificatum esset, sibi damnum datum esset, id reddi, cum et ipsam hanc pecuniam, quam daret, propter illud opus perderet. respondit non posse, propterea quia non operis vitio, sed ex stipulatione id amitteret.

87. D. 39, 2, 24, 5. Ulpianus libro octogensimo primo ad edictum (P. 1753). Idem Servius putat, si controversia aquae insulam subverterit, deinde stipulatoris aedificia ceciderint, nihil eum ex stipulatu consecuturum, quia id nec operis nec loci vitio factum

est. si autem aqua vitiet fundamenta et sic aedificium ruisset, committi stipulationem ait: multum enim interesse, quod erat alioquin firmum, vi fluminis lapsum sit protinus, an vero ante sit vitiatum, deinde sic deciderit.

De servitutibus.

88. D. 8, 4, 15. Paulus libro primo epitomarum Alfeni Digestorum (P. 31). Qui per certum locum iter aut actum alicui ⟨in iure⟩ cessisset, eum pluribus per eundem locum vel iter vel actum ⟨in iure⟩ cedere posse verum est: quemadmodum si quis vicino suas aedes servas fecisset, nihilo minus quot vellet multis eas aedes servas facere potest.

Tribonianum Pauli vel Alfeni orationem mutasse ('qui .. cessisset .., verum est, quemadmodum si ... fecisset ... potest') et responsum subesse apparet.

89? D. 43, 20, 1, 17. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1570). Item quaeritur, si quis aquae, quam hoc anno ducebat, aliam aquam admiscuerit, an impune prohibeatur. et extat Ofilii (? Servii ?) sententia existimantis recte eum prohiberi, sed eo loci, in quo primum aquam aliam in rivum admittit. at Ofilius in tota aqua recte eum prohiberi ait.

90? D. 8, 5, 17, 1. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 4). Cum in domo Gaii Sei locus quidam aedibus Anni ita serviret, ut in eo loco positum habere ius Seio non esset et Seius in eo silvam sevisset, in qua labra et lenes[1] cucumellas positas haberet, Annio consilium omnes iuris periti dederunt, ut cum eo ageret, ius ei non esse in eo loco ea posita habere invito se.

Inter hos iurisperitos fortasse etiam Servius fuit.

91? D. 8, 5, 8, 5. Ulpianus libro septimo decimo ad edictum (P. 601). Aristo Cerellio Vitali respondit

1 *Fl.* tenes. *emendavit Hotomanus.*

. . . idemque ait: . . . Alfenum denique scribere ait posse ita agi: ius illi non esse in suo lapidem caedere, ut in meum fundum fragmenta cadant.

Servii responsum esse potest.

92? D. 8, 2, 16. Paulus libro secundo epitomarum Alfeni Digestorum (P. 42). Lumen id est, ut caelum videretur, et interest inter lumen et prospectum: nam prospectus etiam ex inferioribus locis est, lumen ex inferiore loco esse non potest.

An Servii responsum subsit, dubium est.

93. D. 8, 2, 33. Paulus libro quinto epitomarum Alfeni Digestorum (P. 68). Eum debere columnam restituere, quae onus vicinarum aedium ferebat, cuius essent aedes quae servirent, non eum, qui imponere vellet. nam cum in lege aedium ita scriptum esset: 'paries oneri ferundo uti nunc est, ita sit', satis aperte significari in perpetuum parietem esse debere: non enim hoc his verbis dici, ut in perpetuum idem paries [aeternus] esset, quod ne fieri quidem posset, sed uti eiusdem modi paries in perpetuum esset qui onus sustineret[: quemadmodum si quis alicui cavisset, ut onus suum sustineret, si ea res quae servit et tuum onus ferret, perisset, alia in locum eius dari debeat].

De re v. Karlowa II, 523.

94. D. 8, 5, 6, 2. Ulpianus libro septimo decimo ad edictum (P. 598). etiam de servitute, quae oneris ferendi causa imposita erit, actio nobis competit, ut et onera ferat et aedificia reficiat ad eum modum, qui servitute imposita comprehensus est. et Gallus putat non posse ita servitutem imponi, ut quis facere aliquid cogeretur, sed ne me facere prohiberet; nam in omnibus servitutibus refectio ad eum pertinet, qui sibi servitutem adserit, non ad eum, cuius res servit. sed evaluit Servi sententia, in proposita specie ut possit quis defendere ius sibi esse cogere adversarium reficere parietem ad onera sua sustinenda.

De mutuo.

95[a]. D. 22, 2, 8. Ulpianus libro septuagesimo septimo ad edictum (P. 1696[b]). Servius ait pecuniae traiecticiae poenam peti non posse, si per creditorem stetisset, quo minus eam intra certum tempus praestitutum accipiat.

95[b]. D. 4, 8, 40. Pomponius libro undecimo ex variis lectionibus (P. 832)... Servius ait, si per stipulatorem stet, quo minus accipiat, non committi poenam.

Ulpianus responsum libro ad edictum adscripsit, quo de stipulatione 'vadimonium sisti' agitur.

96. D. 13, 7, 30. Paulus libro quinto epitomarum Alfeni Vari Digestorum (P. 70). Qui ratiario crediderat, cum ad diem pecunia non solveretur, ratem in flumine sua auctoritate detinuit: postea flumen crevit et ratem abstulit. si invito ratiario retinuisset, eius periculo ratem fuisse respondit: sed si debitor sua voluntate concessisset, ut retineret, culpam dumtaxat ei praestandam, non vim maiorem.

Catal. Verg. 5, 19 sqq.: flavumque propter Thybrim .., ubi adpulsae rates stant in vadis caeno retentae sordido macraque luctantes aqua. cf. Jordan Topographie I, 441.

97. D. 13, 3, 3. Ulpianus libro vicensimo septimo ad edictum (P. 780). In hac actione (condictione triticaria?) si quaeratur, res quae petita est cuius temporis aestimationem recipiat, verius est quod Servius ait, condemnationis tempus spectandum: si vero desierit esse in rebus humanis, mortis tempus.

Verba 'condemnationis tempus' Ulpiani non esse videntur. fortasse 'litis contestatae tempus' scripsit (A. Pernice).

De novatione.

98. Gai. 3, 179. Quod .. diximus, si condicio adiciatur, novationem fieri, sic intellegi *oportet*, ut ita dicamus factam novationem, si condicio extiterit; alio-

quin si defecerit, durat prior obligatio. sed videamus, num is qui eo nomine agat, doli mali aut pacti conventi exceptione possit summoveri, quia videtur inter eos id actum, ut ita ea res peteretur, si posterioris stipulationis exstiterit condicio. Servius .. Sulpicius existimavit, statim et pendente condicione novationem fieri, et si defecerit condicio, ex neutra causa agi posse ⟨et⟩ eo modo rem perire. qui consequenter et illud respondit, si quis id quod sibi Lucius Titius deberet, a servo fuerit stipulatus, novationem fieri et rem perire, quia cum servo agi non posset.

De re cf. Karlowa II, 742.

De solutione?

99. D. 46, 3, 67. Marcellus libro tertio decimo Digestorum (P. 157). Si quis duos homines promiserit et Stichum solverit, poterit eiusdem Stichi dominium postea consecutus ⟨rursus eum⟩ dando liberari. in nummis minor vel prope nulla dubitatio est: nam et apud Alfenum Servius eum, qui minus a debitore suo accipere et liberare eum vellet, respondit posse saepius aliquot nummos accipiendo ab eo eique retro dando ac rursus accipiendo id efficere[: veluti, si centum debitorem decem acceptis liberare creditor velit, ut, cum decem acceperit, eadem eo retro reddat, mox ab eo accipiat ac novissime retineat].

Lenel (P. 157) de legato per damnationem relicto sermonem esse subtiliter conicit.

De mancipatione.

De fundo vendito.

100? D. 21, 2, 45. Idem (Alfenus) libro quarto Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 63). Qui fundum *mancipio* dederat[1] iugerum centum, fines multo amplius emptori demonstraverat. si quid ex his

1 *Tribon.*: fundum tradiderat.

finibus evinceretur, pro bonitate eius emptori praestandum ait, quamvis id quod relinqueretur centum iugera haberet.

Utrum Servii an Alfeni responsum sit, nescimus.

101. D. 18, 1, 18, 1. Pomponius libro nono ad Sabinum (P. 545). Si servus in demonstrandis domini iussu finibus[1] agri venditi vel errore vel dolo plus demonstraverit, id [tamen] demonstratum accipi oportet, quod dominus senserit: et idem Alfenus scripsit de vacua possessione per servum ⟨domini iussu⟩ tradita.

1 *Fl.*: domini iussu in demonstrandis finibus.

102. D. 8, 3, 30. Idem (Paulus) libro quarto epitomarum Alfeni Digestorum (P. 61). Qui duo praedia habebat, in unius venditione aquam, quae in fundo nascebatur, et circa eam aquam late decem pedes exceperat. quaesitum est, utrum dominium loci ad eum pertineat an ut per eum locum accedere possit. respondit, si ita recepisset: 'circa eam aquam late pedes decem', iter dumtaxat videri venditoris esse.

103. D. 50, 16, 205. Idem (Paulus) libro quarto epitomarum Alfeni (P. 62). Qui fundum vendidit, 'pomum' recepit: nuces et ficos et uvas dumtaxat duracinas et purpureas et quae eius generis essent, quas non vini causa haberemus, quas Graeci *τρωξίμους* appellarent, recepta videri.

104. D. 19, 1, 13, 30. Ulpianus libro trigesimo secundo ad edictum (P. 935). Si venditor habitationem exceperit, ut inquilino liceat habitare, vel colono ut perfrui liceat ad certum tempus, magis esse Servius putabat ex vendito esse actionem.

105? D. 19, 1, 36. Alfenus Varus libro secundo Digestorum (P. 13). Si quis, cum fundum venderet, dolia centum, quae in fundo esse adfirmabat, accessura dixisset, quamvis ibi nullum dolium fuisset, tamen dolia emptori ⟨praestare⟩ debebit.

Alfeni oratio a Triboniana mutata est ('Si quis').

106? D. 19, 1, 27. Paulus libro tertio epitomarum Alfeni (P. 53). [Quidquid venditor accessurum dixerit, id integrum ac sanum tradi oportet: veluti] si fundo dolia accessura dixisset, non quassa, sed integra dare debet.

Verba uncis inclusa Triboniani esse iudico. reliqua Alfeni verba mutata sunt.

De insula vendita.

107. D. 18, 6, 12. Alfenus Varus libro secundo Digestorum (P. 12). Si vendita insula combusta esset, cum incendium sine culpa fieri non possit, quid iuris sit? respondit [quia sine patris familias culpa fieri potest neque, si servorum neglegentia factum esset, continuo dominus in culpa erit, quam ob rem] si venditor eam diligentiam adhibuisset in insula custodienda, quam debent homines frugi et diligentes praestare, si quid accidisset, nihil ad eum pertinebit.

Triboniani manum ostendunt copia vocis 'si' ('si .. vendita .., si servorum .. si venditor .. si quid ..'), falsa consecutio temporum ('si .. esset, ... erit; si .. adhibuisset, .. pertinebit'), verba 'continuo dominus in culpa erit', 'respondit, quia'. ceterum verba uncis inclusa Triboniani esse et Alfenum sic fere scripsisse iudico: 'vendita insula combusta est, cum incendium sine culpa fieri non potuerit. quid iuris sit, quaesitum est et respondit: si venditor ... accidisset, nihil ad eum pertinere'.

De mancipiis venditis.

108. Gellius 4, 2, 1. 2. 12. In edicto aedilium curulium, qua parte de mancipiis vendendis cautum est, scriptum sic fuit: 'titulus scriptorum singulorum scriptus sit, curato ita, ut intelligi recte possit, quid morbi vitiique cuique sit ...' propterea quaesierunt iureconsulti veteres, quid mancipium morbosum quidve vitiosum recte diceretur .. eum vero, cui dens deesset, Servius redhiberi posse respondit.

109. D. 21, 2, 69, 3. Scaevola libro secundo Quaestionum (P. 138). Quid .., qui iussum decem dare pronuntiat viginti dare debere, nonne in condicionem mentitur? ... quidam existimaverunt ... *actionem auctoritatis esse*[1]: sed auctoritas Servii praevaluit existimantis hoc casu ex empto actionem esse, videlicet quia putabat eum, qui pronuntiasset servum viginti dare iussum, condicionem excepisse, quae esset in dando.

1 *Tribon.*: evictionis stipulationem contrahi. *restituit A. Pernice.*

110. D. 44, 1, 14. Alfenus Varus libro secundo Digestorum (P. 14). Filius familias peculiarem servum vendidit, pretium stipulatus est: is homo redhibitus et postea mortuus est. pater ⟨familias⟩[2] pecuniam ab emptore petebat, quam filius stipulatus erat. placuit ⟨Servio?⟩ aequum esse in factum exceptionem eum obicere: 'quod pecunia ob hominem illum expromissa est, qui redhibitus est'.

2 *Fl.* et pater eius.

De lectis venditis.

111. D. 18, 6, 13. 15. Paulus libro tertio Alfeni epitomarum (P. 52). Lectos emptos aedilis, cum in via publica positi essent, concidit: si traditi essent emptori aut per eum stetisset quo minus traderentur, emptoris periculum esse placet. quod si neque traditi essent neque emptor in mora fuisset quo minus traderentur, venditoris periculum erit.

Alfenum sic fere scripsisse puto: 'lectos .. concidit. *Servius de ea re consultus respondit:* si traditi essent, emptoris periculum esse, si neque ... traderentur, venditoris periculum esse.'

De locatione conductione.

De fundo conducto.

112. D. 15, 3, 16. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 11). Quidam fundum colendum servo suo

locavit et boves ei dederat. cum hi boves non essent idonei, iusserat eos venire et his nummis qui recepti essent alios reparari. servus boves vendiderat, alios redemerat, nummos venditori non solverat, postea conturbaverat. qui boves vendiderat, nummos a domino petebat actione de peculio aut quod in rem domini versum esset, cum boves pro quibus pecunia peteretur penes dominum essent. respondit non videri peculii quicquam esse[, nisi si quid deducto eo, quod servus domino debuisset, reliquum fieret]. illud sibi videri boves quidem in rem domini versos esse, sed pro ea re solvisse tantum, quanti priores boves venissent: si quo amplioris pecuniae posteriores boves essent, eius oportere dominum condemnari.

113. D. 19, 2, 35, 1. Africanus libro octavo Quaestionum (P. 100[b]). Cum fundum communem habuimus et inter nos convenit, ut alternis annis certo pretio eum conductum haberemus, tu, cum tuus annus exiturus esset, consulto fructum insequentis anni corrupisti ... agam tecum duabus actionibus, una ex conducto, altera ex locato: locati enim iudicio mea pars propria, conducti autem actione tua dumtaxat propria in iudicium venit. deinde ita notat (sc. Iulianus): ... recte quidem notat, sed tamen etiam Servi sententiam veram esse puto [cum eo scilicet, ut, cum alterutra actione rem servaverim, altera peremattur].

Initium fragmenti Servii esse ex verbis in fine positis viri docti concludunt. Krueger p. 178 n. 26. Karlowa I, 714. Lenel ad h. l. (P. 29[c]). quaeritur, utrum Servii responsum habeamus ab auditore relatum an Servii sententiam ab ipso in libris suis prolatam. utrumque non placet. nam neque est quisquam qui de iure consulens rem proponat neque iuris consultus responsum dat, sed idem potius et casum finxit et rem decidit: '.. tu .. corrupisti. agam tecum ..' talia vero Servium non dixisse facile apparet: non iuris consulti sed potius praeceptoris verba sunt. eiusdem generis multa apud

ipsum Africanum inveniuntur. verba extrema a Triboniano addita videntur. cf. Eisele Archiv 79, 376 ff.

114. D. 19, 2, 15, 2. Idem (Ulpianus) libro trigesimo secundo ad edictum (P. 949). Si vis tempestatis calamitosae contigerit, an locator conductori aliquid praestare debeat, videamus. Servius omnem vim, cui resisti non potest, dominum colono praestare debere ait, ut puta fluminum graculorum sturnorum et si quid simile acciderit, aut si incursus hostium fiat: si qua tamen vitia ex ipsa re oriantur, haec damno coloni esse, veluti si vinum coacuerit, si raucis aut herbis segetes corruptae sint. sed et si labes facta sit omnemque fructum tulerit, damnum coloni non esse, ne supra damnum seminis amissi mercedes agri praestare cogatur. sed et si uredo fructum oleae corruperit aut solis fervore non adsueto id acciderit, damnum domini futurum: si vero nihil extra consuetudinem acciderit, damnum coloni esse. idemque dicendum, si exercitus praeteriens per lasciviam aliquid abstulit. sed et si ager terrae motu ita corruerit, ut nusquam sit, damno domini esse: oportere enim agrum praestari conductori, ut frui possit.

Servium etiam provinciarum rationem habere fortasse verba 'incursus hostium' et 'exercitus praeteriens' indicant. cf. Gaius libro nono ad edictum provinciale (D. 13, 6, 18 P. 208): 'latronum hostiumque incursus'.

De saltu pascuum locato.

115. D. 19, 2, 19, 1. Ulpianus libro trigesimo secundo ad edictum (P. 951[a]). Si quis dolia vitiosa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id quod interest nec ignorantia eius erit excusata: et ita Cassius scripsit. aliter atque si saltum pascuum locasti, in quo herba mala nascebatur: hic enim si pecora vel demortua sunt vel etiam deteriora facta, quod interest praestabitur, si scisti; si ignorasti, pensionem non petes, et ita Servio ... placuit.

De silva conducta.

116. D. 50, 16, 30 pr. Gaius libro septimo ad edictum provinciale (P. 174). 'Silva caedua' est, ut quidam putant, quae in hoc habetur, ut caederetur. Servius eam esse, quae succisa rursus ex stirpibus aut radicibus renascitur.

117. D. 7, 1, 11. Paulus libro secundo epitomatorum Alfeni Digestorum (P. 41). sed si grandes arbores essent, non posse eas caedere.

cf. infra 'de publicanis' 147.

De villa conducta.

118. D. 19, 2, 30, 4. Idem (Alfenus) libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum. Colonus villam hac lege acceperat, ut incorruptam redderet praeter vim et vetustatem. coloni servus villam incendit non fortuito casu. non videri eam vim exceptam respondit nec id pactum esse, ut, si aliquis domesticus eam incendisset, ne praestaret, sed extrariam vim utique[1] excipere voluisse.

De insula conducta.

119[a]. D. 19, 2, 30 pr. Idem (Alfenus) libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 54). Qui insulam triginta conduxerat, singula caenacula ita conduxit (locavit?), ut quadraginta ex omnibus colligerentur. dominus insulae, quia aedificia vitium facere diceret, demolierat eam: quaesitum est, quanti lis aestimari deberet, si is qui totam conduxerat ex conducto ageret. respondit, si vitiatum aedificium necessario demolitus esset, pro portione, quanti dominus praediorum locasset ⟨et⟩ quod eius temporis habitatores habitare non potuissent, rationem duci et tanti litem aestimari; sin autem non fuisset necesse demoliri, sed quia melius aedificare vellet, id fecisset, quanti conductoris interesset, habitatores ne migrarent, tanti condemnari oportere.

119[b]. D. 19, 2, 35 pr. Africanus libro octavo Quaestionum (P. 100[b]). Et haec distinctio convenit illi,

1 *Flor.* utrosque.

quae a Servio introducta ... est, ut, si aversione insulam locatam dominus reficiendo, ne ea conductor frui possit, effecerit, animadvertatur, necessario necne ... opus demolitus est.

120. D. 19, 2, 27 pr. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 15). Habitatores non, si paulo minus commode aliqua parte caenaculi uterentur, statim deductionem ex mercede facere oportet: ea enim condicione habitatorem esse, ut, si quid transversarium incidisset, quamobrem dominum aliquid demoliri oporteret, aliquam partem parvulam incommodi sustineret[: non ita tamen, ut eam partem caenaculi dominus aperuisset, in quam magnam partem usus habitator haberet].

Tribonianus Alfeni orationem solito more mutavit. scriptum fuisse puto: 'habitatores non .. facere oportere' et q. s. inclusa verba A. Pernice recte eicit.

121. Ibid. § 1 (P. 15). Iterum interrogatus est, si quis timoris causa emigrasset, deberet mercedem necne. respondit, si causa fuisset, cur periculum timeret, quamvis periculum vere non fuisset, tamen non debere mercedem: sed si causa timoris iusta non fuisset, nihilo minus debere.

Schol. ad Basil. 20, 1, 27 Servium interrogatum esse dicit.

De balneis conductis.

122. D. 19, 2, 30, 1. Idem (Alfenus) libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 54). Aedilis in municipio balneas conduxerat, ut eo anno municipes gratis lavarentur. post tres menses incendio facto respondit posse agi cum balneatore ex conducto, ut pro portione temporis, quo lavationem non praestitisset, pecuniae contributio fieret.

cf. CIL. V, 376: colonis incolis peregrinis lavandis gratis d(ecreto) d(ecurionum) p(ecunia) p(ublica) positum.

De mulis ad certum pondus oneris locatis.

v. infra 'de damno iniuria dato'.

De aede facienda locata.

123. D. 19, 2, 30, 3. Idem (Alfenus) libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 54). Qui aedem faciendam locaverat, in lege dixerat: 'quoad in opus lapidis opus erit, pro lapide et manupretio dominus redemptori in pedes singulos *sestertios septenos*[1] dabit': quaesitum est, utrum factum opus an etiam imperfectum metiri oporteret. respondit etiam imperfectum.

1 *Tribon.* septem.

De mercibus vehendis locatis.

124. D. 14, 2, 2 pr. Idem (Paulus) libro trigensimo quarto ad edictum (P. 521). Si laborante nave iactus factus est, amissarum mercium domini, si merces vehendas locaverant, ex locato cum magistro navis agere debent: is deinde cum reliquis, quorum merces salvae sunt, ex conducto, ut detrimentum pro portione communicetur, agere potest. Servius .. respondit ex locato agere cum magistro navis debere, ut ceterorum vectorum merces retineat, donec portionem damni praestent.

125. D. 14, 2, 7. Paulus libro tertio epitomarum Alfeni Digestorum (P. 55). Cum depressa navis aut deiecta esset, quod quisque ex ea suum servasset, sibi servare respondit, tanquam ex incendio.

126. D. 14, 2, 2, 3. Idem (Paulus) libro trigensimo quarto ad edictum (P. 521). Si navis a piratis redempta sit, Servius Ofilius Labeo omnes conferre debere aiunt: quod vero praedones abstulerint, eum perdere cuius fuerint, nec conferendum ei, qui suas merces redemerit.

De societate.

127. D. 17, 2, 52, 18. Idem (Ulpianus) libro trigensimo primo ad edictum (P. 922[c]). . . . apud veteres tractatur, an socius omnium bonorum, si quid ob iniuriarum actionem damnatus praestiterit, ex communi consequatur ut praestet. et Atilicinus Sabinus Cassius responderunt ... cui congruit quod ... Servium

respondisse Aufidius refert, si socii bonorum fuerint, deinde unus, cum ad iudicium non adesset, damnatus sit, non debere eum de communi id consequi; si vero praesens iniuriam iudicis passus sit, de communi sarciendum.

128. D. 17, 2, 71 pr. Idem (Paulus) libro tertio epitomarum Alfeni Digestorum (P. 51). Duo societatem coierunt, ut grammaticam docerent et quod ex eo artificio quaestus fecissent, commune eorum esset. de ea re quae voluerunt fieri in pacto convento societatis proscripserunt, deinde inter se his verbis stipulati sunt: 'haec quae supra scripta sunt, ea ita dari fieri neque adversus ea fieri? si ea ita data facta non erunt, tum viginti milia dari?' quaesitum est, an, si quid contra factum esset, societatis actione agi posset. respondit, si quidem pacto convento inter eos de societate facto ita stipulati essent 'haec ita dari fieri spondes?', futurum fuisse, ut[, si novationis causa id fecissent,] pro socio agi non possit, sed tota res in stipulationem translata videretur. sed quoniam non ita essent stipulati 'ea ita dari fieri spondes?' sed 'si ea ita facta non essent, decem dari?', non videri sibi rem in stipulationem pervenisse, sed dumtaxat poenam (non enim utriusque rei promissorem obligari, ut ea daret faceret et, si non fecisset, poenam sufferret) et ideo societatis iudicio agi posse.

Verba uncis inclusa a Triboniano addita esse recte vidit Pergaments Conventionalstrafe S. 87.

129. Ibid. § 1 (P. 51). Duo colliberti societatem coierunt lucri quaestus compendii, postea unus ex his a patrono heres institutus est, alteri legatum datum est. neutrum horum in medium referre debere respondit.

De mandato.

130. Gai. 3, 156. ... si tua gratia tibi mandem, supervacuum est mandatum ... itaque si otiosum pecuniam domi te habentem hortatus fuerim, ut eam

faenerares, quamvis eam ei mutuam dederis a quo servare non potueris, non tamen habebis mandati actionem ... et adeo haec ita sunt, ut quaeratur an mandati teneatur qui mandavit tibi, ut Titio pecuniam faenerares. [sed] Servius negavit; nec magis hoc casu obligationem consistere putavit, quam si generaliter alicui mandetur, uti pecuniam suam faeneraret.

De negotiorum gestione.

131. D. 3, 5, 20 pr. Paulus libro nono ad edictum (P. 191). ... Servius respondit, ut est relatum apud Alfenum libro trigensimo nono Digestorum: cum a Lusitanis tres capti essent et unus ea condicione missus, uti pecuniam pro tribus adferret, et nisi redisset, ut duo pro eo quoque pecuniam darent, isque reverti noluisset et ob hanc causam illi pro tertio quoque pecuniam solvissent: Servius respondit aequum esse praetorem in eum reddere iudicium.

De commodato.

132. D. 13, 6, 5, 7. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 802). si servum tibi tectorem commodavero et de machina ceciderit, periculum meum esse Namusa ait.

Servii responsum Namusam retulisse verisimile est.

133. D. 19, 5, 23. Alfenum libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 56). Duo secundum Tiberim cum ambularent, alter eorum ei, qui secum ambulabat, rogatus anulum ostendit, ut respiceret: illi excidit anulus et in Tiberim devolutus est. respondit posse agi cum eo in factum actione.

De delictis privatis.

De furtis.

134. D. 47, 2, 58. Alfenus libro quarto Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 67). Si cretae fodiundae

causa specum fecisset et cretam abstulisset, fur*em* ess*e*, non quia fodisset, sed quia abstulisset.

Hodie legitur: 'specum quis fecisset .. fur est'. Tribonianus vel Paulus orationem Alfeni mutavit. cf. D. 47, 10, 15, 32.

De oneris aversi actione.

135. D. 19, 2, 31. Idem (Alfenus) libro quinto Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 71). In navem Saufeii cum complures frumentum confuderant, Saufeius uni ex his frumentum reddiderat de communi et navis perierat: quaesitum est, an ceteri pro sua parte frumenti cum nauta agere possunt oneris aversi actione. respondit rerum locatarum duo genera esse, ut aut idem redderetur (sicuti cum vestimenta fulloni curanda locarentur) aut eiusdem generis redderetur (veluti cum argentum pusulatum fabro daretur, ut vasa fierent, aut aurum, ut anuli): ex superiore causa rem domini manere, ex posteriore in creditum iri. idem iuris esse in deposito: nam si quis pecuniam numeratam ita deposuisset, ut neque clusam neque obsignatam traderet, sed adnumeraret, nihil aliud eum debere apud quem deposita esset nisi tantundem pecuniae solvere. secundum quae videri triticum factum Saufeii et recte datum. quod si separatim tabulis aut heronibus aut in alia cupa clusum uniuscuiusque triticum fuisset, ita ut internosci posset quid cuiusque esset, non potuisse *nautam*[1] permutationem facere, sed tum posse eum cuius fuisset triticum quod nauta solvisset vindicare. et ideo se improbare actiones oneris aversi: quia sive eius generis essent merces, quae nautae traderentur, ut continuo eius fierent et mercator in creditum iret, non videretur onus esse aversum, quippe quod nautae fuisset: sive eadem res, quae tradita esset, reddi deberet, furti esse actionem locatori et ideo supervacuum

1 *Fl.* nos. *emendavit Ant. Faber.*

esse iudicium oneris aversi. sed si datum esset, ut in simili re solvi possit, conductorem culpam dumtaxat debere (nam in re, quae utriusque causa contraheretur, culpam deberi) neque omnimodo culpam esse, quod uni reddidisset ex frumento, quoniam alicui primum reddere eum necesse fuisset, tametsi meliorem eius condicionem facere, quam ceterorum.

De damno iniuria dato.

136. D. 19, 2, 30, 2. Idem (Alfenus) libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 54). Qui mulas ad certum pondus oneris locaret, cum maiore onere conductor eas rupisset, consulebat de actione. respondit vel lege Aquilia vel ex locato recte eum agere, sed lege Aquilia tantum cum eo agi posse, qui tum mulas agitasset, ex locato etiam si alius eas rupisset, cum conductore recte agi.

cf. D. 9, 2, 27, 5. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 623). Tertio autem capite ait eadem lex Aquilia: 'ceterarum rerum praeter hominem et pecudem occisos si quis alteri damnum faxit, quod usserit fregerit ruperit iniuria, quanti ea res erit in diebus triginta proximis, tantum aes domino dare damnas esto.' Gai. 3, 217. itaque si quis . . eam quadrupedem quae pecudum ⟨numero est, vulneravit, . .⟩ . . hoc capite actio constituitur . . ruptum ⟨enim intelligitur quod quoquo modo corruptum⟩ est . . et quoquo modo vitiata aut perempta atque deteriora facta hoc loco continentur.

De iniuria.

137. D. 47, 10, 15, 32. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum (P. 1353). . . si quis pignus proscripserit venditurus, tamquam a me acceperit, infamandi mei causa, Servius ait iniuriarum agi posse.

Ex Servii responso Ulpianus regulam generalem fecit.

De pauperie.

138? D. 9, 1, 5. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 6). Agaso cum in tabernam equum deduceret, mulam equus olfecit, mula calcem reiecit et crus agasoni fregit: consulebatur, possetne cum domino mulae agi, quod ea pauperiem fecisset. respondi posse.

Fortasse 'respondit' scribendum est. nam Dorotheus in schol. ad Basil. 60, 2, 5 scripsit: ἠρωτήθη Σέρβιος .. καὶ ἀπεκρίνατο.

De positis.

139. D. 9, 3, 5, 12. Ulpianus libro vicesimo tertio ad edictum (P. 694). .. cum pictor in pergula clipeum vel tabulam expositam habuisset eaque excidisset et transeunti damni quid dedisset, Servius respondit ad exemplum huius actionis (sc. de positis propositae) dari oportere actionem: hanc enim non competere palam esse[, quia neque in suggrunda neque in protecto tabula fuerat posita].

cf. edictum perpetuum praetoris urbani (Dig. 9, 3, 1 pr. et 5, 6): '.. in eum locum, quo vulgo iter fiet vel in quo consistetur, deiectum .. quid erit, in eum qui ibi habitaverit, in duplum iudicium dabo ..'

'Ne quis in suggrunda protectove supra eum locum quo vulgo iter fiet inve quo consistetur id positum habeat, cuius casus nocere cui possit.'

140. Ibid. (P. 694). Idem servandum respondit et si amphora ex reticulo suspensa decidisset et damni dedisset[, quia et legitima et honoraria actio deficit].

cf. Marquardt VII p. 442. Servii responsum ius videtur condidisse. cf. D. 44, 7, 5, 5 'is qui ea parte qua volgo iter fieri solet, id positum aut suspensum habet, quod potest, si ceciderit, alicui nocere'.

De repetitionibus.

141. D. 12, 6, 36. Paulus libro quinto epitomarum Alfeni Digestorum (P. 69). Servus cuiusdam insciente domino magidem commodavit: is cui commodaverat pignori eam posuit et fugit: qui accepit non aliter se redditurum aiebat, quam si pecuniam accepisset. accepit a servulo et reddidit magidem: quaesitum est, an pecunia ab eo repeti possit. respondit, si is qui pignori accepisset magidem alienam sci<sse>t apud se pignori deponi, furti eum se obligasse ideoque, si pecuniam a servulo accepisset redimendi furti causa, posse repeti: sed si nescisset alienam apud se deponi, non esse furem, item, si pecunia eius nomine, a quo pignus acceperat, a servo ei soluta esset, non posse ab eo repeti.

De iudice et arbitro.

142. D. 5, 1, 80. Pomponius libro secundo ad Sabinum (P. 392). Si in iudicis nomine praenomine erratum est, Servius respondit, si ex conventione litigatorum is iudex addictus esset, eum esse iudicem, de quo litigatores sensissent.

143. D. 42, 1, 62. Alfenus Varus libro sexto Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 72). Cum quaerebatur, iudex, si perperam iudicasset, an posset eodem die iterum iudicare, respondit non posse.

144. D. 44, 7, 23. Idem (Africanus) libro septimo Quaestionum (P. 75). .. si arbiter ex compromisso pecuniam certo die dare iusserit neque per eum, qui dare iussus sit, steterit, non committi poenam respondit <Iulianus?>: adeo ut et illud Servius existimaverit, si quando dies, qua pecunia daretur, sententia arbitri comprehensa non esset, modicum spatium datum videri.

De in integrum restitutione.

145. D. 4, 6, 42. Alfenus libro quinto Digestorum (P. 22). Non vere dicitur rei publicae causa abesse eum, qui sui privati negotii causa in legatione est.

De publicanis.

146. D. 50, 16, 203. Idem (Alfenus) libro septimo Digestorum (P. 29). In lege censoria portus Siciliae ita scriptum erat: 'servos, quos domum quis ducet suo usu, pro is portorium ne dato'. quaerebatur, si quis a Sicilia servos Romam mitteret fundi instruendi causa, utrum pro his hominibus portorium dare deberet nec ne. respondit duas esse in hac scriptura quaestiones, primam, quid esset 'domum ducere', alteram, quid esset 'suo usu ducere'. igitur quaeri soleret, utrum, ubi quisque habitaret sive in provincia sive in Italia, an dumtaxat in sua cuiusque patria domus esse recte dicetur. sed de ea re constitutum esse eam domum unicuique nostrum debere existimari, ubi quisque sedes et tabulas haberet suarumque rerum constitutionem fecisset. quid autem esset 'usu suo', magnam habuisse dubitationem. et ⟨penu sui usus causa parata⟩[1] magis plac*ere*, quod victus sui causa paratum est, tantum contineri. itemque de servis eadem ratione quaeri, qui eorum usus sui causa parati essent? utrum dispensatores, insularii, vilici, atrienses, textores ⟨tantum, an⟩ operarii quoque rustici, qui agrorum colendorum causa haberentur, ex quibus agris pater familias fructus caperet, quibus se toleraret (se suosque aleret?), omnes denique servos, quos quisque emisset, ut ipse haberet atque eis ad aliquam rem uteretur neque ideo emisset, ut venderet? et sibi videri eos demum usus sui causa patrem familias habere, qui ad eius corpus tuendum atque ipsius cultum praepositi destinatique essent, quo in genere [i]unctores, cubicularii, coci, ministratores atque alii, qui ad eiusmodi usum parati essent, numeraretur.

Alfeni orationem a Triboniano mutatam et interpolatam esse existimo. primum iam verba 'de ea constitutum esse' dubia movent, et quae sequuntur 'cum

1 *ex Mommseni coniectura adiectum.*

domum unicuique nostrum debere existimari, ubi quisque .. suarum .. rerum constitutionem fecisset' aperte interpolatorem produnt. ante oculos habuit sine dubio imperatoris Diocletiani illa verba (C. 10, 40, 7): 'ubi quis .. rerum suarum ... summam constituit', quae corrupit. itaque etiam verba '(ubi quisque) sedes et tabulas haberet' paraphrasim esse iudico 'laris', qui apud Diocletianum reperitur ('ubi quis larem .. constituit'), atque etiam ab antiquis iuris consultis nominari debuit. Diocletiani verba: 'unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet, unde cum profectus sit, peregrinari videtur, quo si rediit, peregrinari iam destitit' optime illustrantur eis quae Preller röm. Mythol. II, 108 de laribus ait: „Jedes Fest trifft sie mit ... die Feier der glücklichen Rückkehr eines Familiengliedes ... von der Reise oder aus der gefahrvollen See oder aus dem Kriege ...'

Ut ad Alfenum revertamur, etiam duae illae quaestiones in Servii responso seiunctae (priorem quid esset 'domum ducere', alteram quid esset 'suo usu ducere') male tractatae sunt. verba 'igitur quaeri soleret' alia in memoriam revocant (D. 44, 7, 20): 'servus non in omnibus rebus sine poena domino dicto audiens esse solet', quae itidem a Triboniano mutata esse puto: in utroque enim loco pro 'solere' potius 'debere' scriptum fuisse iudico. accedit soloecismus 'soleret' quod debuit esse 'solere', uti iam Haloander correxit. 'dicetur' pro 'dicatur' et 'unicuique' pro 'unius cuiusque' vix Alfeni sunt. Servii explicationem a Triboniano deletam eiusque loco sua verba substituta esse apparet: 'sed de ea re constitutum esse eam domum unicuique nostrum debere existimari, ubi quisque sedes et tabulas haberet suarumque rerum constitutionem fecisset'. quae Alfenus Servium respondisse tradidit, fortasse ea sunt, quae in Diocletiani constitutione servata sunt, ut Alfenum sic fere scripsisse conicere liceat: 'igitur quaeri debere: utrum .. dicetur. sed domum eam esse debere existimari, ubi quis larem rerumque suarum summam constituit ...'

Ea quoque quae de secunda quaestione Servius explicavit, maximam partem deleta sunt. 'quid autem esset »usu suo«, magnam habuisse dubitationem', Alfenus scribere non potuit, sed, si omnino eius verba sunt, potius scribere debuit 'magnam habere dubitationem'. etiam 'magis placet' Pauli esse iudico. cf. D. 32, 60 'sic mihi placet'. quae Alfenus scripserit, verba docent quae postea leguntur 'et sibi videri eos demum' et q. s. Servium ex analogia rem decidisse apparet, ita ut quae de penu sui usus causa parata dici oporteret, ad servos in usum suum domum ductos transferret. at ne reliqua quidem integra sunt. 'unctores' in memoriam revocant, Servium unguentum penoris esse existimare (D. 33, 9, 3, 10). comparanda sunt et quae Servius (Gell. 4, 1, 17) de iis rebus exponit quae 'longae usionis causa contrahuntur et reconduntur', et quae Alfenus (D. 32, 60, 2) de eis, quae paterfamilias 'vendere solitus' est. erant enim tunc in Italia, qui agros non ut se suosque alerent, sed ut fructus venderent, colebant. ii servi quibus ad hoc opus utebantur, re vera non 'suo usu' parati erant. cf. Sabini verba a Gellio 4, 1, 23 relata 'promercalia et usuaria' et CIL. VI, 2, 1143 n. 8594: 'quidquid usuarium invehitur, ansarium non debet'.

147. D. 18, 1, 80, 2. Labeo libro quinto posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 208). **Silva caedua in quinquennium venierat: quaerebatur, cum glans decidisset, utrius esset. scio Servium respondisse, primum sequendum esse quod appareret actum esse: quod si in obscuro esset, quaecumque glans ex his arboribus quae caesae non essent cecidisset, venditoris esse, eam autem, quae in arboribus fuisset eo tempore cum haec caederentur, emptoris.**

cf. lex Ursonensis LXXXII: qui agri quaeque silvae quaeque aedificia colonis coloniae Genetivae Iuliae, quibus publice utantur, data adtributa erunt, ne quis eos agros neve eas silvas vendito neve locato longius quam in quinquennium.

cf. supra 'de silva locata' 116. 117.

148. D. 39, 4, 15. Alfenus Varus libro septimo Digestorum (P. 28). Caesar cum insulae Cretae cotorias locaret, legem ita dixerat: 'ne quis praeter redemptorem post idus Martias cotem ex insula Creta fodito neve eximito neve ave*h*ito'[1]. cuiusdam navis onusta cotibus ante idus Martias ex portu Cretae profecta vento relata in portum erat, deinde iterum post idus Martias profecta erat. consulebatur, num contra legem post idus Martias ex insula Creta cotes exisse viderentur. respondit, tametsi portus quoque, qui insulae essent, omnes eius insulae esse viderentur, tamen eum, qui ante idus Martias profectus ex portu esset et relatus tempestate in insulam[2] esset, si inde exisset non videri contra legem fecisse, pr*opt*erea quod iam initio evectae cotes viderentur, cum et ex portu navis profecta esset.

De iudiciis publicis.

149. D. 44, 7, 20. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 9). Servu*m* non in omnibus rebus sine poena domino dicto audien*tem* esse *debere*, sicuti si dominus hominem occidere aut furtum alicui facere servum iussisset. quare quamvis domini iussu servus piraticam fecisset, iudicium in eum post libertatem reddi oport*ere*. et quodcumque vi fecisset, quae vis a maleficio non abesset, ita oport*ere* poenas eum pendere. sed si aliqua rixa ex litibus et contentione nata esset aut aliqua vis iuris retinendi causa facta esset et ab his rebus facinus abesset, tum non conveni*re* praetorem, quod servus iussu domini fecisset, de ea re in liberum iudicium dare.

Alfeni oratio a Triboniano mutata est. hodie enim sic legitur: 'servu*s* .. audien*s* esse *solet* .. reddi oport*et* .. ita oporte*t* .. non conveni*t* ..' cf. D. 21, 1, 19 pr. (Ulp.): 'ea quae ad nudam laudem servi pertinent, veluti si dixe-

1 *Fl.* avellito. *emendavit P. Pithoeus.*
2 *Fl.* in insulam deductus.

rit .. dicto audientem'. D. 21, 1, 21 (Ulp.): 'ne .. iussu eius (emptoris) furtum sive damnum cui datum sit'.

Rixae primum apud Servium et Alfenum mentio fit, quorum uterque hac de re sententiam dixit. D. 9, 2, 52, 1. postea Labeo definivit, quid inter 'rixam' et 'turbam' interesset. D. 47, 8, 4, 3.

De capitis deminutione.

150? D. 48, 22, 3. Alfenus libro primo epitomarum (P. 33). Eum, qui civitatem amitteret, nihil aliud iuris adimere liberis, nisi quod ab ipso perventurum esset ad eos, si intestatus in civitate moreretur [hoc est hereditatem eius et libertos et si quid aliud in hoc genere repperiri potest]; quae vero non a patre, sed a genere, a civitate, a rerum natura tribuerentur, ea manere eis incolumia. itaque et fratres fratribus fore legitimos heredes et adgnatorum tutelas et hereditates habituros: non enim haec patrem, sed maiores eius eis dedisse.

An Servii responsum subsit, in dubio relinquitur. cf. Gai. 1, 161: minor sive media est capitis deminutio, cum civitas amittitur, libertas retinetur; quod accidit ei cui aqua et igni interdictum est. 163. .. capitis deminutionibus ius agnationis corrumpitur.

III. Actiones Servianae.

Actiones duas Servianas, et bonorum possessoris et pigneraticii creditoris, a Servio Sulpicio originem duxisse mea quidem sententia nihil impedit quominus putemus, quamquam Dernburg Pfandrecht I, 61 sqq. aliter sentit. quae de his actionibus traduntur, haec fere sunt.

1. Gai. 4, 34 sq. Habemus adhuc alterius generis fictiones in quibusdam formulis, veluti cum is qui ex edicto bonorum possessionem petiit, ficto se herede agit. cum enim praetorio iure, non legitimo succedat

in locum defuncti, non habet directas actiones, et neque id quod defuncti fuit, potest intendere 'suum esse', neque id quod ei debebatur, potest intendere ⟨dari⟩ sibi oportere'; itaque ficto se herede intendit velut hoc modo: 'iudex esto. si A. Agerius (id est ipse actor) L. Titio heres esset, tum ⟨si eum⟩ fundum de quo agitur ex iure Quiritium eius esse oporteret ..' similiter et bonorum emptor ficto se herede agit ... species actionis qua ficto se herede bonorum emptor agit, Serviana ⟨vocatur⟩.

2. I. de act. 4, 6, 7. Serviana .. ex ipsius praetoris iuris dictione substantiam capit. Serviana autem experitur quis de rebus coloni, quae pignoris iure pro mercedibus fundi ei tenentur.

Ad exemplum huius Servianae actionis 'quasi Serviana' postea introducta est, quae et hypothecaria nominatur. hypothecae vero ante Hadrianum nusquam apud iuris consultos Romanos mentio fit: neque Q. Mucius neque Servius neque Alfenus neque Labeo neque Sabinus neque Cassius neque Proculus neque Celsus 'hypothecam' nominat. primum hypothecae nomen invenitur apud Gaium, qui 'ad edictum provinciale' amplos commentarios composuit (P. 53—388), itemque primus 'de formula hypothecaria' librum singularem composuit (P. 399—403).

Idem Gaius primus libro nono ad edictum provinciale (D. 16, 1, 5 P. 229) 'quasi Servianam quae et hypothecaria vocatur' nominat. secuti sunt Papinianus (D. 20, 1, 1: 'utili Serviana'), imperator Gordianus in rescripto ad Aristonem dato (C. 8, 9, 1: 'Serviana actione vel quae ad exemplum eius instituitur, utilis') et Iustinianus (I. de act. 4, 6, 7 pr.: 'item Serviana et quasi Serviana quae etiam hypothecaria vocatur').

Certe ne Serviana quidem actio ante Hadrianum nominatur: demum cum Iulianus edictum componeret, singulis actionibus certa nomina data esse videntur. qui Servianam actionem nominant, hi fere sunt: Iulianus Digestorum libro nono (D. 13, 7, 8 P. 175) et libro quadragesimo

quarto (D. 43, 33, 1 P. 276), Pomponius, quem Iuliani Digestis usum esse constat (Krueger p. 175), tam libris ad edictum (D. 44, 4, 4, 29 P. 163) quam libro vicesimo septimo ad Sabinum (D. 21, 1, 34 P. 733), Gaius libro octavo ad edictum provinciale (D. 20, 6, 2 P. 212), Africanus libro quarto Quaestionum (D. 16, 1, 17 P. 24), Papinianus libro vicesimo Quaestionum (D. 20, 1, 3 P. 300), Paulus in libris ad edictum, nimirum libro septimo (D. 3, 3, 42 P. 167), decimo nono (D. 20, 1, 18 P. 296), vicesimo tertio (D. 10, 2, 29 P. 391) et quadragesimo octavo (D. 20, 1, 7 P. 769), Ulpianus aeque in libris ad edictum, nimirum libro vicesimo tertio (D. 20, 6, 4 P. 1637), vicesimo quarto (D. 10, 4, 3, 3 P. 719) et septuagesimo sexto (D. 44, 4, 4, 30 P. 1681), Gordianus a. 238 (C. 8, 9, 1), Diocletianus et Maximinianus a. 294 (C. 4, 10, 14) et anno incerto (C. 4, 32, 19).

Tribonianus, cum Digesta componeret, veterum dicta de Salviano interdicto et de Serviana actione nonnunquam mutavit, ita quidem, ut aut actionum nomina inter se commutaret aut de Serviano iudicio nonnulla adderet. illud fecit in Iuliani Digestorum libro quadragesimo quarto P. 676, ubi loco verborum 'Serviana utentur' haec substituit: 'Salviano interdicto recte experientur' et in Ulpiani libro septuagesimo tertio ad edictum P. 1632, ubi pro 'Salviano' scripsit 'Servianae', hoc fecit in Ulpiani eodem libro P. 1629, in quo verba adiecit 'et erit . . descendendum ad Servianum iudicium'.

Ad Servium Sulpicium vel haec respiciunt: primum ficticiam illam bonorum possessoris actionem post Rutilianam introductam esse ex Gaii 4, 35 verbis licet concludere. deinde Gaius, quo loco actionem 'Servianam vocari' ait, ad Servium Sulpicium, quem in prioribus libris non raro laudat (1, 188. 2, 244. 3, 149. 156. 179. 183) respicere videtur: si Servianam actionem alium Servium, non Sulpicium proposuisse coniciamus, Gaius id indicare debuit. denique Servium de colonis et de fundi mercede etiam alias constituisse legimus.

Quod Servius Sulpicius urbani praetoris officio functus non est, minime obstat, cum eximiae auctoritatis iuris consulto variis modis iura condere liceret.

IV. Reprehensa Scaevolae capita.

Hunc libri titulum fuisse, ex Gellii verbis (4, 1, 20) pro certo statui nequit. Paulus 'notata Mucii' nominat. Servium ad iuris civilis tantum Q. Mucii libros, non ad librum ὅρων notas scripsisse, nulla idonea ratione putant. Servii liber comparandus est non tam commentariis, qui ad priorum iuris consultorum libros conscripti sunt, quam potius libris, qui ad aliorum scripta notas addiderunt, quales sub principibus scripserunt Titius Aristo ad Cassii iuris civilis libros et Marcellus ad Pomponii librum singularem Regularum. hoc ergo librorum genus Servius novavit.

De legatis.

1. Gell. 4, 1, 17. — Quintum Scaevolam ad demonstrandum penum his verbis usum audio. 'penus est', inquit, 'quod esculentum aut posculentum est ...' ⟨sed improbasse haec Ser. Sulpicium, qui '*at non omne*', inquit, '*quod esus potusque causa paratum est,*⟩[1] *ut Mucius ait, penus videri debet. nam quae ad edendum bibendumque in dies singulos prandii aut cenae causa parantur, penus non sunt, sed ea potius, quae huiusce generis longae usionis gratia contrahuntur et reconduntur, ex eo quod non in promptu,* ⟨*sed*⟩ *intus et penitus habeantur, penus dicta sunt*'.

2. D. 33, 9, 3, 6. Ulpianus libro vicesimo secundo ad Sabinum (P. 2641). — sed quod diximus 'usus sui gratia paratum' accipiendum erit et amicorum eius et clientium et universorum, quos circa se habet, non etiam eius familiae, quam neque circa se neque circa suos habet[, puta si qui sunt in villis deputati]. quos

1 *Mommsen symb. Bethm.-Hollweg. obl. p. 91.*

Quintus Mucius sic definiebat, ut eorum cibaria contineri (penu legata) putet, qui opus non facerent; sed materiam praebuit Servio notandi, ut textorum et textricum cibaria diceret contineri.

3. Gell. 4, 1, 20. — ... de penu adscribendum hoc etiam putavi, Servium Sulpicium in reprehensis Scaevolae capitibus scripsisse, Cato Aelio placuisse, non quae esui et potui forent, sed tus quoque et cereos in penu esse, quod eius *familiae*[1] causa comparatum.

4. D. 33, 9, 3, 10. Ulpianus libro vicesimo secundo ad Sabinum (P. 2641). Servius apud Melam et unguentum et chartas epistulares penoris esse scribit.

Haec quoque sententia huic libro bona ratione adscribi potest: nam de ea re vel apud posteros disputatum fuisse Ulpiani verba docent, quae sequuntur: 'et est verius haec quoque contineri'.

5. D. 32, 39, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 171). Cum ita legatum esset, ut Titia uxor mea tantandem partem habeat (capiat?) quantulam unus heres, si non aequales partes essent heredum, Quintus Mucius et Gallus putabant maximam partem legatam esse, quia in maiore minor quoque inesset, Servius Ofilius minimam, quia cum heres dare damnatus esset, in potestate eius esset, quam partem daret.

6. D. 40, 7, 39 pr. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis (P. 196). 'Stichum Attio do lego et, si is ei nummos centum dederit, liber esto'. ... eum .. statuliberum esse Quintus Mucius Gallus ... putant, Servius Ofilius non esse.

De tutelis.

7. Gai. I, 188 ... quidam quinque genera (tutelarum) esse dixerunt, ut Q. Mucius, alii tria, ut Ser. Sulpicius.

1 *C.* ferme rei.

De partis appellatione.

8. D. 50, 16, 25, 1. Paulus libro vicensimo primo ad edictum (P. 339^{b}). Quintus Mucius ait partis appellatione rem pro indiviso significari: nam quod pro diviso nostrum sit, id non partem, sed totum esse. Servius non ineleganter partis appellatione utrumque significari.

De societate.

8^{a}. Gai. III, 149. Magna autem quaestio fuit, an ita coiri possit societas, ut quis maiorem partem lucretur, minorem damni praestet. quod Q. Mucius <contra naturam societatis esse existimavit. sed Ser. Sulpicius> ... adeo ita coiri posse societatem existimavit, ut dixerit, illo quoque modo coiri posse, ut quis nihil omnino damni praestet, sed lucri partem capiat, si modo opera eius tam pretiosa videatur, ut aequum sit eum cum hac pactione in societatem admitti.

8^{b}. D. 17, 2, 30. Paulus libro sexto ad Sabinum (P. 1732). Mucius libro quarto decimo scribit, non posse societatem coiri, ut aliam damni, aliam lucri partem socius ferat. Servius in notatis Mucii ait, nec posse societatem ita contrahi, <ut nullam omnino vel damni vel lucri partem socius ferat>: neque enim lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto, neque damnum, nisi omni lucro deducto. sed potest coiri societas ita, ut eius lucri, quod reliquum in societate sit, omni damno deducto, pars alia feratur, et eius damni, quod similiter relinquatur, pars alia capiatur.

Locum corruptum non sanat, qui cum Mommseno verba illa 'non posse societatem coiri' potius 'non probe societatem coiri' legit. nam 'ita contrahi' aeque vocem 'ut' videtur flagitare, atque postea legimus: 'sed potest coiri societas ita ut' et q. s.

8^{c}. J. 3, 25, 2. de illa sane conventione quaesitum est, si Titius et Seius inter se pacti sunt, ut ad Titium lucri duae partes pertineant, damni tertia, ad

Seium duae partes damni, lucri tertia, an rata debet haberi conventio. Quintus Mucius contra naturam societatis talem pactionem esse existimavit et ob id non esse ratam habendam. Servius Sulpicius, cuius sententia praevaluit, contra sentit, quia saepe quorundam ita pretiosa est opera in societate, ut eos iustum sit meliore condicione in societatem admitti. .. et adeo contra Quinti Mucii sententiam optinuit, ut illud quoque constiterit posse convenire, ut quis lucri partem ferat, damno non teneatur, quod et ipsum Servius convenienter sibi existimavit, quod tamen ita intelligi oportet, ut si in aliqua re lucrum, in aliqua damnum allatum sit, compensatione facta solum quod superest intellegatur lucri esse.

8[d]. D. 17, 2, 29 pr. Ulpianus libro trigesimo ad Sabinum (P. 2742). si vero placuerit, ut quis duas partes vel tres habeat, alius unam, an valeat? placet valere, si modo aliquid plus contulit societati vel pecuniae vel operae vel cuiuscunque alterius rei [causa].

9? D. 17, 2, 65, 8. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 495). Item scriptum est posse procuratori quoque meo socium meum renuntiare. quod Servius apud Alfenum ita notat: esse in potestate domini, cum procuratori eius renuntiatum est, an velit ratam habere renuntiationem.

Quod 'scriptum est', Servius in Mucii iuris civilis libro XIV legisse videtur. itaque in Mucii fragmentis ponere debebam.

De furtis.

10. Gaius 3, 183. Furtorum autem genera Ser. Sulpicius et Masurius Sabinus quatuor esse dixerunt, manifestum et nec manifestum, conceptum et oblatum.

De Q. Mucii sententia v. supra p. 97.

11. D. 47, 2, 77, 1. Idem (Pomponius) libro trigesimo octavo ad Quintum Mucium (P. 322). Si quis alteri furtum fecerit et id quod subripuit alius ab eo

subripuit, cum posteriore fure dominus eius rei furti agere potest, fur prior non potest ... haec Quintus Mucius refert ... nec utimur Servii sententia qui putabat, si rei subreptae dominus nemo exstaret nec exstaturus esset, furem habere furti actionem.

V. De sacris detestandis libri.

Cum praeter librorum titulum nihil fere servatum sit, argumentum librorum coniectura tantum assequi possumus. verbum 'detestatum' Gaius in libro sexto ad XII tabulas (D. 50, 16, 238, 1) sic explicat: 'detestatum est testatione denuntiatum' et Ulpianus libro quinquagesimo sexto ad edictum (D. 50, 16, 39) scribit: 'detestatio est denuntiatio facta cum testatione'. 'Detestari verhält sich zu testari wie demere zu emere, deicere zu iacere, heisst also vor Zeugen von sich abthun' Mommsen Staatsrecht III, 1 p. 29 n. 1. de re vir doctissimus haec addit: 'Die sacrorum detestatio wird bei Gellius 15, 27 neben dem Testament aufgeführt als gleichfalls in comitiis calatis vollzogen; und da die unter Leitung des Pontifex abgehaltenen Comitien technisch calata heissen, so kann hier nichts anderes gemeint sein als die bei den Pontificalcomitien immer zunächst in das Auge gefasste Adrogation. Dazu stimmt Servius zur Aen. 2, 156: consuetudo apud antiquos fuit, ut qui in familiam vel gentem transiret, prius se abdicaret ab ea in qua fuerat et sic ab alia acciperetur. Auch dass die älteren Juristen diese detestatio ausführlich behandelten, passt dazu wohl: Ser. Sulpicius schrieb zwei oder mehrere Bücher de sacris detestandis (Gell. 7, 12)'. cum aliis ergo viris doctis Mommsen sacrorum detestationem cum arrogatione coniunctam esse existimat. sacra, de quibus agitur, utrum gentilicia an familiaria intelligenda sint, Mommsen non definivit: plerique viri docti ea sacra gentilicia esse putant. utrumque Karlowa Rechtsgeschichte II p. 97 sq. improbat: sacrorum detestationem neque adrogationis partem fuisse neque

a gentiliciis sacris liberasse putat; potius detestationem illam proprium negotium fuisse et ad familiaria sacra pertinuisse explicat: 'Es spricht nichts dagegen, dass nach gutheissendem Dekret der Pontifices der zu Adoptierende durch den Akt der Arrogation selbst, ohne eine besondere Lossagung, aus der bisherigen gens bezw. der Teilnahme an deren sacra ausschied und in die neue gens übertrat. Was aber die sacra familiaria angeht, so klebten sie an der sächlichen familia, sie trafen den, welcher Subject dieser familia wurde'. . . 'Diesen verschiedenen Spuren nach war die sacrorum detestatio ein selbständiger Akt, wodurch ein römischer Bürger sich, bezw. seine familia, von den darauf haftenden sacra freimachen und dieselben (vermutlich für eine Vergütung) durch eine feierliche ... Erklärung auf einen andern übertragen konnte'. ad confirmandam hanc sententiam respicere iubet et Ciceronis verba (or. 42, 144): 'an quibus verbis sacrorum alienatio fiat, docere honestum est, ut est' et coemptionem sacrorum interimendorum gratia factam.

Alii denique sacrorum detestationem in transitione ad plebem locum habuisse putant, quam opinionem olim etiam Mommsen secutus est; hodie vir doctissimus l. c. detestationem cum in transitione tum inprimis in adrogatione adhibitam esse docet.

Liber II.

Gell. 7, 12 § 1. Servius Sulpicius iureconsultus ... in libro de sacris detestandis secundo, qua ratione adductus 'testamentum' verbum esse duplex scripserit, non reperio. nam compositum esse dixit a mentis contestatione.

cf. Ulp. fr. 20, 1 'testamentum est mentis nostrae iusta contestatio ..' Labeo D. 28, 1, 2 'in eo qui testatur, eius temporis quo testamentum facit, integritas mentis .. exigenda est'. Iavolenus D. 35, 1, 40, 3 'ego puto secundum mentem testatoris .. spectandum esse'.

VI. De dotibus liber.

Gellius 4, 3, 2. 4, 4 Servii Sulpicii librum 'quem composuit de dotibus' vel 'quem scripsit de dotibus' laudat et Neratius D. 12, 4; 8 ait: 'Servius in libro de dotibus scribit'. in memoriam revocandi sunt et Atellanarum tituli 'Dotalis' et 'Dotata' (Ribbeck Scaenicorum Rom. poesis fragm. II² p. 231 sq.) et M. Catonis orationes quas habuit de dote (Gell. 10, 23) et cum Voconiam legem suadebat (Gell. 17, 6). post Servium scripserunt Neratius Priscus de nuptiis (Gell. 4, 4), Gaius, ut videtur, de dotibus (index enim auctorum 20, 12 'dotalicion *βιβλίον ἕν*' nominat), Paulus de dotis repetitione (D. 50, 17, 68 P. 81), Ulpianus de sponsalibus (D. 23, 1, 2, 12 P. 2993—94), Modestinus de differentia dotis (P. 1) et de ritu nuptiarum (P. 347). quos iuris consultos Servii libro usos esse verisimile est. Neratius Priscus certe non modo in libro quem de nuptiis composuit, eo libro usus est (Gell. 4, 4, 3, 4: 'hoc ... dicit Servius ... haec eadem Neratius scripsit ...'), sed etiam in Membranarum libro secundo (D. 12, 4, 8). posteriores iuris consulti potius Neratii quam Servii libro usi esse putandi sunt.

Servius ipse fortasse Varronis auxilio usus est: Varro enim libro sexto de lingua Latina de sponsalibus dixit (Bruns II p. 58 sq.). de commercio epistolarum inter eos frequentato supra p. 140 vidimus.

De sponsalibus.

1. Gell. 4, 4. Sponsalia in ea parte Italiae, quae Latium appellatur, hoc more atque iure solita fieri scripsit Servius Sulpicius in libro, quem ⟨in⟩scripsit de dotibus: '*Qui uxorem*', inquit, '*ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, stipulabatur, eam in matrimonium ⟨datum iri; qui daturus erat, id eidem spondebat. item qui uxorem daturus erat, ab eo, cui eam daturus erat, stipulabatur, eam in matrimonium⟩*[1] *ductum iri, qui*

1 *supplevit Mommsen in Symb. Bethmanno-Hollwegio oblat. p. 98.*

ducturus erat, id eidem spondebat. is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia. tunc quae promissa erat, sponsa appellabatur, qui spoponderat ducturam, sponsus. sed si post eas stipulationis uxor non dabatur aut non ducebatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat. iudices cognoscebant. iudex, quamobrem data acceptave non esset uxor, quaerebat. si nihil iustae causae videbatur, litem pecunia aestimabat, quantique interfuerat eam uxorem dari aut accipi, eum qui spoponderat ⟨*ei*⟩ *qui stipulatus erat, condemnabat'*. hoc ius sponsaliorum observatum dicit Servius ad id tempus, quo civitas universo Latio lege Iulia data est.

Cf. D. 23, 1, 2. Ulpianus libro singulari de sponsalibus. (P. 2993.) Sponsalia autem dicta sunt a spondendo: nam moris fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras. D. 23, 1, 11. Iulianus libro sexto decimo Digestorum. (P. 268) . . . sicut nuptiis, ita sponsalibus filiam familias consentire oportet. D. 23, 1, 12. Ulpianus l. c. (P. 2994). sed quae patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. tunc autem solum dissentiendi a patre licentia filiae conceditur, si indignum moribus vel turpem sponsum ei pater eligat.

2. D. 38, 10, 8. Pomponius libro primo enchiridii (P. 174). Servius .. dicebat socri et socrus et generi et nurus appellationem etiam ex sponsalibus adquiri.

De dotis repetitione.

3. D. 12, 4, 8. Neratius libro secundo Membranarum (P. 11). ... Servius in libro de dotibus scribit, si inter eas personas, quarum altera nondum iustam aetatem habeat, nuptiae factae sint, quod dotis nomine interim datum sit, repeti posse.

De rei uxoriae cautionibus.

4. Gell. 4, 3 § 2. Servius ... Sulpicius in libro, quem composuit de dotibus, tum primum cautiones

rei uxoriae necessarias esse visas scripsit, cum Spurius Carvilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, divortium cum uxore fecit, quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur, anno urbis conditae quingentesimo vicesimo tertio M. Atilio P. Valerio consulibus. atque is Carvilius traditur uxorem, quam dimisit, egregie dilexisse carissimamque morum eius gratia habuisse, sed iurisiurandi religionem animo atque amori praevertisse, quod iurare a censoribus coactus erat, uxorem se liberum quaerundum gratia habiturum.

VII. Ad leges duodecim tabularum libri.

Ante Servium ad XII tabulas scripserunt Sextus Aelius (supra p. 15), L. Acilius vel Atilius (p. 18), L. Valerius (p. 131) et fortasse L. Aelius Stilo Praeconinus grammaticus (Schoell p. 26 sq.).

'Ex Servii Sulpicii Rufi .. centum octoginta libris etiam XII tabularum interpretationem fuisse magis quam quinque glossae sub eius nomine apud Festum citatae Gai quaedam verba indicant ex libro V ad legem XII tabularum in Digesta 50, 16, 237 recepta »duobus negativis verbis quasi permittit lex magis quam prohibuit; idque etiam Servius animadvertit«. quae mentio magni sane momenti est, cum Gaius non ipsa lege, sed commentariis prioribus usus sit' Schoell p. 34.

Post Servium ad XII tabulas scripserunt M. Antistius Labeo (P. 1—3) et Gaius (P. 418—445). cf. Krueger p. 143 et 183. sicut Gaium Servii libris usum esse vidimus, ita et Labeo iisdem fortasse libris usus est: nam eorum fragmentorum quae sine operis titulo feruntur, nonnulla, in quibus Servius laudatur, ad XII tabularum libros referre licet, inprimis P. 328. 390. 393.

Servii librorum fragmentis XII tabularum verba, quatenus servata sunt, anteposui. cum legum fragmenta in Brunsii fontibus nonnulla aliis numeris significentur quam in Schoellii collectione, utriusque numeros indicavi.

[I, 2. SI CALVITUR PEDEMVE STRUIT, MANUM ENDO IACITO]

1. Fest. p. 210. — 'Pedem struit' in XII significat 'fugit', ut ait Ser. Sulpicius.

[I, 5. NEX ... FORTI SANATI ...]

2. Fest. p. 321. — Sanates dicti sunt ... ⟨Sanates quasi sana⟩ti appella⟨ti, id est sanatae mentis: Ser.⟩ Sulpicius ... et Opiliu⟨s ... ita existimant⟩ dici inferio⟨ris superiorisque loci populos,⟩ ut Tiburte⟨s supra Romam, aliosque qui cum⟩ populo Tibur⟨ti convenerant in agro⟩ Tiburti iide⟨mque ad se maritimos quosdam infe⟩riorisque loc⟨i populos perduxerant ..⟩.

[V, 1—6]

3. D. 26, 1, 1 pr. Paulus libro trigesimo octavo ad edictum (P. 556). Tutela est, ut Servius definit, vis ac potestas in capite libro ad tuendum eum, qui propter aetatem ⟨vel sexum⟩ sua sponte se defendere nequit, iure civili data ac permissa.

[VI, 6 et XII, 3 Br. 4 Sch.]

4. Fest. p. 376. — Vindiciae appellantur res eae, de quibus controversia est. ... at Ser. Sulpicius ⟨nomine et⟩iam singulariter formato vindiciam esse ait ⟨eam rem⟩, qua de re controversia est, ab eo quod vindicatur ...[1]

1 *Quae sequuntur verba*: et in XII 'si vindiciam falsam tulit, si velit is .. tor arbitros tres dato, eorum arbitrio .. fructus duplionedamnum decidito', *quae Lenel 96 recepit, Servii non esse videntur.*

[VIII, 5. 10. 14 Br. 9. 13 Sch.]

5. Fest. p. 322. — Sarcito in XII Ser. Sulpicius ait significare damnum solvito, praestato.

[VIII, 6. 10 Br. 5. 9 Sch.]

6. Fest. p. 174, 2. — ⟨Noxia,⟩ ut Ser. Sulpicius Ru⟨fus ait, damnum significat⟩.

7. D. 9, 1, 1, 3. 4. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 607). Itaque, ut Servius scribit, tunc haec actio locum habet, cum commota feritate nocuit quadrupes, puta si equus calcitrosus calce percusserit, aut bos cornu petere solitus petierit aut mulae propter nimiam ferociam ⟨plaustrum everterint⟩: [quod si propter loci iniquitatem aut propter culpam mulionis, aut si plus iusto onerata quadrupes in aliquem onus everterit, haec actio cessabit damnique iniuriae agetur.]

[VIII, 14. 15]

8. Gai. 3, 183. Furtorum .. genera Servius Sulpicius et Masurius Sabinus IIII esse dixerunt, manifestum et nec manifestum, conceptum et oblatum.

[ad loca incerta]

9. D. 8, 6, 7. Paulus libro tertio decimo ad Plautium (P. 1191). Si sic constituta sit aqua, ut vel aestate ducatur tantum vel uno mense, quaeritur quemadmodum non utendo amittatur, ... et si alternis annis vel mensibus quis aquam habeat, *duplicato biennio*[1] amittitur. si vero alternis diebus aut die toto aut tantum nocte, *biennio*[2] amittitur, quia una servitus est: nam et si alternis horis vel una hora cottidie servitutem habeat, Servius scribit perdere eum non utendo servitutem, quia id quod habet cottidianum sit.

1 *Trib.* constituto tempore.
2 *Trib.* statuto legibus tempore.

10. D. 50, 16, 237. Gaius libro quinto ad XII tabulas (P. 439). — Duobus negativis verbis quasi permittit lex magis quam prohibuit, idque etiam Servius animadvertit.

VIII. Ad edictum libri duo ad Brutum subscripti.

Pomponius § 44 haec habet: 'Servius duos libros ad Brutum perquam brevissimos ad edictum subscriptos

reliquit'. qui librorum titulus fuerit, non satis constat: ego Karlowam (Rechtsgeschichte I, 484) secutus sum. Ulpianus, qui Servii libros laudat (D. 14, 3, 5, 1), eosdem 'ad Brutum' scriptos nominat ('Servius libro primo ad Brutum ait'), sicut Gaius (D. 50, 16, 234, 1) libri nomine non addito 'Ofilium ad Atticum' citat ('Ofilius ad Atticum ait').

Servius primus omnium ad edictum praetoris commentarium scripsit. quo tempore eum conposuerit, Ciceronis de legibus libri (I, 5, 17) anno 702/52 editi videntur indicare, cum aiunt: .. 'non ergo a praetoris edicto, ut plerique nunc, . . . hauriendum iuris disciplinam putas'.

Secuti sunt Servium Aulus Ofilius (P. 2—18), Antistius Labeo, qui ad edictum et praetoris urbani et peregrini (P. 4—191), Masurius Sabinus, qui certe ad edictum praetoris urbani libros scripsit (P. 1), Plautius, ut videtur (P. 1—9), Sextus Pedius (P. 1—50), Sextus Pomponius (P. 1—173), Q. Venuleius Saturninus (P. 7), Gaius, qui ad edictum et praetoris urbani et provinciale libros composuit (P. 8—52; 58—388), Paulus (P. 83—849), Ulpianus (P. 170—1797).

Cum Ulpianus edictum non minus quam LXXXIII libris, Sex. Pedius edictum praetoris et aedilium curulium non minus quam viginti quinque, Masurius Sabinus edictum praetoris urbani non minus quam quinque libris commentatus sit, Servius idem edictum non pluribus quam duobus libris explicavit. Servius vero tantum urbani praetoris edictum commentatus esse ideo putandus est, quod non ad 'edicta', scilicet duorum praetorum (Gai. 1, 6), sed ad 'edictum' scripsisse traditur. notas eum tantum ad edictum hic illic adiecisse, non commentarium perpetuum scripsisse Karlowa I, 487 putat. certe responsorum partem in librum eum recepisse existimo.

In Pauli et Ulpiani commentariis Servium saepius laudari vidimus. in ceterorum commentariis Servii nomen non reperiri ideo mirum non est, quod et pauca tantum fragmenta servata sunt et Tribonianus nomen eius videtur delevisse.

Servii nomen invenitur neque in Ofilii neque in Sabini neque in Pedii neque in Venuleii, sed est in Labeonis, Gaii, Pauli, Pomponii fragmentis. Labeo doli mali definitionem a Servio propositam emendare (P. 34) vel Servii sententiam ratione nova adlata confirmare (P. 190, 4) conatur vel Servii sententias probat (P. 165. 190, 5). Pomponius Servianam actionem nominat (P. 163). Gaius, in cuius librorum ad edictum urbanum scriptorum fragmentis Servii nomen non reperitur, in libris ad edictum provinciale scriptis et eandem actionem nominat (P. 212. 229), et ipsum Servium (P. 174 pr.). accedit, quod verba quaedam, quae primum apud Servium inveniuntur, a Gaio repetuntur.

Servius.	Gaius.
1. D. 19, 2, 15, 2. Servius omnem vim cui resisti non potest, dominum colono praestare debere ait, utputa ... si incursus hostium fiat.	1. D. 13, 6, 18. in rebus commodatis .. diligentia praestanda est .. ita ut tantum eos casus non praestet, quibus resisti non potest, veluti... latronum hostiumque incursus, piratarum insidias ...
2. D. 39, 2, 24, 4. Servius quoque putat, .. ita eum teneri, si aedificii vitio id acciderit, non si violentia ventorum vel qua alia ratione, quae vim habet divinam.	2. D. 19, 2, 25. vis maior, quam Graeci *θεοῦ βίαν* vocant ...

Cum de praetoris edicto, qualis ante Hadrianum fuerit, nihil fere traditum sit et ex Servii libris unum tantum fragmentum afferatur, diiudicari vix potest, quaenam alia fragmenta illis libris attribuenda sint. ea hic collocavi, quae huius loci esse possunt, Iuliani edicti

rubricis secundum Lenelii recensionem in Brunsii fontibus datam praemissis.

Cum fragmentum, quod Ulpianus primi libri esse refert, in Iuliani edicti ordine non primis, sed ulterioribus demum capitibus adscribendum sit, ea quae secundum illum ordinem antecedunt, etiam huic loco praemisi. cum vero secundi libri exordium definiri nequeat, librorum numerum designare supersedi.

[*IX. De in integrum restitutionibus. 2. quae dolo malo facta esse dicentur. cf. XLIII Exceptiones 9. exceptio doli mali.*]

1. D. 4, 3, 1, 2. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 384). Dolum malum Servius .. ita definiit: machinationem quandam alterius decipiendi causa, cum illud simulatur et aliud agitur.

[*IX, 6. Si cuius quid de bonis rel.*]

2. D. 4, 6, 26, 4. Ulpianus libro duodecimo ad edictum (P. 439). ait praetor: 'sive cui per magistratus sine dolo malo ipsius actio exempta esse dicetur' ... per magistratus autem factum ita accipiendum est, si ius non dixit, alioquin si causa cognita denegavit actionem, restitutio cessat, et ita Servio videtur.

[*XIV. De his quae cuiusque in bonis sunt. 2. de his qui deiecerint vel effuderint.*]

3. D. 9, 3, 5, 12. Ulpianus libro vicensimo tertio ad edictum (P. 694). .. cum pictor in pergula clipeum vel tabulam expositam habuisset eaque excidisset et transeunti damni quid dedisset, Servius respondit ad exemplum huius actionis dari oportere actionem, hanc enim non competere palam esse[, quia neque in suggrunda neque in protecto tabula fuerat posita].

An Servius responsum in libros ad edictum receperit, in incerto remanet; sed id hoc loco repetere idoneum putavi.

[*XVII. Quod cum magistro navis, institore eove qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicetur. 4. quod iussu.*]

4. D. 46, 3, 35. Alfenus Varus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 47). Quod servus ex peculio suo credidisset aut deposuisset, id ei, sive venisset sive manumissus esset, recte solvi pos*se* [nisi aliqua causa interciderit, ex qua intellegi possit invito eo, cuius tum is servus fuisset, ei solvi]. sed et si quis dominicam pecuniam ab eo faeneratus esset, si permissu domini servus negotium dominicum gessisset, idem iuris es*se*: vide*ri* enim voluntate domini [qui cum servo negotium contraheret] et ab eo accipere et ei solvere.

Alfeni vel Pauli oratio a Triboniano solito more mutata est: hodie legitur: 'solvi potest .. iuris est: videtur ..'. uncis inclusa verba a Triboniano addita sunt.

7. D. 14, 3, 5 pr. § 1. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 824). Cuicumque .. negotio praepositus sit, institor recte appellabitur. nam et Servius libro primo ad Brutum ait, si quid cum insulario gestum sit vel eo quem quis aedificio praeposuit vel frumento coemendo, in solidum eum teneri.

cf. Gai. 4, 71: ... comparavit (praetor) duas alias actiones, exercitoriam et institoriam .. institoria vero formula tum locum habet, cum quis tabernae aut cuilibet negotiationi filium servumve aut quemlibet extraneum sive servum sive liberum praeposuerit ... ideo autem institoria vocatur, quia qui tabernae praeponitur, institor appellatur. quae et ipsa formula in solidum est.

8. D. 15, 1, 9, 2. 3. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 852[c]). Peculium .. deducto quod ⟨patri⟩ domino⟨ve⟩ debetur computandum esse, quia praevenisse ⟨pater⟩ dominus⟨ve⟩ et cum ⟨filio⟩ servo⟨ve⟩ suo egisse creditur. huic definitioni Servius adiecit et si quid his debeatur qui sunt in eius potestate.

cf. Gai. 4, 73. ⟨cum autem quaeritur, quantum in peculio sit, ante de⟩ducitur quod patri dominove quique in eius potestate sit, a filio servove debetur et quod superest. hoc solum peculium esse intelligitur.

[*XVIII. De bonae fidei contractibus. 1. depositi vel contra. 2—7. fiduciae vel contra, mandati vel contra, pro socio, empti venditi, locati conducti, de aestimato.*]

9. D. 15, 1, 17. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 852[g]). Si servus meus ordinarius vicarios habeat, id quod vicarii mihi debent an deducam ex peculio servi ordinarii? ... id .. quod ipsis debet ordinarius servus, non deducetur de peculio ordinarii servi, quia peculium eorum in peculio ipsius est; et ita Servius respondit.

Hoc quoque responsum repetendum esse putavi.

[*XXIII. De iure patronatus.*]

10. D. 38, 2, 1. Ulpianus libro quadragensimo secundo ad edictum (P. 1149). ... Servius scribit, antea soliti fuerunt (sc. patroni) a libertis durissimas res exigere ... primus praetor Rutilius edixit, se amplius non daturum patrono quam operarum et societatis actionem, videlicet, si hoc pepigisset, ut nisi ei obsequium praestaret libertus, in societatem admitteretur patronus.

[*XXIV. De bonorum possessionibus. A. si tabulae testamenti extabunt. 6. de ventre in possessionem mittendo et curatore eius.*]

11. D. 37, 9, 1, 24. Ulpianus libro quadragesimo primo ad edictum (P. 1135). Quodsi nondum sit curator constitutus, ... Servius aiebat res hereditarias heredem institutum vel substitutum obsignare non debere, sed tantum pernumerare et mulieri adsignare.

12. Ibid. 25. Ulpianus l. c. (P. 1135). Idem ait ad custodienda ea quae sine custodia salva esse non possunt, custodem ab herede ponendum, utputa

pecoris, et si nondum messis vindemiave facta sit, et si fuerit controversia, quantum deminui oporteat, arbitrum dandum.

[*XLII. Interdicta. 6. uti nunc possidetis.*]

13. D. 43, 17, 3, 11. Ulpianus libro sexagesimo nono ad edictum (P. 1542). ... Servii .. sententia est existimantis tanti possessionem aestimandam quanti res ipsa est.

[*Ibid. 10. de aqua cottidiana et aestiva.*]

15. D. 43, 21, 3 pr. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1583[b]). Servius .. scribit aliter duci aquam, quae ante per specus ducta est, si nunc per apertum ducatur: nam si operis aliquid faciat quis, quo magis aquam conservet vel contineat, non impune prohiberi.

16. D. 43, 21, 3, 1. Ulpianus ibid. (P. 1583[b]). Servius et Labeo scribunt, si rivum, qui ab initio terrenus fuit, quia aquam non continebat, cementicium velit facere, audiendum esse: sed et si eum rivum, qui structilis fuit, postea terrenum faciat aut partem rivi, aeque non esse prohibendum.

[*Ibid. 12. quod vi aut clam factum est.*]

17. D. 43, 24, 4. Venuleius libro secundo Interdictorum (P. 13). Servius etiam eum clam facere, qui existimare debeat sibi controversiam futuram, quia non opinionem cui[us] et resupinam existimationem *prodi* esse oporteat, ne melioris condicionis sint stulti quam periti.

18. D. 43, 24, 7, 4. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1594). Gallus .. dubitat, an excipi oporteret: 'quod incendii defendendi causa factum non sit'. Servius autem ait, si id magistratus fecisset, dandam esse, privato non esse idem concedendum; si tamen quid vi aut clam factum sit neque ignis usque

eo pervenisset, simpli*citer*[1] litem aestimandam, si pervenisset, absolvi eum oportere. idem ait esse, si damni iniuria actum foret[, quoniam nullam iniuriam aut damnum dare videtur aeque perituris aedibus].

19. D. 43, 24, 13, 4. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1597). .. apud Servium amplius relatum est, si mihi *in iure* cesseris, ut ex fundo tuo arbores caedam, deinde eas alius vi aut clam ceciderit, mihi hoc interdictum competere, quia ego sim cuius interest.

Trib. concesseris. *restituit A. Pernice.*

[*Ibid. 13. de remissionibus.*]

20. D. 43, 24, 5, 3. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1592°). .. Servius .. ait sufficere feminae viro notum facere opus se facturum vel denique sciente eo facere, quamquam etiam illud sufficiat celandi animum non habere.

21. Ibid. § 4. Ulpianus l. l. (P. 1592°). Item ait, si quis in publico municipii velit facere, sufficere ei, si [curatori rei publicae] denuntiet.

Cum 'curator rei publicae' ex Nervae demum aetate reperiatur (D. 43, 24, 3, 4), aperte Tribonianus ei quem Servius nominavit, hunc magistratum substituit. fortasse Servius scripsit: 'si servo publico denuntiet'.

22. Ibid. § 5. Ulpianus l. l. (P. 1592°). Si quis, dum putat locum tuum esse, qui est meus, celandi tui non mei causa fecerit, mihi interdictum competere.

23. Ibid. § 6. Ulpianus l. l. (P. 1592°). Idem dicit et si servi mei vel procuratoris celandi causa factum sit, mihi interdictum competere.

1 simpli *F. emend. Schmidt; Mommsen:* 'vel sic restitue: neque ignis usque eo pervenisset [eum quocum agatur quod vi aut clam damnandum in id quod interest vel si damni iniuria cum eo actum esset,] simpli litem aestimandum.'

IX. Alia opera.

Praeter libros, de quibus dixi, Servium alios non paucos scripsisse certum est, cum Pomponius § 43 eum 'prope centum et octoginta libros' reliquisse tradat et eorum librorum, quorum argumenta nota sunt, summa vix viginti excedat. qui deperditorum librorum argumenta coniectura definire volet, eum potius ius publicum quam privatum considerare oportere puto. pro testimoniis habeo fragmenta illa, quae ad municipia et colonias, ad agrum publicum et ad censores spectare videntur. cf. Fest. v. municeps et v. sanates; Ulpianus D. 43, 24, 5, 4 ('si quis in publico municipii velit facere'); Fest. v. posticum lineam; Ulpianus D. 19, 3, 19, 1 ('si saltum pascuum locasti'); Alfenus D. 19, 2, 29 ('in lege locationis scriptum erat: redemptor silvam ne caedito'); idem D. 39, 4, 15 ('Caesar cum insulae Cretae cotorias locaret'); idem D. 50, 16, 203 ('in lege censoria portus Siciliae'); Labeo D. 18, 80, 2 ('silva caedua in quinquennium venierat'); Alfenus D. 18, 6, 13 ('lectos emptos aedilis, cum in via publica positi essent, concidit'); idem D. 19, 2, 30, 1 ('Aedilis in municipio balneas conduxerat, ut eo anno municipes gratis lavarentur'). Ulpianus D. 43, 24, 7, 4 ('Servius autem ait, si id magistratus fecisset'). cf. Alfenus D. 13, 7, 30 ('ratem in flumine sua auctoritate detinuit'). non tam agros privatos quam potius publicos vel municipales Servium ante oculos habuisse apparet. Servium Varronem de censoriis libris consuluisse supra p. 140 vidimus. accedit quod ante Servium Cassius Hemina de censoribus libros scripsit (p. 28). fortasse non casu fit, quod fragmentum a Nonio relatum eiusdem fere argumenti est atque res de qua Servius Varronem consuluit: utrumque enim ad Capitolium pertinet.

Servius certe et praetoris et magistratuum municipalium de servis iurisdictionem tractavit: id enim Alfenum D. 44, 7, 20 et Labeonem D. 40, 7, 39, 3 demonstrare puto. ille de servo disserit, qui domini iussu piraticam vel furtum

fecit aut hominem occidit; hic de servo qui 'in iudicio publico' erat. magistratus Larinatium servum ob furtum in crucem affigi iussisse exsecta lingua Cicero pro Cluentio (a. 688/66) 66, 187 tradit. cf. Mommsen III p. 819. servorum fugitivorum, quorum etiam Servius mentionem facit (D. 40, 7, 14, 1), copiam rem publicam miserrime perturbasse notum est. de quaestione familiae postea Scaevolam quoque scripsisse moneo. Krueger p. 197. de his aliisque rebus etiam Servium scripsisse veri non dissimile est.

Quod supra p. 113 conieci, Servium fortasse Aquillii Galli praeceptoris responsa notis adiectis edidisse, plane in incerto relinquendum est; nam Servium praeceptoris quidem sententias nonnunquam impugnare et reicere videmus (D. 8, 5, 6, 2: 'et Gallus putat ..., sed evaluit Servii sententia'; D. 32, 29, 1: 'Quintus Mucius et Gallus putabant maximam partem legatam esse .., Servius Ofilius minimam'; D. 40, 7, 39 pr.: 'eum .. statuliberum esse Quintus Mucius, Gallus .. putant, Servius Ofilius non esse'; D. 43, 24, 7, 4: 'Gallus .. dubitat ..., Servius autem ait'); sed propriis libris Servium id fecisse nulla idonea ratione comprobatur. —

Mommsen (Z. f. RG. IX, 12) non satis caute Servio Digesta attribuit („die Digesten des Ser. Sulpicius, Celsus, Scaevola"): Alfeni Digesta in mente habet, quae Servii inprimis responsa digesserunt (l. c. p. 93: „die Quästionen Africans gehören materiell ebenso dem Julianus, wie die Digesten des Alfenus dem Servius"). qua de re praeter ea quae supra p. 160 sq. dixi, infra disserendum erit. —

Fragmenta quae ad ius publicum pertinent, hoc loco collocare visum est.

De colonia deducenda.

1. Fest. v. posticam p. 233. Posticam lineam in agris dividendis Ser. Sulpicius appellavit ab exori⟨ente sole ad occasum spectantem⟩.

De postliminio.

2. Cic. top. 8 § 36. In quo (sc. verbo postliminii) Servius noster ut opinor, nihil putat esse notandum, nisi 'post', et 'liminium'. illud productionem esse verbi vult, ut in finitimo, legitimo, aeditimo non plus inesset 'timum', quam in meditullio 'tullium'.

3. D. 49, 15, 12 pr. Tryphoninus libro quarto Disputationum (P. 13). In bello postliminium est, in pace autem his, qui bello capti erant, de quibus nihil in pactis erat comprehensum. quod ideo placuisse Servius scribit, quia spem revertendi civibus in virtute bellica magis quam in pace Romani esse voluerunt.

De municipibus.

4. Fest. h. v. — Municeps est, ut ait Aelius Gallus, qui in municipio liber natus est, item qui ex alio genere hominum munus functus est, item qui in municipio ex servitute se liberavit a municipe. at Servius[1] aiebat initio fuisse, qui ea condicione cives Romani fuissent, ut semper rem publicam separatim a populo Romano haberent, Cumanos Acerranos Atellanos.

cf. Mommsen Staatsrecht III p. 285 n. 1.

X. Plane incertae sedis fragmenta.

Fragmenta quae neque responsis neque certo libro adtribuere licet, eodem fere ordine collocavi, quem in responsis secutus sum.

De statu liberis.

1. D. 40, 7, 3, 2. Idem (Ulpianus) libro vicesimo septimo ad Sabinum (P. 2697). .. quaeritur, si forte debeatur pecunia huic servo vel ab herede, quod in domini rationem plus erogaverat, vel ab extraneo, nec velit heres debitorem convenire vel statulibero solvere

1 *Codd.* Servilius *vel* scr. filius. *emendavit Mommsen.*

pecuniam: an debeat ad libertatem pervenire, quasi moram per heredem patiatur. et aut legatum huic statulibero fuit peculium aut non: si legatum peculium fuit, Servius scribit moram eum libertatis passum ob hoc ipsum, quod ei aliquid ex ratione dominica deberetur nec ei ab herede praestaretur: quam sententiam et Labeo probat. idem Servius probat et si in eo moram faciat heres, quod nolit exigere a debitoribus: nam perventuram ad libertatem ait.

De orbis.

2. Fest. 182. — <O>rba apud poe<tas significatur privata aliqua> persona cara, apud <oratores, quae patrem amisit; item> mater, ut Ser. <Sulpicius ait, quae liberos quasi oc>ulos orba<ta> est.

De locis religiosis.

3. Macrob. sat. 3, 3 § 8. — Servius Sulpicius religionem esse dictam tradidit, quae propter sanctitatem aliquam remota ac seposita a nobis sit, quasi a relinquendo dicta, ut a carendo caerimonia.

De agris.

4. Varro de l. l. 5, 4 § 40. Quod in agris quotquotannis rursum facienda eadem, ut rursus capias fructus, appellata rura. '*dividit in illo*', Servius scribit Sulpicius, '*plebei rura largitura adorea*'.

cf. D. 33, 7, 12, 31 (Ulp.) 'rure morari'; D. 7, 1, 15, 1 (Ulp.) 'si librarium rus mittat'.

De societate.

5. D. 17, 3, 65, 8. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 495). Item scriptum est posse procuratori quoque meo socium meum renuntiare. quod Servius apud Alfenum ita notat: esse in potestate domini, cum procuratori eius renuntiatum est, an velit ratam habere renuntiationem.

Inter responsa (supra p. 207) vel reprehensa Scaevolae capita (p. 221) sententiam recipere ausus non sum.

De Q. Mucii auditoribus.

6. D. 1, 2, 42. Pomponius libro primo Enchiridii (P. 178). Mucii auditores fuerunt complures ... ex quibus Gallum maximae auctoritatis apud populum fuisse Servius dicit. omnes tamen hi a Servio Sulpicio nominantur.

?

7. Plin. h. n. 20, 2, 26. Servi Sulpici principis viri commentatio est quamobrem mensa linquenda non sit; nondum enim plures quam convivae numerabantur.

Commentatio illa fortasse in epistula exstabat.

Denique has notas addendas esse duxi.

1. D. 19, 2, 28. Labeo libro quarto posteriorum epitomatorum a Iavoleno (P. 203). Quod si domi habitatione conductor aeque usus fuisset, *partis* etiam eius domus mercedem, quae vitium fecisset, deberi putat. idem iuris esse, si potestatem conducendi habebat, uti pretium conductionis praestaret. sed si locator conductori potestatem conducendae domus non fecisset et is in qua habitaret conduxisset, tantum ei praestandum putat, quantum sine dolo malo praestitisset. [ceterum, si gratuitam habitationem habuisset, pro portione temporis ex locatione domus deducendum esse.]

Krueger p. 163 n. 137 orationem obliquam et verbum 'putat' fortasse ad Servium respicere existimat. fragmenti finem interpolatam esse A. Pernice vidit.

2. D. 29, 5, 1, 27. Ulpianus libro quinquagesimo ad edictum (P. 1238). .. et ait Sextus ..

Quod Basil. 35, 16 habent: 'καὶ λέγει Σέρβιος', apertus error est, cum senatus consultum Silanianum, de quo agitur, imperatoriae demum aetatis sit. cf. Pernice Labeo I, 86.

VII. OCTAVI SAECULI IURIS CONSULTORUM SERIES SECUNDA

1. Appius Claudius Pulcher. — 2. C. Claudius Marcellus. — 3. L. Valerius. — 4. Precianus. — 5. C. Aelius Gallus. — 6. L. Cincius. — 7. Granius Flaccus. — 8. M. Valerius Messalla. — 9. T. Caesius. — 10. Aufidius Tucca. — 11. Flavius Priscus. — 12. C. Ateius. — 13. Pacuvius Labeo. — 14. ⟨Gaius⟩ Cinna. — 15. Publicius Gellius. — 16. ⟨P.⟩ Aufidius Namusa.

1. APPIUS CLAUDIUS AP. F. PULCHER

augur 695/59, cos. 700/54, Ciliciae proconsul 701/53 usque ad 703/51, censor 704/50, decessit 706/48. Cic. Brut. 77, 267: 'Appius Claudius et satis studiosus et valde cum doctus tum etiam exercitatus orator et cum auguralis tum omnis publici iuris antiquitatisque nostrae bene peritus fuit'.

Auguralis disciplinae libri.

Cicero a. 703/51 ad Ap. Pulchrum haec scribit (ad fam. 3, 4, 1): '. . illo libro augurali, quem ad me amantissime scriptum suavissime misisti' . librorum titulum Fest. 298 praebet. cf. Ciceronis epistulam a. 704/50 (ad fam. 3, 9, 3): 'cum ipsam cognitionem iuris augurii consequi cupio, tum mehercule tuis incredibiliter studiis erga me muneribusque delector'.

Liber I.

1. Fest. 298[b]. — Sollistimum, Ap. Pulcher in auguralis disciplinae l. I ait, esse tripudium quom avi excidit ex ore, quod illa fert: saxumve solidum aut arbos viviradix ruit, quae nec prae vitio humanave vi caedanturve, iacianturve, pellanturve.

Ex incerto libro.

2[a]. Cic. leg. 2, 13, 32. in collegio vestro inter Marcellum et Appium, optimos augures, magna dissensio (nam eorum ego in libros incidi), cum alteri placeat auspicia ista ad utilitatem esse rei publicae composita, alteri disciplina vestra quasi divinari videatur posse.

2[b]. Cic. de divin. 2, 35, 75. equidem assentior C. Marcello potius quam Appio Claudio ... existimoque ius augurum, etsi divinationis opinione principio constitutum sit, tamen postea rei publicae causa conservatum ac retentum.

---

2. C. CLAUDIUS MARCELLUS

cos. aut 704/50 aut 705/49.

Auguralis disciplinae libri.

Cic. leg. 2, 13, 32. in conlegio vestro inter Marcellum et Appium, optimos augures, magna dissensio (nam eorum ego in libros incidi), cum alteri placeat auspicia ista ad utilitatem esse rei publicae composita, alteri disciplina vestra quasi divinari videatur posse.

---

3. L. VALERIUS

ex Apulia, ut videtur, ortus. Cicero a. 700/54 scripsit 'L. Valerio iurisconsulto' (ad fam. 1, 10), idem

a. 703/51 'Appio imp.', i. e. Ciliciae proconsuli, haec scripsit (ad fam. 3, 1, 3): 'L. Valerium iureconsultum valde tibi commendo, sed ita etiam, si non est iure consultus. melius enim ei cavere volo, quam ipse aliis solet. valde hominem diligo: est ex meis domesticis atque intimis familiaribus'. de eodem, ut videtur, a. 701/53 ad Trebatium scripsit (ad fam. 7, 11, 2): 'si diutius frustra afueris, non modo Laberium, sed etiam sodalem nostrum Valerium pertimesco. mira enim persona induci potest Britannici iureconsulti'.

Valerius, qui ad XII tabulas scripsisse traditur, non hic putandus est (Teuffel-Schwabe § 207, 1), sed Q. Valerius Soranus, de quo supra V, 1 (p. 105). de M. Valerio Messalla v. infra VII 8 (p. 266 sq.). Valerius Severus, quem Julianus et Ulpianus laudant (P. 1—4), aetate inferior est. cf. Krueger p. 157.

4. PRECIANUS

Cicero a. 700/54 Trebatio haec scribit (ad fam. 7, 8, 2): 'Quod scribis de illo Preciano iureconsulto, ego te ei non desino commendare, scribit enim ipse mihi te sibi gratias agere debere. de eo quid sit, cura ut sciam. ego vestras Britannicas litteras exspecto'.

5. C. AELIUS GALLUS

vixit ante Verrium Flaccum, ceterum ignotus, non iuris consultus sed potius grammaticus iuris non ignarus.

'Gallus' a Labeone, Scaevola, Paulo et Ulpiano laudatus non Aelius est, sed Aquillius Gallus. v. supra p. 112. is Gallus vero, quem Iulianus D. 50, 16, 77 frumentum recte definisse ait, et cuius responsum inter Aquillii responsa recepi (p. 118), uter sit, dubium est, ita ut ne hoc quidem loco praetermitti debeat. cf. Krueger p. 69 n. 92.

De verborum quae ad ius civile pertinent significatione libri (II?).

Aelii Galli libri laudantur a Verrio Flacco in Festi epitome (cf. Teuffel-Schwabe § 208, 4), a Gellio 16, 5, 3, a Servio grammatico (Teuffel-Schwabe § 431), denique a Triboniano, qui fragmentum in Iustiniani Digesta recepit (D. 50, 16, 157), sine dubio non ex genuino opere, sed ex posterioris aevi iuris consulti, fortasse Gaii libris, quippe qui 'Aelium Gallum' libro VI ad legem duodecim tabularum laudavit (D. 22, 1, 19). certe in indicem Florentinum Aelii Galli libri recepti non sunt. Gallus saepenumero res 'definire' dicitur (Fest. v. possessio, saltus, stirps, Gaius D. 50, 16, 37), vel res similes 'distinguere' (Fest. v. senatus decretum) vel docere quid inter eas intersit (Fest. v. *rogatio*).

Libri primi fragmenta afferunt et Verrius Flaccus et Tribonianus, libri secundi Verrius Flaccus et Gellius ita quidem, ut res ab Aelio Gallo ordine alphabetico dispositae videantur fuisse: fragmenta enim ex secundo libro allata ad litteras RSTV pertinent, littera P ex primo libro citatur. cf. Schoell legis XII tabb. reliquiae p. 28 n. 2. aliter sentit Reitzenstein: Breslauer Philol. Abhandlungen I (Verrianische Forschungen) p. 84 n. 2. glossas usque ad P litteram priori, reliquas alteri libro adscripsi.

Liber I.

'Fructus.'

1. D. 22, 1, 19 pr. Gaius libro sexto ad legem duodecim tabularum (P. 440). Gallus Aelius putat, si vestimenta aut scyphus petita sint, in fructu haec numeranda esse, qu*ae* locata ea re mercedis nomine capi potueri*nt*.

cf. D. 50, 16, 77. Idem (Paulus) libro qu*inqua*gensimo nono ad edictum (P. 715). *Fructum* pro reditu appellari ... Iulianus scribit ... frumentum autem id esse, quod arista se teneat, recte Gallum definisse.

At haec definitio potius Aquillio Gallo adtribuenda est. cf. supra p. 118.

'Municeps.'

2. Fest. 142. — *Municeps est*, ut ait Aelius Gallus, *qui in municipio liber natus est; item qui ex alio genere hominum munus functus est; item qui in municipio ex servitute se liberavit a municipe.*

'Necessarii.'

3. Fest. 162. — *Necessarii sunt*, ut Gallus Aelius ait, *qui aut cognati aut affines sunt, in quos necessaria officia conferuntur praeter ceteros.*

'Nexum.'

4. Fest. 165. — *Nexum est*, ut ait Gallus Aelius, *quodcunque per aes et libram geritur, id quod necti dicitur; quo in genere sunt haec: testamenti factio, nexi datio, nexi liberatio.*

'Paries.'

5. D. 50, 16, 157 pr. Aelius Gallus libro primo de verborum quae ad ius pertinent significatione. — *Paries est, sive murus sive maceria est.*

cf. infra 'via'.

'Perfuga.'

6. Fest. 214. — Perfugam Gallus Aelius ait, qui liber aut servus sua voluntate ad hostes transierit. [qui idem dicitur transfuga: quanquam sunt, qui credant, perfugam esse non tam, qui alios fugiat, quam qui ob spem commodorum ad quempiam perfugiat.]

'Petra.'

7. Fest. 206. — ... docet Aelius Gallus: *petra est, qui locus dextra ac sinistra fornicem expletur usque ad libramentum summi fornicis.*

'Possessio.'

8. Fest. 233. — *Possessio est*, ut definit Gallus Aelius, *usus quidam agri aut aedificii, non ipse fundus aut ager; non enim possessio est ⟨e⟩ rebus, quae tangi possunt ⟨nec suum⟩*[1], *qui dicit se possidere, is vere*[2] *potest dicere. itaque in legitimis actionibus nemo ex his qui* (fortasse potius *ex iure Quiritium*) *possessionem suam vocare audet, sed ad interdictum venit, ut praetor his verbis utatur: uti nunc possidetis eum fundum, q(uo) d(e) a(gitur), quod nec vi nec clam nec precario alter ab altero possidetis, ⟨quo minus⟩ ita possideatis, adversus ea vim fieri veto.*

'Postliminium.'

9. Fest. 218. — Post liminium receptum Gallus Aelius in libro primo significationum, quae ad ius pertinent, ait esse eum, qui liber, ex qua civitate in aliam civitatem abierat, in eandem civitatem redit eo iure, quod constitutum est de postliminis; item qui servos a nobis in hostium potestatem pervenit, postea ad nos redit in eius potestatem, cuius antea fuit, iure postlimini. equi et muli et navis eadem ratio est post liminium receptionis quae servi. quae genera rerum ab hostibus ad nos post liminium redeunt, eadem genera rerum a nobis ad hostis redire possunt. cum populis liberis et cum foederatis et cum regibus postliminium nobis est ita uti cum hostibus; quae nationes in dicione nostra sunt, cum his ⟨postliminium non est⟩.

Liber secundus.

'Religiosum.'

10. Fest. 289. — ⟨religiosum ait⟩ esse Aelius Gallus, quod homini ita facere non liceat, ut si id faciat, contra deorum voluntatem videatur facere.

1 *Hiatum codicis explevit Mommsen.*
2 *Huschke pro* is vere *potius* is suam rem *scribere iussit.*

quo in genere sunt haec: in aedem Bonae deae virum introire, adversus auspicia legem ad populum ferre, die nefasto apud praetorem lege agere. inter sacrum autem et sanctum et religiosum differentias bellissime refert: sacrum aedificium consecratum deo, sanctum murum qui sit circum oppidum, religiosum sepulcrum, ubi mortuus sepultus aut humatus sit, satis constare ait; sed item ratione quadam et temporibus eadem videri posse, si quidem quod sacrum est, idem lege aut instituto maiorum sanctum esse putat, ut violari id sine poena non possit. idem religiosum quoque esse, quoniam sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat; quod si faciat, adversus deorum voluntatem videatur facere, similiter de muro et sepulcro debere observari, ut eadem et sacra et sancta et religiosa fiant. [sed quo modo supra expositum est, cum de sacro diximus.]

'Remancipata.'

11. Fest. 277. — Remancipatam Gallus Aelius esse ait, quae mancipata sit ab eo, cui in manum convenerit.

'Reus.'

12. Fest. 273. — Gallus Aelius libro II significationum verborum quae ad ius pertinent ait: *reus est, qui cum altero litem contestatam habet, sive is egit sive cum eo actum est. reus stipulandi est idem, qui stipulator dicitur, quippe suo nomine ab altero qui stipulatus est, non is qui alteri adstipulatus est. reus promittendo est, qui suo nomine alteri quid promisit quive pro altero quid promisit.*

'Rogatio.'

13. Fest. 266. — Gallus Aelius ait: *inter legem et rogationem hoc interest: rogatio est genus legis; quae lex, non continuo ea rogatio est. ⟨rogatio⟩ non potest non esse lex, si modo iustis comitiis rogata est.*

'Sacrum.'

14. Fest. 319. — Gallus Aelius ait, sacrum esse, quodcunque more atque instituto civitatis consecratum sit, sive aedis sive ara sive signum sive locus sive pecunia sive quid aliud, quod diis dedicatum atque consecratum sit; quod autem privati suae religionis causa aliquid earum rerum deo dedicent, id pontifices Romanos non existimare sacrum. at si qua sacra privata suscepta sunt, quae ex instituto pontificum statuto die aut certo loco facienda sint, ea sacra appellari tanquam sacrificia. [ille locus, ubi ea sacra privata facienda sunt, vix videtur sacer esse.]

'Saltus.'

15. Fest. 302. — Saltum Gallus Aelius libro II significationum, quae ad ius pertinent, ita definit: *saltus est, ubi silvae et pastiones sunt, quarum causa casae quoque; si qua particula in eo saltu pastorum aut custodum causa aratur, ea res non peremit nomen saltus, non magis quam fundi, qui est in agro culto et eius causa habet aedificium, si qua particula in eo habet silvam.*

'Sanctum.'

16. Fest. 317. — Sanctum ⟨ait dici Opilius Aure⟩lius, quod ⟨nec sacrum sit nec religiosum⟩. at Aelius ⟨Gallus, quod utrumque esse⟩ videatur ⟨et sacrum et religiosum⟩.

'Senatus decretum.'

17. Fest. 339. — Senatus decretum a consulto Aelius Gallus sic distinguit, ut id dicat particulam quandam esse senatus consulti, ut cum provincia alicui decernitur. [quod tamen ipsum senatus consulti est.]

'Sepulcrum.'

18. Fest. 339. — *Sepulcrum est*, ut ait Gallus Aelius, *locus in quo mortuus sepultus est, quod antiqui*

bustum appellabant. isque cippis aut aliqua alia re mortui causa designatus est, intra quos fines sepultura est facta.

'Sobrinus.'

19. Fest. 297. — *Sobrinus est*, ut ait Gallus Aelius, *patris mei consobrini filius et matris meae consobrinae filius. femina iisdem de causis appellat fratrem et fratrem patruelem et consobrinum et propius sobrino et sobrinum.* [*iidem gradus in sobrina quoque sunt.*]

'Stirps.'

20. Fest. 313. — quam (stirpem) Gallus Aelius sic definit: *stirps est gent⟨is propagatio⟩, ut qui a quoque est pro⟨gnatus⟩.*

'Tegulae.'

21. Serv. ad Verg. Georg. 1, 264. — Aelius Gallus de verbis ad ius civile pertinentibus vallos tegulas grandes, quae supra collicias infimae ponuntur, appellat.

'Torrens.'

22. Fest. 352. — Torrens . . . significat etiam fluvium subitis imbribus concitatum, qui alioqui siccitatibus exarescit, cuius aquam ipsam, quae fluit, flumen recte dici ait Gallus l. II, quae ad ius pertinent; ceterum volgi consuetudine iam dici flumen et perennem fluvium et torrentem.

Utrum sub voce 'torrens' an sub voce 'flumen' haec a Gallo dicta sint, in incerto relinquo.

'Vestibulum.'

23. Gell. 16, 5, § 3. — C. Aelius Gallus in libro de significatione verborum quae ad ius civile pertinent, secundo vestibulum esse dicit non in ipsis aedibus neque partem aedium, sed locum ante ianuam domus vacuam, per quem a via aditus accessusque ad aedis est, cum dextra sinistraque ianuam tecta sunt, viae iuncta, atque ipsa ianua procul a via est area vacanti insita.

'*Via.*'

24. D. 50, 16, 157, 1. Aelius Gallus libro primo de verborum quae ad ius pertinent significatione. — *item via est sive semita sive iter est.*

Tribonianus fortasse errore fragmentum primo libro adscripsit. cf. supra 'Paries' et Schoell l. c. p. 28 n. 2.

---

6. L. CINCIUS

Ciceronianae, ut videtur, aetatis, qui plurima de iure publico opera conscripsit. Teuffel-Schwabe § 117, 4. erant enim libri eius de fastis, de comitiis, de consulum potestate, de re militari, de officio iuris consulti, de verbis priscis, mystagogicon.

I. De fastis liber.

Ante Cincium de fastis scripsisse videtur M. Iunius Gracchanus (supra p. 37 sq.), post Cincium inter alios (Teuffel-Schwabe § 74, 4) scripsit Masurius Sabinus, de quo infra dicendum.

1. Macrob. sat. 1, 12, 12. — Cincius in eo libro, quem de fastis reliquit, ait imperite quosdam opinari, Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse, cum nullus dies festus nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem a maioribus institutus sit, sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla ut ceterorum coelestium laus celebretur

2. Lyd. de mens. 4, 44. — *Κίγκιος δὲ ὁ Ῥωμαῖος σοφιστής φησι, τὴν Ἀφροδίτην ἐξ ἀφροῦ τεχθῆναι οἱονεὶ ἐκ τοῦ χιονώδους ἀέρος καί τῆς ψυχρᾶς οὐσίας τὸ ἔαρ ἀποτεχθῆναι.*

3. Macrob. sat. 1, 12, 18. — Cincius (Maium) mensem nominatum putat a Maia, quam Vulcani dicit uxorem, argumentoque utitur, quod flamen Vulcanalis Kalendis Maiis huic deae rem divinam facit.

4. Macrob. sat. 1, 12, 30. — Iunius ...., ut Cincius arbitratur, quod Iunonius apud Latinos ante vocitatus diuque apud Aricinos Praenestinosque hac appellatione in fastos relatus sit.

5. Lyd. de mens. 4, 92. — *Κίγκιος ἐν τῷ περὶ τῶν ἑορτῶν λέγει, τὸν Νοέμβριον παρὰ τοῖς παλαιοῖς Μερκηδῖνον ὀνομασθῆναι ὡσανεὶ μισθοφόρον, ἐν αὐτῷ γὰρ τοῖς κτήτορσιν οἱ μισθωτοὶ τὰς προσόδους εἰσέφερον τοῦ παρελθόντος κύκλου ἑτέρων καρπῶν αὖθις ἐπερχομένων. Νοέμβριος δὲ ὕστερον ὠνομάσθη ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ· ἔννατος γὰρ ἐκ τοῦ Μαρτίου.*

II. De comitiis liber.

Qui vel ante vel post Cincium de comitiis scripserint, nescimus. ceterum in variis libris comitiorum ratio habita est. Antistium quoque Labeonem occasione data de calatis comitiis scripsisse traditum est. Gell. 15, 17, 1.

Fest. 240. — Patricios Cincius ait in libro de comitiis eos appellari solitos, qui nunc ingenui vocentur.

III. De consulum potestate liber.

'De officio consulis' scripsit postea Ulpius Marcellus (P. 274—276). cf. Iustiniani Digestorum titulum 'de officio consulis' (1, 10).

Fest. 241. — Praetor ad portam nunc salutatur is, qui in provinciam pro praetore aut pro consule exit, cuius rei morem ait fuisse Cincius in libro de consulum potestate talem: Albanos rerum potitos usque ad Tullum regem; Alba deinde diruta usque ad P. Decium Murem cos. populos Latinos ad caput Ferentinae, quod est sub monte Albano, consulere solitos et imperium communi consilio administrare. itaque *quando*[1] Romanos imperatores ad exercitum

1 *Cod.* quo anno . *emendavit* Mommsen.

mittere oporteret, iussu nominis Latini conplures nostros in Capitolio a sole oriente auspicis operam dare solitos. ubi aves addixissent, militem illum, qui a communi Latio missus esset, illum quem aves addixerunt, praetorem salutare solitum, qui eam provinciam optineret praetoris nomine.

IV. De re militari libri.

'De re militari' scripserunt inferioris aetatis Tarruntenus Paternus (P. 1—3), Arrius Menander (P. 1—13) et Aemilius Macer (P. 60—68). cf. Iustiniani Digestorum (49, 16) et Codicis (12, 35) titulum 'de re militari.'

Liber III.

1. Gell. 16, 4, 1. — Cincius in libro tertio de re militari fetialem populi Romani bellum indicentem hostibus telumque in agrum eorum iacentem his verbis uti scripsit: 'quod populus Hermundulus hominesque populi Hermunduli adversus populum Romanum bellum fecere deliqueruntque, quodque populus Romanus cum populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum iussit, ob eam rem ego populusque Romanus populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum (in)dico facioque.'

Liber V.

2. Gell. 16, 4, 2—4. — Item in libro eiusdem Cincii de re militari quinto ita scriptum est: *quum delectus antiquitus fieret et milites scriberentur, iusiurandum eos tribunus militaris adigebat in verba haec:* 'C. Laelii C. filii consulis, L. Cornelii P. filii consulis in exercitu decemque milia passuum prope furtum non facies dolo malo (neque) solus neque cum pluribus pluris nummi argentei in dies singulos; ex-

traque hastam, hastile, lorum, pabulum, utrem, follem, faculam si quid ibi inveneris sustulerisve, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad C. Laelium C. filium consulem Luciumve Cornelium P. filium consulem, sive quem ad uter eorum iusserit, perferes aut profitebere in triduo proximo, quum quid inveneris sustulerisve, sine dolo malo, aut domino suo, cuium id censebis esse, reddes, uti quod recte factum esse voles.' *militibus autem scriptis dies praefinibatur, quo die adessent et citanti consuli responderent; deinde concipiebatur iusiurandum, ut adessent, his additis exceptionibus:* 'nisi harunce quae causa erit: funus familiare feriaeve denicales, quae non eius rei causa in eum diem collatae sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus sonticus, auspiciumve, quod sine piaculo praeterire non liceat, sacrificiumve anniversarium, quod recte fieri non possit, nisi ipsus eo die ibi sit, vis hostisve, status condictusve dies cum hoste. si cui eorum harunce quae causa erit, tum se postridie quam per eas causas licebit, eo die venturum aditurumque eum, qui eum pagum, vicum oppidumve delegerit.'

3. Gell. 16, 4, 5. — Item in eodem libro verba haec sunt: *miles quum die, qui praedictus erat, aberat neque excusatus erat, infrequens censebatur.*

Liber VI.

4. Gell. 16, 4, 6. — Item in libro sexto hoc scriptum est: *alae dictae exercitus equitum ordines, quod circum legiones dextra sinistraque tanquam alae in avium corporibus locabantur. in legione sunt centuriae sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.*

IV. De officio iurisconsulti libri.

Eiusdem tituli aliorum libri noti non sunt.

Liber II.

1. Fest. 173. — Nuncupata pecunia est, ut ait Cincius in l. II de officio iurisconsulti, nomina*ta*, certa, nominibus propriis pronuntiata: 'cum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupassit, ita ius esto', id est, uti nominarit locutusve erit, ita ius esto. [vota nuncupata dicuntur, quae consules praetores, cum in provinciam proficiscuntur, faciunt; ea in tabulas praesentibus multis referuntur.]

De voce 'mancipiumque' v. Bechmann Kauf I 127 sqq.

2. Fest. 321. — ⟨Sanates quasi sana⟩ti appella⟨ti ...... sunt⟩, qui et inf⟨eriores dici putant colonias⟩, quae sunt ⟨deductae in pris⟩cos Latinos, ⟨quas Tarquinius rex in⟩egerit secundum ⟨mare .. in⟩fra Romam in c⟨ivitates Latinorum⟩, eosque sanati⟨s, quod Priscus⟩ praeter opinio⟨nem eos debellavis⟩set sanavisse⟨tque ac cum iis pa⟩cisci potuisset, no⟨minatos esse, ut ait⟩ Cincius l. II de ⟨officio iuris con⟩sulti.

Huschke Iurisprud.[5] p. 86 fragmentum in nonnullis aliter constituit.

Ex incerto libro.

3. Fest. 347. — Subici ar⟨ies dicitur, qui pro occiso datur⟩, quod fit, ut ait Cincius ⟨in libro de officio iuris⟩ consulti, exemplo At⟨hamantis, ex quo⟩ expiandi gratia aries m⟨actatur ab eo qui invitus sce⟩lus admisit poenae p⟨endendae loco⟩.

Lacunam explevi Mercklino Schoellioque (XII tabb. p. 150 n. 24) ducibus. 'exemplo At⟨heniensium apud quos⟩' edd.

VI. De verbis priscis liber.

Non de omnibus omnino priscis verbis, sed tantum de iis videtur scripsisse, quae vel ad res publicas vel ad iurisconsultum pertinent. certe quae reliqua sunt, huius fere generis sunt. conferendus igitur est liber,

quem Aelius Gallus scripsit 'de verborum quae ad ius civile pertinent, significatione' (supra p. 246) et Iustiniani Digestorum (50, 16) titulus 'de verborum significatione'.

In collocandis Cincii fragmentis ordinem alphabeticum secutus sum, quamquam dubitari potest, num Cincius eundem statuerit.

'Delubrum.'

1. Serv. ad Aen. 4, 56. — ... alii, ut Cincius, dicunt delubrum esse locum ante templum, ubi aqua currit, a diluendo.

'Faunus.'

2. Serv. ad Georg. 1, 10. — Cincius et Cassius aiunt, ab Euandro Faunum deum appellatum, ideoque aedes sacras faunas primo appellatas, postea fana dicta et ex eo, qui futura praecinerent, fanaticos dici.

'Gentilis.'

3. Fest. 94^{a}. — Gentilis dicitur et ex eodem genere ortus et is, qui simili nomine appellatur; ut ait Cincius: *gentiles mihi sunt, qui meo nomine appellantur*.

'Naccae.'

4. Fest. 166^{b}. — Naccae appellantur vulgo fullones, ut ait Curiatius, quod nauci non sint, id quod est nullius pretii. idem sentit et Cincius.

'Natio.'

5. Fest. 166^{a}. — ⟨Natio in eadem terra hominum genus⟩ natum. Cin⟨cius genus hominum, qui non aliunde vener⟩unt, sed ibi ⟨nati sunt, significari ait, idemque n⟩ationem ait ⟨non tantum universim de omni⟩bus, sed e⟨tiam de singularibus hominib⟩us seiuncti⟨m dici solere⟩.

'Naucum.'

6. Fest. 166^{b}. — Naucum ait Ateius philologus poni pro nugis. Cincius, cutim oleae nucis, quae intus sit.

'Novalis ager.'

7. Fest. 174[a]. — ⟨Novalem a⟩grum ⟨. . . . C⟩incius eum esse, ubi ⟨terra sine cultura ad novam s⟩ementem sit relic⟨ta⟩.

'Numina peregrina.'

8. Arnob. adv. nat. 3, 38. — Cincius numina peregrina novitate ex ipsa (sc. Novensiles) appellata pronuntiat: nam solere Romanos religiones urbium superatarum partim privatim per familias spargere, partim publice consecrare: ac ne aliquis deorum multitudine aut ignorantia praeteriretur, brevitatis et compendii causa uno pariter nomine cunctos Novensiles invocari.

'Nuptiae.'

9. Fest. 170[b]. — Nuptias dictas . . . . . Aelius et Cincius, quia flammeo caput nubentis obvolvatur, quod antiqui obnubere vocarint: ob quam causam legem quoque Praenestinam iubere caput eius obnubere, qui parentem necavisset, quod est obvolvere.

'Obstitum.'

10. Fest. 193[a]. — Obstitum Cloatius et Aelius Stilo esse aiunt violatum attactumque de caelo. Cincius, quom qui deo deaeve obstiterit, id est, qui viderit, quod videri nefas esset.

'Peremere.'

11. Fest. 214[b]. — Peremere Cincius in lib. de verbis priscis ait significare idem, quod prohibere.

'Praecidanea porca.'

12. Fest. 218[a]. — ⟨Praecidanea porca produ⟩cta syllaba ⟨secunda pronuncianda est; quo enim⟩, ut ait L. Cin⟨cius, antequam novam frugem secant, f⟩amiliae pur⟨gandae causa Cereri caeditur, prae⟩cidanea dicitur.

'Recondere.'

13. Fest. 277[a]. — Reconduit refecerit, ut condere urbem facere, aedificare, ut Cincius testatur in libro de verbis priscis.

'Refriva faba.'

14. Fest. 277[a]. — Refriva faba dicitur, ut ait Cincius, quom ea, quae ad sacrificium referri solet domum ex segete auspicii causa, quasi revocantur fruges, ut domum lata messe virtute ⟨sint eadem⟩ ad rem divinam faciendam.

'Rudus.'

15. Fest. 265[a]. — Cincius de verbis priscis sic ait: *quemadmodum omnis fere materia nondum formata rudis appellatur, sicut vestimentum rude non perpolitum, sic aes infectum rudus. quia apud aedem Apollinis aes infectum iacuit, id ad rudus appellabant; ⟨et adhuc⟩ in aestimatione censoria aes infectum rudus appellatur. rudiarii ab eodem dicuntur, quod saga nova poliunt.*

'Saliae virgines.'

16. Fest. 359[a]. — Salias virgines Cincius ait esse conducticias, quae ad Salios adhibeantur apicibus paludatas, quas Aelius Stilo scripsit sacrificium facere in regia cum pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum.

'Scena.'

17. Fest. 330[a]. — Scenam genus ⟨fuisse ferri⟩ manifestum est; sed utrum securis an dolabra sit, ambigitur. quamquam Cincius in libro de verbis priscis dolabram ait esse pontificiam.

'Sinistrum.'

18. Fest. 339[a]. — Sinistrae aves sinistrumque sive sinistimum auspicium i. quod sinat fieri. Varro

l. V epistolicarum quaestionum ait: 'a deorum sede cum in meridiem spectes, ⟨quod⟩ ad sinistram sunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes, factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia quam dextera esse existimentur'. idem fere sentiunt Sinnius Capito et Cincius.

'Tuditantes.'

19. Fest. 352^{a}. — Tuditantes, tundentes ⟨negotium, i. e. ag⟩entes significare ait Cincius ⟨de verbis priscis⟩.

'Vindiciae.'

20. Fest. 376^{a}. — ... Cincius sic ait: *vindiciae olim dicebantur illae, quae ex fundo sumptae in ius adlatae erant.*

VII. Mystagogicon libri.

Liber II.

1. Fest. 363^{a}. — Trientem tertium pondo coronam auream dedisse se Iovi donum, scripsit T. Quinctius dict⟨ator⟩, quom per novem dies totidem urbes et decimam Praeneste cepisset. id significare ait Cincius in Mystagogicon l. II duas libras pondo et trientem.

---

7. GRANIUS FLACCUS

Varrone, ut videtur, minor natu (Macrob. 1, 18, 4: 'Varro et Granius Flaccus'), non idem atque Granius Licinianus, id quod voluit Huschke. cf. Teuffel-Schwabe § 359, 5. sicut Varro rerum divinarum libros ad Caesarem pontificem scripserat, aeque Granius Flaccus 'ad Caesarem de indigitamentis scriptum librum reliquit'. Censorin. d. n. 3, 2. praeterea librum 'de iure Papiriano' composuit.

I. De iure Papiriano.

Leges regias secundum argumenta a Sexto Papirio collocatas s. ius Papirianum v. supra p. 133 sqq. ad hoc ergo ius Granius Flaccus commentarium scripsit.

De ritu sacrorum.

1. Macrob. sat. 3, 11, 5. — in Papiriano .. iure evidenter relatum est, arae vicem posse mensam dicatam: *ut in templo*, inquit, *Iunonis Populoniae augusta mensa est. namque in fanis alia vasorum sunt et sacrae suppellectilis, alia ornamentorum. quae vasorum sunt, instrumenti instar habent, quibus sacrificia conficiuntur. quarum rerum principem locum obtinet mensa, in qua epulae libationesque et stipes reponuntur, ornamenta vero sunt clypei, coronae et huiusce modi donaria. neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra sacrantur; at vero mensa arulaque eodem die, quo aedes ipsae, dedicari solent. unde mensa hoc ritu dedicata in templo arae usum et religionem obtinet pulvinaris.*

Qui 'inquit', non Papirius est, sed Granius Flaccus.

'Paelex aram ne tangito . . .'

2. D. 50, 16, 144. Paulus libro decimo ad legem Juliam et Papiam (P. 975). Granius Flaccus in libro de iure Papiriano scribit pellicem nunc volgo vocari, quae cum eo cui uxor sit, corpus misceat, quosdam (quondam?) eam, quae uxoris loco sine nuptiis in domo sit, quam *παλλακὴν* Graeci vocant.

cf. Paul. p. 222. v. pellices. — Pellices nunc quidem appellantur alienis succumbentes non solum feminae, sed etiam mares. antiqui proprie eam pellicem nominabant, quae uxorem habenti nubebat. D. 50, 16, 144. Paulus l. l. — Libro memorialium Masurius scribit, pellicem apud antiquos eam habitam, quae, cum uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat.

De sacerdotibus.

3. Fest. p. 277[a], 5. — Ricae et riculae vocantur parva ricinia, ut palliola ad usum capitis facta. Granius quidem ait esse muliebre cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica redimiatur.

Huschke fragmentum de indigitamentis libro adscripsit, sed minus recte, opinor.

II. De indigitamentis ad Caesarem.

Post Granium Flaccum L. Cornelius Balbus Ἐξηγητικῶν libros videtur conscripsisse. cf. Teuffel-Schwabe §§ 209, 4.

1. Censorinus d. n. 3, 2. — Eundem esse Genium et Larem multi veteres prodiderunt, in queis etiam Granius Flaccus in libro, quem ad Caesarem de indigitamentis scriptum reliquit.

2. Macrob. sat. 1, 18, 4. — Item Boeotii Parnasum montem Apollini sacratum esse memorantes, simul tamen in eodem et oraculum Delphicum et speluncas Bacchicas uni deo consecratas colunt. unde et Apollini et Libero patri in eodem monte res divina celebratur. quod cum et Varro et Granius Flaccus affirment, etiam Euripides his docet ...

3. Arnob. adv. nat. 3, 31. — Aristoteles, ut Granius memorat, vir ingenio praepotens atque in doctrina praecipuus, Minervam esse Iunam probabilibus argumentis explicat et litterata auctoritate demonstrat.

4. Arnob. ib. 3, 38. — Novensiles Piso deos esse credit novem in Sabinis apud Trebiam constitutos. hos Granius Musas putat consensum accommodans Aelio.

Cum Arnobius his locis Granium Flaccum 'Granium' nominet, 5, 18 ubi 'Flaccum' nominat, eum non eundem, sed potius Verrium Flaccum designare puto. aliter sentit Huschke p. 109.

8. M. VALERIUS MESSALLA

cos. 701/53, 'per annos LV augur' (Macrob. sat. 1, 9, 14), neque confundendus cum M. Valerio Messalla cos. 693/61 (Teuffel-Schwabe § 171, 12) neque, quod Huschke in Iurisprud. facit, cum M. Valerio Messalla, huius filio, qui 'Corvinus' appellabatur (Teuffel-Schwabe § 222, 1). sicut cos. 693/61 'Niger' cognominatus est, ita Messalla, de quo hic sermo est, 'Rufi' cognomen videtur habuisse, cum idem videatur esse atque 'Messalla senex' Plinii. neque iuris consultus nominatur neque responsa eius traduntur, at scripta reliquit, qui aliquo modo huc pertinent.

I. De auspiciis libri.

Eiusdem argumenti libros scripserunt ante Messallam L. Iulius Caesar (supra p. 106), Varro (p. 124), Appius Claudius Pulcher (p. 243), Cicero (Teuffel-Schwabe § 184, 18).

Liber I.

1ª. Gell. 13, 15. § 1—4. — In edicto consulum, quo edicunt, quis dies comitiis centuriatis futurus sit, scriptum ex vetere forma perpetua: 'ne quis magistratus minor de caelo servasse velit.' quaeri igitur solet, qui sint magistratus minores. super hac re meis verbis nil opus fuit, quoniam liber M. Messallae auguris de auspiciis primus, cum hoc scriberemus, forte adfuit. propterea ex eo libro verba ipsius Messallae subscripsimus: *Patriciorum auspicia in duas sunt divisa potestates. maxima sunt consulum, praetorum, censorum. neque tamen eorum omnium inter se eadem aut eiusdem potestatis, ideo quod collegae non sunt censores consulum aut praetorum, praetores consulum sunt. ideo neque consules aut praetores censoribus neque censores consulibus aut praetoribus turbant aut retinent auspicia; at censores inter se, rursus praetores consulesque inter se et vitiant et obtinent. praetor, etsi collega consulis est, neque prae-*

torem neque consulem iure rogare potest, ut quidem nos a superioribus accepimus ante haec tempora servatum esse et ut in commentario tertio decimo C. Tuditani patet, quia imperium minus praetor, maius habet consul, et a minore imperio maius aut maioris collega rogari iure non potest. nos his temporibus praetore praetores creante veterum auctoritatem sumus secuti neque his comitiis in auspicio fuimus. censores aeque non eodem rogantur auspicio atque consules et praetores. reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. ideo illi minores, hi maiores magistratus appellantur. minoribus creatis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed iustus curiata datur lege; maiores centuriatis comitiis fiunt.

1[b]. Fest. 157[b]. — ⟨minora itemque ma⟩iora auspicia quae d⟨icantur, docet Messalla; nam⟩ maiora consulum, pr⟨aetorum, censorum dici ait, re⟩liquorum minora, cum illi⟨maiores, hi autem mino⟩res magistratus dic⟨i consueverint⟩.

2. Gell. 13, 16. — Idem Messalla in eodem libro de minoribus magistratibus ita scripsit: *Consul ab omnibus magistratibus et comitiatum et contionem avocare potest. praetor et comitiatum et contionem usquequaque avocare potest, nisi a consule. minores magistratus nusquam nec comitiatum nec contionem avocare possunt. ea re, qui eorum primus vocat ad comitiatum, is recte agit, quia bifariam cum populo agi non potest. nec avocare alius alii possunt, si contionem habere volunt, uti ne cum populo agant, quamvis multi magistratus simul contionem habere possunt.*

Ex incertis libris.

3. Gell. 13, 14, 4—6. . . quaesitum est . . ., quam ob causam ex septem urbis montibus, cum ceteri sex intra pomerium sint, Aventinus solum . . extra pomerium sit, neque id Servius Tullius rex neque Sulla . . . intra effatos urbi fines incluserint. huius rei Messalla aliquot causas videri scripsit; sed praeter eas omnis ipse

unam probat, quod in eo monte Remus urbis condendae gratia auspicaverit avesque inritas habuerit superatusque in auspicio a Romulo sit. *idcirco,* inquit, *omnes, qui pomerium protulerunt, montem istum excluserunt, quasi avibus obscenis ominosum.*

4. Fest. 351. — 'Bene sponsis beneque volueris' in precatione augurali Messalla augur ait significare 'spoponderis volueris'.

5. Fest. 351. — 'Serpula serpserit' ait idem Messalla, serpens inrepserit.

6. Fest. 351. — 'Solino' idem ait esse consulo.

7. Fest. 351. — 'Suad ted' ait esse sic te.

8. Fest. 379. — Vernisera Messalla auguria.

9. Fest. 161. — Marspedis sive sine r littera maspedis in precatione solitaurilium quid significet, ne Messalla quidem augur in explanatione auguriorum reperire se potuisse ait.

10. Macrob. sat. 1, 16, 28. — Quod Iulius Modestus affirmat, Messalla augure consulente pontifices, an nundinarum Romanarum nonarumque dies feriis tenerentur, respondisse eos, nundinas sibi ferias non videri.

11. Fest. 253^{b}. — ⟨Pecunia,⟩ quae erogatur ⟨in ludos et spectacula, appellatur lu⟩cari edicta, q⟨uod a lucis captetur. ... lucar a luce⟩ dici existimat, ⟨cuius opinionis est et⟩ Valerius Messalla in explana⟨tione auguriorum⟩.[1]

12. Lyd. de mens 4, 1. — *ὅθεν ὁ Μεσσαλᾶς τοῦτον* (sc. *Ἰανὸν*) *εἶναι τὸν αἰῶνα νομίζει. καὶ γὰρ ἐπὶ τῆς πέμπτης τοῦ μηνὸς τούτου ἑορτὴν αἰῶνος ἐπετέλουν οἱ πάλαι.*

II. De familiis.

'De familiis Troianis' Varronem scripsisse moneo. Teuffel-Schwabe § 166, 4 e. de indigenis postea commentarios composuit Masurius Sabinus. Gell. 4, 9, 8.

1 *Mueller coniecit:* in explana⟨tione XII tab.⟩. *contra Schoell l. c. p. 35, quem etiam Huschke in Iurisprud. secutus est.*

1. Plin. h. n. 35, 8. — similis causa . . . . . Messallae seni expressit volumina illa quae de familiis condidit.

2. Plin. h. n. 34, 38. — Unum etiam nunc aeris miraculum non omittemus. Servilia familia inlustris in fastis trientem aereum pascit auro, argento consumentem utrumque. origo atque natura eius incomperta mihi est. verba ipsa de ea re Messallae senis ponam: *Serviliorum familia habet trientem sacrum, cui summa cum cura magnificentiaque sacra quotannis faciunt, quem ferunt alias crevisse alias decrevisse videri et ex eo aut honorem aut deminutionem familiae significari.*

III. Ad XII tabulas?

M. Valerium Messallam ad XII tabulas commentarios scripsisse sunt qui putent. duo afferuntur testimonia et ea quidem in Brunsii quoque fontibus[6] (I, 26. II, 37. 45).

1. Fest. 355. — ⟨Tugu⟩ria a tecto appellantur ⟨domicilia rusticorum⟩ sordida, . . . quo nomine ⟨Messalla in explana⟩tione XII ait etiam ⟨. . . significari⟩.

2. Fest. 321. — ⟨Sanates quasi sanat⟩i appella⟨ti . . .⟩ . . . ne Valerius ⟨quidem Messalla⟩ in XII explana⟨tione rem expedivit, hic ta⟩men . . . for⟨ctos sanatisque⟩ duas gentis finitima⟨s fuisse censet, de quibus le⟩gem hanc scrip⟨tam esse, qua cautu⟩m, ut id ius man ⟨. . ., quod populu⟩s R⟨omanus⟩, haberent.

At utrumque locum, cum Messallae nomen coniectura inlatum sit, nullam vim habere Schoell p. 35 sqq. monuit. cf. supra p. 105 et 130 sq.

Quorum fragmenta subieci, iuris periti sunt a Servio Sulpicio profecti, sed ii tantum, qui non primi ordinis habebantur: Alfenum enim Varum et Aulum Ofilium infra invenies (VIII, 1. 2).

---

9. TITUS CAESIUS

ex Etruria ortus, ut nomen docet, Servii discipulus, quem et libros conscripsisse Pomponius § 44 testis est, idem, ut videtur, qui 'Caesius' ab Arnobio (v. infra) dicitur. ceterum Caesii nomen vulgatum est. Wilmanns Exempla II, 314 sq.

... libri?

Arnobius adv. nat. 3, 40. — Nigidius Penates deos Neptunum esse atque Apollinem prodidit ... idem rursus ... exponit ... disciplinas Etruscas sequens, genera esse Penatium quattuor et esse Iovis ex his alios, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos.. Caesius et ipse eas sequens Fortunam arbitratur et Cererem, Genium Jovialem ac Palem, sed non illam feminam quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Iovis ac vilicum.

---

10. AUFIDIUS TUCCA

Servii discipulus, qui de iure libros conscripsit, cum aliorum Servii auditorum libris ab Aufidio Namusa in unum corpus digestos. Pomponius § 44. 'Aufidius' vel 'P. Aufidius' aliquotiens laudatus utrum Tucca an Namusa habendus sit dubitari potest: mihi potius Namusa videtur esse. ex Aufidii Tuccae libris fragmenta nulla afferuntur.

---

11. FLAVIUS PRISCUS

Pomponius § 44: 'ab hoc (Servio) plurimi profecerunt: fere tamen hi libros conscripserunt ... Flavius Priscus ... quorum omnes qui fuerunt libri digesti sunt ab Aufidio Namusa ...' de Flavio Prisco nihil praeterea traditum est. de nomine Flavii vulgato v. Wilmanns

Exempla II p. 327. in Iustiniani Digestis non raro 'Priscus' nominatur, scilicet a Iuliano (D. 39, 6, 21 libro II ad Urseium Ferocem P. 904 'plerique, in quibus Priscus quoque, responderunt'), a Pomponio (D. 35, 1, 112, 3 libro XI epistularum P. 20 'Priscus respondit'), a Paulo (D. 41, 2, 1, 21 libro LIV ad edictum P. 657[c] 'Priscus ait'; D. 41, 4, 2, 6 ibid. P. 664 'Priscus ait'), ab Ulpiano (D. 7, 8, 10, 2 libro XVII ad Sabinum P. 2576 'Priscus et Neratius putant', sed v. infra), ab eodem etiam in libro Regularum singulari (11, 28 'Cassiani .. dicunt ..., Proculiani autem ..., verum Priscus ...'). qui Priscus modo Fulcinius (Krueger p. 157) modo Javolenus (Krueger p. 162) modo Neratius (Krueger p. 170) esse putatur. denique pro voce 'Priscus', quod libri nostri D. 7, 8, 10, 2 habent, cum Stephano ad Bas. 16, 8, 10 potius 'Proculus' legendum esse censent.

At in Pauli libro LIV ad edictum aeque atque in aliis eiusdem operis libris non solum Sabinus, Proculus, Cassius, Labeo, sed etiam 'veteres' laudantur et nominatim Q. Mucius (P. 659), Brutus et Manilius (P. 658), Servius (P. 664. 669), Ofilius (P. 657), Trebatius (P. 658. 664[a]). his ergo veteribus ut Neratius (P. 658) et Fulcinius (P. 674[b]), ita 'Priscus' quoque (P. 657[c]. 664) inseritur, ita ut suspicio oriatur 'Priscum' hunc Flavium Priscum intelligendum esse. quae confirmari videtur eo, quod Paulus etiam in aliis eiusdem operis libris cum Fulcinium (P. 567, 674[b], 1794, 1775), Neratium (P. 127, 190, 232, 458, 487), Javolenum (P. 1283) citat, tum vero non modo Servium, sed etiam auditores eius, scilicet Ateium (P. 632 cf. 635), Alfenum (P. 191, 495, 715), Ofilium (P. 487, 521, 632, 634, 1774), Namusam (P. 632), fortasse et Pacuvium (P. 1150) laudat. at cum Paulus (P. 949) Fulcinium expresse 'Priscum Fulcinium' nominet, hunc potius nonnunquam vel solo Prisci nomine designasse Paulum puto.

Ex Flavii igitur Prisci libris nihil videtur servatum esse.

---

12. C. ATEIUS

Servii auditor (Pomponius § 44), fortasse C. Atei Capitonis pater, 699/55 tribunus plebis, postea (fortasse 702/52) praetor.

C. Ateius a Pomponio inter eos Servii auditores refertur, qui praeceptoris responsa libris promulgaverunt quorumque libri ab Aufidio Namusa in unum corpus digesti sunt. in Iustiniani Digestis cum nonnumquam 'Ateius' laudetur (D. 23, 3, 79; 32, 30, 6; 34, 2, 39, 2; 39, 3, 2, 4), quaeritur, utrum pater an filius sit. hunc designari putant Pernice Labeo I, 82 n. 2 aliique, ex. gr. Salkowski-Glück XLIX, 606, patrem vero Karlowa I, 684 et recte quidem: nam apud Labeonem, qui in posterioribus libris 'Ateium' ter laudat, haec legimus: 'Ateius scripsit Servium respondisse' (D. 23, 3, 79, 1) vel 'Ateius Servium respondisse scribit' (D. 34, 2, 39, 2), ita ut Servii auditorem designari videamus; tertio quoque loco, quo Ateium aliquid 'scribere' Labeo refert, eundem auditorem intellexisse putandus est. Paulum vero, qui quarto illo loco 'Ateium' laudat (P. 632, 4) et apud eundem aliquid 'relatum' esse tradit, non alium respicere apparet: nam et antea et postea Labeonem laudat, e cuius libris, quae de Ateio tradit, videtur desumpsisse. Lenel I col. 71 n. 1 consentit. Antaeus, qui a Paulo (D. 39, 3, 14 pr.) nominatur, non alius atque Ateius habendus est, qui in iisdem Pauli libris ad edictum invenitur.

. . . libri

De argento legato.

1. D. 34, 2, 39, 2. Javolenus libro secundo posteriorum Labeonis (P. 185). Ateius Servium respondisse scribit, cui argentum, quod in Tusculano fundo cum moreretur habuisset, legatum esset, et quod antequam moreretur, ex urbe in Tusculanum

iussu testatoris translatum esset, deberi: contra fore, si iniussu translatum esset.

De aedibus legatis.

2. D. 32, 30, 6. Labeo libro secundo posteriorum a Javoleno epitomatorum (P. 172). Si aedes alienas ut dares damnatus sis neque eas ulla condicione emere possis, aestimare iudicem oportere Ateius scribit, quanti aedes sint, ut pretio soluto heres liberetur.

Gai. 2, 202: eoque genere legati etiam aliena res legari potest, ita ut heres redimere ⟨rem⟩ et praestare aut aestimationem eius dare debeat.

De dotis dictione.

3. D. 23, 3, 79, 1. Labeo libro sexto a Javoleno epitomatorum (P. 221). Pater filiae nomine centum doti ita *dixit*[1], 'cum commodissimum esset'. Ateius scripsit Servium respondisse, cum primum sine turpitudine et infamia dari possit, deberi.

1 *Trib.* promisit.

De aqua.

4. D. 39, 3, 2, 4. Paulus libro quadragensimo nono ad edictum (P. 632). Apud Ateium ... relatum est eum fossam, ex qua ad inferiorem fundum aqua descendit, cogendum esse vicinum purgare, sive extet fossae memoria sive non extet.

Aquae pluviae arcendae.

5. D. 39, 3, 14 pr. Paulus libro quadragesimo nono ad edictum (P. 632). A[n]t[a]e⟨i⟩us ait, si is qui opus fecerit, *postea Titio*[1] vendiderit praedium, quatenus desierit dominus esse, agendum cum eo quod vi aut clam; quod si annus praeterierit, de dolo iudicium dandum.

1 *Flor.* potentiori.

———

13. PACUVIUS LABEO

Servii discipulus, cum Sinnio Capitone litterarum commercio coniunctus (Gell. 5, 21, 9: Sinni inquit, Capitonis doctissimi viri epistulae sunt uno in libro multae positae, opinor, in templo Pacis. prima epistula scripta est ad Pacuvium Labeonem, cui titulus praescriptus est 'pluria non plura dici debere'. in ea epistula rationes grammaticas posuit, per quas docet 'pluria' Latinum esse, 'plura' barbarum), Bruti amicus et cum eo in Caesarem coniuratus, Caesare interfecto Bruti legatus, qui post cladem Philippensem 712/42 se ipse interfecit, Antistii Labeonis pater.

Pomponius § 44 Pacuvium Labeonem inter eos Servii auditores nominat, qui libros conscripserunt ab Aufidio Namusa in unum corpus digestos. ex huius Pacuvii libris fragmenta aliquot servata esse conicere licet: nam in Justiniani Digestis 'Paconius' quidam laudatur ceterum ignotus, in aliis Codd. 'Pacunius' vel 'Pacuvius' nominatus. Paconium vero laudant et Paulus (D. 37, 12, 3 pr.) et Ulpianus (D. 13, 6, 1, 1), ille libro octavo ad Plautium (P. 1150), hic libro vicesimo octavo ad edictum (P. 798). Paulus, qui ipsius Paconii verba affert, fortasse Plautium secutus est. Krueger p. 157. res ipsae, quas Paconius tractat, Pacuvii temporibus non repugnant. itaque fragmenta illa non Pacuvio, sed ignoto cuidam Paconio haud quisquam facile attribuet.

Scripsit Pacuvius fortasse ad edictum praetoris, nam quae de sententiis eius referuntur, ad id pertinent. cum Pacuvius circa a. 669/58 natus sit (Pernice: Labeo I, 9), Ciceronis verba (de legib. 1, 5, 17) de 'plerisque', qui 'nunc' a praetoris edicto hauriendam iuris disciplinam putent, non modo ad ipsum Servium, sed etiam ad hunc eius discipulum referri possint, qui a. 702/52 trigesimum annum aetatis iam superaverat.

... libri.

De bonorum possessione contra tabulas.

1. D. 37, 12, 3 pr. Paulus libro octavo ad Plautium (1150). Paconius (Pacuvius?) ait, si turpes personas, veluti meretricem, a parente emancipatus et manumissus heredes fecisset, totorum bonorum contra tabulas possessio parenti datur [aut constitutae partis, si non turpis heres esset institutus].

De eo quod utendum datum est.

2. D. 13, 6, 1, 1. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 798). Ait praetor 'quod quis commodasse dicetur, de eo iudicium dabo ...' qui edictum concepit, commodati fecit mentionem, cum Paconius (Pacunius *FS*, Pacuvius?) utendi <dati?> fecit mentionem. inter commodatum autem et utendum datum Labeo quidem ait interesse ...

---

14. <GAIUS?> CINNA

Pomponius § 44: 'ab hoc (Servio) plurimi profecerunt; fere tamen hi libros conscripserunt ... Alfenus Varus [Gaius], ... <Gaius?> Cinna ... quorum omnes qui fuerunt libri digesti sunt ab Aufidio Namusa'. de cognomine Cinna v. Wilmanns Exempla II, 375.

... libri.

De fundo legato.

1. D. 35, 1, 40, 1. Javolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 186). Quidam ita legaverat: 'si Publius Cornelius impensam quam in fundum Seianum feci, heredi meo dederit, tum heres meus Publio Cornelio fundum Seianum dato'. Cascellius aiebat etiam pretium fundi dari debere, Ofilius im-

pensae verbo negat pretium significari, sed eos dumtaxat sumptus, quos in eum posteaquam emptus esset fecit. idem Cinna scribit adiecto eo, quod non deductis fructibus impensarum ratio haberi debeat.

Gai. 2, 201: per damnationem hoc modo legamus 'heres meus Stichum servum meum dare damnas esto'; sed et si 'dato' scriptum fuerit, per damnationem legatum est.

De luctu.

2. D. 23, 2, 6. Ulpianus libro trigesimo quinto ad Sabinum (P. 2797[b]). Cinna scribit: eum, qui absentem accepit uxorem, deinde rediens a cena iuxta Tiberim perisset, ab uxore lugendum responsum est.

---

15. PUBLICIUS GELLIUS

Pomponius § 44: 'ab hoc (Servio) plurimi profecerunt, fere tamen hi libros conscripserunt: .. Publicius Gellius ... quorum omnes qui fuerunt libri digesti sunt ab Aufidio Namusa ..' de nomine vulgato Publicii v. Wilmanns Exempla II, p. 352. qui in Iustiniani Digestis occurrit 'Publicius' a Marcello vel potius a Paulo (D. 31, 50 pr.), ab Ulpiano (D. 38, 17, 2, 8) et Modestino (D. 35, 1, 51, 1) citatus secundi demum p. Ch. saeculi est.

E Publicii Gellii libris nihil videtur superesse.

---

16. ⟨P.⟩ AUFIDIUS NAMUSA

Pomponius § 44: 'ab hoc (Servio) plurimi profecerunt, fere tamen hi libros conscripserunt: Alfenus Varus [Gaius], Aulus Ofilius, Titus Caesius, Aufidius Tucca, Aufidius Namusa, Flavius Priscus, Gaius Ateius, Pacuvius Labeo [Antistius] Labeonis Antistii pater, ⟨Gaius?⟩ Cinna, Publicius Gellius. ex his decem libros

octo conscripserunt, quorum omnes qui fuerunt libri digesti sunt ab Aufidio Namusa in centum quadraginta libros. ex his auditoribus plurimum auctoritatis habuit Alfenus Varus et Aulus Ofilius ...'

Quae verba maxime dubia non ipsius Pomponii, sed partim Triboniani esse apparet. „Man hat mit dem Widerspruch zu kämpfen, dass Pomponius (potius Tribonianus) ... erst alle zehn Schüler gerade als Schriftsteller hervorgehoben hat (fere tamen hi libros conscripserunt), dann aber sagt, dass nur acht derselben geschrieben hätten" Krueger p. 66. n. 63. Pomponium, qui a Servio plurimos profectos esse tradidit, decem auditores nominasse puto, qui libros conscripserint. ab his octo separavit, quorum libros Namusa in unum corpus coniunxit. qui octo ii auditores habendi sunt, quorum nomina Tribonianus praemisit. duorum ergo illorum quos plurimum auctoritatis habuisse Pomponius tradit, scilicet Alfeni Vari et Auli Ofilii, libri in Namusae corpus recepti non videntur. qua de re consentiunt viri docti H. Pernice Miscellanea p. 33, A. Pernice Labeo I, p. 9 n. 13, Krueger p. 66.

Cum de Namusae opere nihil aliud traditum sit, de eius natura et indole viri docti valde dissentiunt. quod Bynkershoek (observ. 8, 1) putabat, Digesta a Gellio 7, 5, 1 Alfeno adscripta Aufidii opus esse, Mommsen quoque (Z. f. Rg. VII, 480) conicit: 'Meiner Meinung nach sind diese Digesten (des Namusa) nicht verschieden von denen, die bei Gellius und in den (Iustinianischen) Digesten unter dem Namen des Alfenus angeführt werden', sed haec coniectura comprobari nequit. cf. H. Pernice Miscellanea p. 32 sq. Krueger p. 66. certe librorum numerus, quem Pomponius Aufidii operi attribuit, tantus esse videtur, ut errorem suspicari liceat. Mommseno, qui Pomponii illo loco vocem 'centum' delendam esse censet (p. 481 n.), in hac re H. Pernice p. 33 assentitur. Krueger vero p. 68 huius emendationis ne mentionem quidem facit.

Operis nomen vulgatum Aufidii Namusae Digesta fuisse videtur, sed nomen, quod auctor ipse operi dedit, hoc fere fuisse puto: 'Servii auditorum libri ab Aufidio Namusa digesti'. a posteris enim nonnunquam 'Servii auditores' nominantur ita quidem, ut Namusae opus hoc nomine designari videatur.

Praeter 'Servii auditores' etiam singulorum Servii auditorum libri a posteris laudari vidimus, scilicet Cinnae, C. Atei, Pacuvii Labeonis. idem in ipso Aufidio Namusa fieri videtur, cuius propriam sententiam et Ulpianus D. 13, 6, 5, 7 laudat ('periculum meum esse Namusa ait') et contra quem Labeo D. 39, 3, 2, 6 scripsit ('Labeo contra Namusam probat'). itaque a Servii auditorum libris a Namusa digestis ipsius proprios libros cum aliorum auditorum in suam collectionem receptos separandos esse aliquis coniciat. at haec fragmentorum discriptio re vera fieri nequit. nam cum iis quae a Javoleno et Ulpiano dicuntur: 'Servii auditores rettulerunt' (D. 33, 4, 6, 1) vel 'Servii auditores referunt' (D. 33, 7, 12 pr. § 5) vel 'apud Servii auditores relatum est' (D. 39, 3, 1, 6), aperte coniungenda sunt quae Javolenus et Paulus et Ulpianus scribunt: 'Namusa Servium respondisse scribit (D. 35, 1, 40, 3), 'Servium respondisse Aufidius refert', 'apud Namusam relatum est' (D. 39, 3, 2, 6), quae ultima verba supra allatis 'Labeo contra Namusam probat' antecedunt. itaque et Ulpiani illa verba 'Namusa ait' non tam propriam Namusae sententiam quam potius ab eo relatam prodere videntur ex collectione desumptam.

Denique consideranda sunt Javoleni verba D. 33, 5, 20 relata 'apud Aufidium libro primo rescriptum est', quae Mommsen sagaciter ita corrigit 'libro primo responsorum scribit'. certe 'rescriptum' displicet, at 'responsum est' legere malim: nam neque Namusae responsa traduntur neque 'responsorum' vox in Namusae collectionis titulo locum videtur habere.

Cum Aufidius Namusa non modo simpliciter 'Namusa' nominetur, sed etiam 'Aufidius', ab aliis eiusdem nominis

secerni debet, scilicet ab Aufidio Chio et ab Aufidio Tucca, alio Servii auditore. v. supra p. 268. addo quod Labeo D. 32, 30 Aufidium aliquem nominat, cui is, qui hortos publicos a re publica conducta habebat, eorum hortorum fructus usque ad lustrum, quo conducti essent, legaverat: facile is Aufidius Namusa esse possit. ceterum de Aufidii nomine v. Wilmanns Exempla II p. 309.

Servii Sulpicii auditorum libri ab Aufidio Namusa digesti.

Liber I.

Libro primo de (testamentis et?) de legatis scriptum fuisse D. 33, 5, 20 demonstrat. ceterorum quoque, quae pauca tantum sunt, fragmentorum maior pars ad legata pertinet, scilicet et ea, quae in Ulpiani libris ad Sabinum et quae in Javoleni iis libris referuntur, quos ex Labeonis posterioribus libris confecit. itaque haec fragmenta illis subiungere licet.

(De testamentis et?) de legatis.

De vestimentis legatis.

1. D. 33, 5, 20. Labeo libro secundo posteriorum a Javoleno epitomatorum (P. 179). Apud Aufidium libro primo *responsum* est, cum ita legatum est: 'vestimenta quae volet triclinaria sumito sibique habeto', si is dixisset quae vellet, deinde, antequam ea sumeret, alia se velle dixisset, mutare voluntatem eum non posse, ut alia sumeret, quia omne ius legati prima testatione, qua sumere se dixisset, consumpsit[, quoniam res continuo eius fit, simul ac si dixerit eam sumere].

cf. Gai. 2, 209: Sinendi modo ita legamus 'heres meus damnas esto sinere L. Titium hominem Stichum sumere sibique habere'.

Ex eodem vel ex sequenti libro aeque legata tractanti.

De fundi instrumento legato.

2. D. 33, 7, 12 pr. Ulpianus libro vicesimo ad Sabinum (P. 2609). Quaesitum est, an frumentum quod cibariis cultorum paratum foret, instrumento cederet. et plurimis non placet, quia consumeretur ... sed ego puto et frumentum et vinum ad cibaria paratum instrumento contineri, et ita Servium respondisse auditores eius referunt.

3. D. 33, 7, 12, 3—6. Ulpianus ibid. — quaeritur, an servus, qui quasi colonus in agro erat, instrumento legati contineatur. et Labeo et Pegasus .. negaverunt .. saltuarium autem Labeo quidem putat eum demum contineri qui fructuum servandorum gratia paratus sit, eum non, qui finium custodiendorum causa, sed Neratius etiam hunc ... Trebatius amplius etiam pistorem et tonsorem, qui familiae rusticae causa parati sunt, putat contineri, item fabrum, qui villae reficiendae causa paratus sit, et mulieres, quae panem coquant quaeque villam servent; item molitores, si ad usum rusticum parati sunt, item focariam et vilicam, si modo aliquo officio virum adiuvet; item lanificas quae familiam rusticam vestiunt et quae pulmentaria rusticis coquant.

Sed an instrumenti instrumentum legato instrumento continetur, quaeritur: haec enim quae rusticorum causa parantur [lanificae et lanae et tonsores et fullones et focariae], non agri sunt instrumentum, sed instrumenti. puto igitur etiam focariam contineri, sed et lanificas et ceteros, qui supra enumerati sunt, et ita Servium respondisse auditores eius referunt.

De dote legata.

3. D. 33, 4, 6, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Javoleno epitomatorum (P. 178). .. ei quae dotem nullam habebat, vir sic legaverat: 'quanta pecunia

dotis nomine' et reliqua, 'pro ea quinquaginta heres dato'. deberi ei legatum Ofilius Cascellius, item et Servii auditores rettulerunt: perinde habendum esse ac si servus alicui mortuus aut pro eo centum legata essent.

De legato eo quod servo debetur.

4. D. 35, 1, 40, 3. Idem (Javolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 186). Dominus servo *HS*$\overline{V}$[1] ⟨rationis⟩[2] eius legaverat: 'heres meus Sticho servo meo, quem testamento meo liberum esse iussi, *HS*$\overline{V}$[1] quae in tabulis debeo, dato'. nihil servo legatum esse Namusa Servium respondisse scribit, quia dominus servo nihil debere potuisset.

Ex plane incertis libris.

De aqua pluvia arcenda.

5. D. 39, 3, 1, 6. Ulpianus libro quinquagesimo tertio ad edictum (P. 1285). Apud Servii auditores relatum est, si quis salicta posuerit et ob hoc aqua restagnaret, aquae pluviae arcendae agi posse, si ea aqua vicino noceret.

6. D. 39, 3, 2, 6. Paulus libro quadragensimo nono ad edictum (P. 632). Apud Namusam relatum est, si aqua fluens iter suum stercore obstruxerit et ex restagnatione superiori agro noceat, posse cum inferiore agi, ut sinat purgari; hanc enim actionem non tantum de operibus esse utilem manu factis, verum etiam in omnibus, quae non secundum voluntatem ⟨mutata⟩ sint.

De societate.

7. D. 17, 2, 52, 18. Idem (Ulpianus) libro trigensino primo ad edictum (P. 922[d]). .. apud veteres

1 *Trib.* aureos quinque.
2 *addidit Mommsen.*

tractatur, an socius omnium bonorum, si quid ob iniuriarum actionem damnatus praestiterit, ex communi consequatur ut praestet. et Atilicinus Sabinus Cassius responderunt . . . cui congruit, quod Servium respondisse Aufidius refert, si socii bonorum fuerint, deinde unus, cum ad iudicium non adesset, damnatus sit, non debere eum de communi id consequi, si vero praesens iniuriam iudicis passus sit, de communi sarciendum.

De commodato.

8. D. 13, 6, 5, 7. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 802). . . . si servum tibi tectorem commodavero et de machina ceciderit, periculum meum esse Namusa ait.

De litis contestatione?

9. Priscian. 8, 4, 18 p. 384 H. — P. Aufidius: *si quis alio vocitatur nomine tum cum lis contestatur atque olim vocitabatur.*

VIII. OCTAVI SAECULI IURIS CONSULTORUM SERIES TERTIA

1. Alfenus Varus. — 2. Aulus Ofilius. — 3. Q. Aelius Tubero. — 4. Aulus Cascellius. — 5. C. Trebatius Testa.

1. P. ALFENUS VARUS

Cremonensis, ut videtur, et humili loco natus, Servii Sulpicii Rufi auditor (Pomponius § 44. Gell. 7, 5, 1), cos. suff. 715/39, pater fortasse P. Alfeni Vari cos. 755/2.

Ad Horat. sat. 1, 3, 130 'ut Alfenus vafer omni abiecto instrumento artis clausaque taberna sutor erat' Porphyrio adnotat: urbane Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui abiecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam petit magistroque usus Sulpicio iuris consulto ad tantam pervenit scientiam, ut et consulatum gereret et publice funere efferretur. 'An der Richtigkeit dieser Angaben zu zweifeln liegt kein Grund vor; das sutor des Satirikers ist auch dann begreiflich, wenn A. nur durch seine Sclaven eine Schuhfabrik betrieb. Wahrscheinlich ist er auch der Alfenus Varus, welcher im J. 713/41 als Legat Cäsars die Landvertheilung an die Veteranen im transpadanischen Gallien leitete und Vergils Landgut schützte (Vit. Verg. p. 53. 59. Reiff.); zum Dank widmete ihm Vergil die sechste Ecloge und preist ihn Ecl. IX, 26—29. Nach Schol. Veron. Verg. ecl. 7, 9. Serv. ecl. 6, 13 (vgl. Aen. VI, 264) hörte er gemeinsam mit Vergil den Epikureer Siron (eine Erwähnung der epikureisch-

demokritischen Atomenlehre [Zeller, Philos. d. Gr. III, 1[3] 400 sqq.] durch Alfenus findet sich D. 5, 1, 76.) Nach Zeit und Heimat kann er der Alfenus sein, an den Catull c. 30 richtet; zweifelhafter ist, ob derselbe c. 10 gemeint ist, wo ein Freund Catulls nur mit dem verbreiteten Cognomen Varus bezeichnet ist' Pauly-Wissowa, Real-Encyclopädie I, 1472 sq. (Klebs).

Quo tempore decesserit, nescimus. eum publico funere elatum esse Porphyrio narrat; at fortasse id quod Servio Sulpicio a senatu decretum est, errore in auditorem transtulit.

Non tam responsis quam scriptis Alfenus Varus conspicuus erat. quod Pomponius 44 ex Servii auditoribus eum cum Aulo Ofilio plurimum auctoritatis habuisse tradit, non ad iuris consultum, sed ad scriptorem respicere puto: nam inter iuris auctores collocari nequit, quippe qui in nulla re Servium non secutus sit. in D. 33, 7, 16, 1 non Alfenus, quod Krueger p. 65 n. 55 putat, sed Paulus Servium derelinquens Cornelium sequitur. auditores Alfeni non nominantur.

Posteri iuris consulti, qui Alfenum laudant, sunt fere hi: Antistius Labeo in libris posterioribus a Javoleno epitomatis (libro II D. 32, 29, 2 P. 171, D. 33, 4, 6 P. 178, libro V D. 28, 1, 25 P. 216), Titius Aristo incertis libris (D. 8, 5, 8, 5 P. 14), Sextus Pomponius in libris ad Sabinum (libro IX D. 18, 1, 18, 1 P. 547) et in Enchiridii libro singulari (D. 50, 16, 239, 2 P. 179), Ulpius Marcellus in Digestorum libris (libro XII D. 50, 16, 87 P. 146, libro XIII D. 46, 3, 67 P. 157), Aemilius Papinianus Quaestionum libris (libro XXVII D. 31, 74 P. 330), Julius Paulus libris ad edictum (libro IX D. 3, 5, 20 P. 191, libro XXXII D. 17, 2, 65, 8 P. 495), libro XLIX D. 39, 3, 2, 4. 5 P. 632, libro LIX D. 50, 16, 71 P. 715), Domitius Ulpianus tam in libris ad Sabinum (libro XX D. 33, 7, 12, 2 P. 2609) quam ad edictum (libro XVI D. 6, 1, 5, 3 P. 549[b], libro XVII D. 8, 5, 8, 5 P. 601, libro XVIII D. 9, 2, 29, 4 P. 625[d], libro

LIII D. 39, 2, 9, 2 P. 1272b, libro LX D. 40, 12, 10 P. 1296).

Iam ea proferam, quae Alfeni dicta vel probata vel improbata esse referuntur. D. 39, 3, 2 Paulus: 'Varus ait ... idemque putat ... Labeo autem ...' D. 32, 29, 2 Javolenus: 'idem Alfenus Varus Servio placuisse scribit, quod et verum est'. D. 31, 74 Papinianus: 'non est verum, quod Alfenus rettulit'. D. 33, 7, 12, 2 Ulpianus: 'Alfenus autem ... ait, quia ... opinabatur, quod non est verum'.

Haec pauca Alfenum iuris auctorem non fuisse aperte docent: aut enim non ipsius, sed Servii sententias ab Alfeno relatas probant vel improbant, aut ipsius quidem sententiam improbant, sed talem, quam ex philosophorum tantum praeceptis videtur hausisse. reliqua nullius ponderis sunt.

Ceterum Alfeni memoriam vel Ammiani tempore (30,4) apud advocatos aliquatenus servatam esse non est quod miremur. v. infra p. 288.

I. Responsa.

De Servii Alfenique responsis discernendis v. supra p. 160sqq. Alfeni clientes maximam partem ex infima plebe vel libertos fuisse apparet. quaestiones, de quibus consultus est, plerumque ad servos et ad delicta pertinent. exempla sunt tabernarius qui in semita noctu supra lapidem lucernam posuerat, quam praeteriens sustulit, ita ut maior rixa orta sit, in qua tabernarius ei qui lucernam sustulerat, oculum effodit (D. 9, 2, 92) vel agaso, cui cum in tabernam equum educeret, mula calcem reiciens crus fregit (D. 9, 1, 5) vel puer, qui plostro converso obtritus est (D. 9, 2, 52, 2) vel communis servus qui cum apud alterum esset, crus fregit opere (D. 10, 3, 26) vel servus, qui cum pila complures luderent, impulsus cecidit et crus fregit (D. 9, 2, 52, 4) vel servus dispensator, quem dominus manumisit, sed postea, cum rationes ab eo accepisset, comperit apud quandam mulierculam

pecuniam suam consumpsisse (D. 11, 3, 16) aliaque. accedit, quod uno tantum responso de legatis rebus agitur, cum Servii responsa de legatis data plurima fuerint. cf. Servium 9—53 (p. 170—184). fortasse non casu fit, quod responsum illud de rebus legatis ad mancipia urbana pertineat (D. 32, 60, 1).

Alfenum responsa sua omnia in libros recepisse manifestum est: non enim nisi ex ipsius libris laudantur. nihilo minus ea hoc loco proponere visum est.

De legatis mancipiis.

1. D. 32, 60, 1. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum. Servis et ancillis urbanis legatis agasonem mulionem legato non contineri respondi: eos enim solos in eo numero haberi, quos pater familias circum se ips*ius*[1] sui cultus causa haberet.

De iure vicinorum.

2. D. 8, 5, 17, 2. Alfenus libro secundo Digestorum. Secundum cuius parietem vicinus sterculinum fecerat, ex quo paries madescebat, consulebat, quemadmodum posset vicinum cogere, ut sterculinum tolleret. respondi, si in loco publico id fecisset, per interdictum cogi posse, sed si in privato, de servitute agere debere; si damni infecti stipulatus esset, possit per eam stipulationem, si quid ex ea re sibi damni datum esset, servare.

De petitione fundi.

3. D. 6, 1, 57. Alfenus libro sexto Digestorum. Is a quo fundus petitus erat ab alio eiusdem fundi nomine conventus est. quaerebatur, si alterutri eorum iussu iudicis fundum restituisset et postea secundum alterum petitorem res iudicaretur, quemadmodum non duplex damnum traheret. respondi, uter prior iudex iudicaret, eum oportere ita fundum petitori restitui

1 *Fl.* ipse.

iubere, ut possessori caveret vel satisdaret, si alter fundum evicisset, eum praestare.

Communi dividundo.

4. D. 10, 3, 26. Alfenus Varus libro secundo Digestorum. Communis servus cum apud alterum esset, crus fregit in opere. quaerebatur, alter dominus quid cum eo, penes quem fuisset, ageret. respondi, si quid culpa illius magis quam casu res communis damni cepisset, per arbitrum communi dividundo posse reciperari.

De locatione silvae.

5. D. 19, 2, 29. Alfenus libro septimo Digestorum. In lege locationis scriptum erat: 'redemptor silvam ne caedito neve cingito neve deurito neve quem cingere caedere urere sinito.' quaerebatur, utrum redemptor, si quem quid earum rerum facere vidisset, prohibere deberet an etiam ita silvam custodire, ne quis id facere possit. respondi verbum sinere utramque habere significationem, sed locatorem potius id videri voluisse, ut redemptor non solum, si quem casu vidisset silvam caedere, prohiberet, sed uti curaret et daret operam, ne quis caederet.

De damno iniuria dato.

6. D. 9, 2, 52, 1. Alfenus libro secundo Digestorum. Tabernarius in semita noctu supra lapidem lucernam posuerat. quidam praeteriens eam sustulerat. tabernarius eum consecutus lucernam reposcebat et fugientem retinebat. ille flagello, quod in manu habebat, in quo dolor inerat, verberare tabernarium coeperat, ut se mitteret. ex eo maiore rixa facta tabernarius ei, qui lucernam sustulerat, oculum effoderat. consulebat, num damnum iniuria non videtur dedisse, quoniam prior flagello percussus esset. respondi, nisi data opera effodisset oculum, non videri damnum in-

iuria fecisse, culpam enim penes eum, qui prior flagello percussit, residere; sed si ab eo non prior vapulasset, sed cum ei lucernam eripere vellet, rixatus esset, tabernarii culpa factum videri.

7. D. ibid. § 2. In clivo Capitolino duo plostra onusta mulae ducebant. prioris plostri muliones conversum plostrum sublevabant[, quo facile mulae *fa*cerent iter].[1] superius plostrum cessim ire coepit et cum muliones, qui inter duo plostra fuerunt, e medio exissent, posterius plostrum a priore percussum retro redierat et puerum cuiusdam obtriverat. dominus pueri consulebat, cum quo se agere oporteret. respondi in causa ius esse positum; nam si muliones qui superius plostrum sustinuissent, sua sponte se subduxissent et ideo factum esset, ut mulae plostrum retinere non possent atque onere ipso retraherentur, cum domino mularum nullam esse actionem, cum hominibus, qui conversum plostrum sustinuissent, lege Aquilia agi posse; nam nihilo minus eum damnum dare, qui quod sustineret mitteret sua voluntate, ut id aliquem ferirent, veluti si quis asellum cum agitasset non retinuisset, aeque si quis ex manu telum aut aliud quid immisisset, damnum iniuria daret. sed si mulae, qui aliquid reformidassent, ⟨recessissent⟩ et muliones timore permoti, ne opprimerentur, plostrum reliquissent, cum hominibus actionem nullam esse, cum domino mularum esse. quod si neque mulae neque homines in causa essent, sed mulae retinere onus nequissent aut cum coniterentur lapsae concidissent et ideo plostrum cessim ire redisset atque hi quo conversum fuisset onus sustinere nequissent, neque cum domino mularum neque cum hominibus esse actionem. illud quidam certum esse, quoquo modo res se haberet, cum domino posteriorum mularum agi non posse, quoniam non sua sponte, sed percussae retro redissent.

1 *Fl.* ducerent inter.

8. D. ibid. § 4. Cum pila complures luderent, quidam ex his servulum, cum pilam percipere conaretur, impulit, servus cecidit et crus fregit. quaerebatur, an dominus servuli lege Aquilia cum eo, cuius impulsu ceciderat, agere potest. respondi non posse, cum casu magis quam culpa videretur factum.

De pauperie.

9. D. 9, 1, 5. Alfenus libro secundo Digestorum. Agaso cum in tabernam equum deduceret, mulam equus olfecit, mula calcem reiecit et crus agasoni fregit. consulebatur, possetne cum domino mulae agi, quod ea pauperiem fecisset. respondi posse.

10. D. 9, 2, 52, 3. Alfenus libro secundo Digestorum. Quidam boves vendidit ea lege, uti daret experiundos. postea dedit experiundos. emptoris servus in experiundo percussus ab altero bove cornu est. quaerebatur, num venditor emptori damnum praestare deberet. respondi, si emptor boves emptos haberet, non debere praestare; sed si non haberet emptos, tum si culpa hominis factum esset, ut a bove feriretur, non debere praestari, si vitio bovis, debere.

De servo corrupto.

11. D. 11, 3, 16. Alfenus Varus libro secundo Digestorum. Dominus servum dispensatorem manumisit, postea rationes ab eo accepit et cum eis non constaret, conperit apud quandam mulierculam pecuniam eum consumpsisse: quaerebatur, possetne agere servi corrupti cum ea muliere, cum is servus iam liber esset. respondi posse, sed etiam furti de pecuniis, quas servus ad eam detulisset.

De iudicio.

12. D. 5, 1, 76. Alfenus libro sexto Digestorum. Proponebatur ex his iudicibus, qui in eandem rem dati essent, nonnullos causa audita excusatos esse inque eorum locum alios esse sumptos et quaerebatur,

singulorum iudicum mutatio eandem rem an aliud iudicium fecisset. respondi, non modo si unus aut alter, sed et si omnes iudices mutati essent, tamen et rem eandem et iudicium idem quod antea fuisset permanere, neque in hoc solum evenire, ut partibus commutatis eadem res esse existimaretur, sed et in multis ceteris rebus; nam et legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alii subiecti essent, et populum eundem hoc tempore putari qui abhinc centum annis fuissent, cum ex eis nemo nunc viveret; itemque navem, si adeo saepe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret quae non nova fuisset, nihilo minus eandem navem esse existimari. quod si quis putaret partibus commutatis aliam rem fieri, fore ut ex eius ratione nos ipsi non iidem essemus qui abhinc anno fuissemus, propterea quod, ut philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, hae cottidie ex nostro corpore decederent aliaeque extrinsecus in earum locum accederent. quapropter cuius rei species eadem consisteret, rem quoque eandem esse existimari.

De arbitro compromissario.

13. D. 4, 8, 50. Alfenus libro septimo Digestorum. Arbiter ex compromisso sumptus cum ante eum diem, qui constitutus compromisso erat, sententiam dicere non posset, diem compromissi proferri iusserat. alter ex litigatoribus dicto audiens non fuerat. consulebatur possetne ab eo pecunia ex compromisso peti. respondi non posse, ideo quod non esset arbitro permissum, ut id iuberet.

De argenti puri puti significatione.

14. Gell. 7, 5, 1. — *in foedere, quod inter populum Romanum et Carthaginienses factumst, scriptum invenitur, ut Carthaginienses quotannis populo Romano darent certum pondus argenti puri puti. quaesitum est,*

quid esset purum putum. respondi ... ego purum esse valde purum, sicut novum novicium dicimus et proprium propicium, augere atque intendere volentes novi et proprii significationem.

Alfenum libros scripsisse traditum est, quamquam Pomponius eorum mentionem non facit. a Gellio enim nominantur (7, 5, 1) et Coniectaneorum et Digestorum libri. Digestorum libri ne in Justiniani quidem Digestis componendis neglecti sunt: utraque epitoma, et ea quam Paulus et ea quam anoymus confecit, Triboniani adiutores usi sunt. accedit quod Paulus in libro nono ad edictum etiam genuini operis librum trigensimum nonum citat. denique sunt nonnulla Alfeni fragmenta, quorum origo non traditur (P. 75—90). cum in his nulla sententia, quae responsum esse videatur, deprehendatur, omnia Alfeni libris attribuenda sunt. praeterea in compluribus Alfenus aliquid 'scribere' dicitur (scilicet a Labeone libro II a Javoleno epitomato: 'Alfenus Varus ... scribit' D. 32, 29, 2; 33, 4, 6 pr., a Pomponio libro IX ad Sabinum: 'Alfenus scripsit' D. 18, 1, 18, 1, denique ab Ulpiano libro XVII ad edictum: 'Alfenum ... scribere ait' sc. Aristo D. 8, 5, 8, 5; libro LIII: 'Alfenus scribit' D. 39, 2, 9, 2, libro LV: 'Varus ... scribit' D. 40, 12, 10) vel 'referre' (a Papiniano libro XXVII Quaestionum: 'Alfenus rettulit' D. 31, 74) vel 'apud Alfenum' Servium respondere (a Marcello libro XIII Digestorum: 'apud Alfenum ... Servius ... respondit' D. 46, 3, 67) vel putare (a Paulo libro XLIX ad edictum: 'Servius ... apud Alfenum ... putat' D. 50, 16, 77) vel notare (a Paulo libro XXXII ad edictum D. 17, 2, 65, 8: 'Servius apud Alfenum ... notat).

Alfeni Coniectaneorum libris nulla attribuemus fragmenta, cum horum librorum praeter Gellium nemo mentionem faciat. ex Digestis potius ea esse desumpta vel hoc demonstrat, quod ab iisdem iuris consultis, in quorum libris Alfenum ita laudari supra vidimus, Digesta eius

diserte laudantur, scilicet a Javoleno libro V posteriorum Labeonis (D. 28, 1, 25: 'Varus Digestorum libro I Servium respondisse scripsit') et a Paulo libro IX ad edictum (D. 3, 5, 20 pr.: 'Servius respondit, ut est relatum apud Alfenum libro trigensimo nono Digestorum').

II. ⟨Servii Sulpicii Alfenique Vari responsorum ab Alfeno⟩ digestorum libri XL.

Index Florentinus haec habet: *Ἀλφηνοῦ* digeston *βιβλία τεσσαράκοντα*. qui librorum numerus confirmatur et Gellii et Julii Pauli testimoniis: nam ille (7, 5, 1) librum trigesimum et quartum, hic (D. 3, 5, 20) librum trigensimum nonum affert. Tribonianus vero in componendis Digestis genuino Alfeni opere usus non est, quamquam Krueger p. 64, qui indice Florentino pro argumento utitur, aliter sentit. at vel eo refellitur quod fragmenta in Justiniani Digestis Alfeno adscripta omnia priorum tantum septem vel octo librorum sunt, ita ut Tribonianus, si re vera genuinum opus habuisset, triginta reliquos libros reiecisse putandus esset. immo utebatur epitomis tantum duabus, altera a Julio Paulo (P. 31—74) octo libris, altera ab anonymo septem (P. 4—30) confecta. ex quo tempore epitomae propositae erant, genuino Alfeni opere uti iuris consulti iam desierunt. Tribonianus, cum epitomarum fragmenta recepit, verbis traditis non pepercit, ita ut quae Alfeni, quae epitomatorum aut Triboniani sint, discernere vix liceat.

Alfenus igitur aeque atque Aufidius Namusa (de quo supra p. 276) Digesta composuit, quibus Servii inprimis responsa proponeret. addidit et sua ipsius responsa nec defuerunt aliae sententiae, ita ut opus novum ius a Servio Sulpicio statutum plene videatur complexum esse. bene hac de re Pernice Labeo I, 2: „Des Servius Schule hatte in den Digesten Alfens einen gewissen äusserlichen Abschluss erreicht, der ein direktes Zurückgehen auf den Meister selbst nicht unbedingt geboten erscheinen lässt."

In Alfeni Digestis contractuum leges eximium locum obtinent. referuntur enim et leges venditionum et locationum, venditionum leges inprimis de fundo: ('in lege ita dixerat' D. 8, 3, 29; 18, 1, 40 pr. 'aquam accessuram dixit' D. 18, 1, 40, 1; 'dolia ... accessura' D. 19, 1, 26; 'aquam exceperat' D. 8, 3, 30; 'pomum recepit' D. 50, 16, 205), de villa ('ut incorruptam redderet colonus praeter vim et vetustatem' D. 19, 2. 30, 3), de bovibus ('vendidit ea lege, uti daret experiundos' D. 9, 2. 52, 3), locationum leges de silva ('redemptor silvam ne caedito neve cingito neve deurito neve quem cingere caedere urere sinito' D. 19, 2, 29), de Cretae cotoriis ('ne quis praeter redemptorem post idus Martias cotem ex insula Creta fodito neve eximito neve avehito' D. 39, 4, 15), de portorio portus Siciliae ('servos quos domum quis ducet suo usu, pro is portorium ne dato' D. 50, 16, 203), de aede facienda ('quoad in opus lapidis opus erit, pro lapide et manupretio dominus redemptori in pedes singulos sestertios septenos dabit' D. 19, 2, 3, 30). accedunt leges aedium servarum ('in lege aedium ita scriptum ..: paries oneri ferundo uti nunc est, ita sit' D. 8, 2, 33; cf. 'cum in loco domo Gaii Seii locus quidam aedibus Anni ita serviret, ut in eo loco positum habere ius Seio non esset' D. 8, 5, 17).

Post Alfenum Varum Digesta scripserunt hi: Hadriani tempore Juventius Celsus filius (P. 1—271), Hadriani et Antonini temporibus Salvius Julianus (P. 4—842), sub Marco Aurelio et Lucio Vero Ulpius Marcellus (P. 3—267) et Cervidius Scaevola (P. 1—131). in unius Marcelli librorum fragmentis hodie Alfeni nomen invenitur, scilicet libro XII (D. 50, 16, 87) et libro XIII (D. 46, 3, 67). at quamquam neque in Celsi neque in Juliani neque in Scaevolae libris legitur, ideo Alfenum ab his neglectum esse putare non licet. nam quae a Celso libro XVII (D. 30, 63) et libro XIX (D. 33, 10, 7, 2) et a Juliano libro XLIV (41, 5, 2, 2) de Servio traduntur, ex Alfeno non minus desumpta esse, quam quae Marcellus de Servio tradit, licet conicere. Tribonianus cum Digesto-

rum illorum libros exscriberet, multa delevisse certum est. cf. quae Krueger p. 168 de Juliani Digestis docet.

Quod ad rerum ordinem quem Alfenus in Digestis scribendis secutus est attinet, de testamentis libro I tractatum fuisse scimus (D. 28, 1, 25). quae res ad Mucianum rerum ordinem (supra p. 69) nos relegat. ea quoque quae ex libris XXXIV et XXXIX traduntur, cum Q. Mucii libro XV (supra p. 96) optime conveniunt.

Certe posteriorum, qui Digestorum libros scripserunt, rerum ordo alius est: nam apud Celsum, Julianum, Marcellum, Scaevolam librorum prior pars edicti perpetui ordinem sequitur. Lenel I col. 127 n. 1, 318 n. 2, 590 n. 2, II 215 n. 1. cf. Krueger p. 166. 168. at hic rerum ordo ex eo demum tempore statutus videtur, ex quo Julianus edictum composuit. itaque hi Digestorum libri in restituendo Alfeni ordine duces esse nequeunt.

Restat, ut rerum ordinem, quem Alfeni epitomatores secuti sunt, statuamus. Lenel I col. 37 n. 1 haec ait: 'rerum ordinem in utraque epitome invenio diversum: anonyma epitome cum edicti perpetui ordine videtur fere congruere, Paulianae fragmenta neque ad illum accommodari possunt, neque ad ullum alium ordinem, qui in iuris consultorum libris inveniuntur; Paulum igitur genuini operis ordinem servasse puto.' quod vir sagacissimus docet, maximam partem accipio; at Paulianae epitomae rerum ordinem prorsus singularem esse nego: eum potius in nonnullis cum Muciano ordine convenire puto.

Pauli epitomae libri VIII.		Q. Mucii iuris civilis libri XVIII.	
liber II	de testamentis et legatis.	liber I, II et fortasse III	de testamentis et legatis.
liber III	inter alia 'de dotibus'	liber VII	de rei uxoriae arbitrio?
liber IV	inter alia 'de aqua'.	liber XI	de aqua?
liber V	inter alia 'de furtis'.	liber XVI	de furto.

Alia certe non conveniunt, inprimis emptionis venditionis et societatis sedes. quas res quod Severorum temporis iuris consultus alio ordine constituit mirum non est. sed in restituendis Alfeni libris Mucii librorum ordinem sequi non a re alienum videtur, singula incerta sunt.

Liber I.

De testamentis.

1. D. 28, 1, 25. Iavolenus libro quinto posteriorum Labeonis (P. 216). Si is, qui testamentum faceret, heredibus primis nuncupatis, priusquam secundos exprimeret heredes, obmutuisset, magis coepisse eum testamentum facere quam fecisse Varus Digestorum libro primo Servium respondisse scripsit: itaque primos heredes ex eo testamento non futuros.

cf. Servii responsa 1.

Eidem libro adtribuenda videntur fragmenta quae subieci.

2. D. 28, 5, 46. Idem (Alfenus) libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 34). 'Si Maevia mater mea et Fulvia filia mea vivent, tum mihi Lucius Titius heres esto'. Servius respondit, si testator filiam numquam habuerit, mater autem supervixisset, tamen Titium heredem fore, quia id, quod impossibile in testamento scriptum esset, nullam vim haberet.

cf. Servii responsa 3.

3. D. 28, 5, 45. Alfenus libro quinto Digestorum (P. 19). Pater familias testamento duos heredes instituerat. eos monumentum facere iusserat in diebus certis. deinde ita scripserat: 'qui eorum non ita fecerit, omnes exheredes sunto'. alter heres hereditatem praetermiserat, reliquus heres consulebat, cum ipse monumentum exstruxisset, numquid minus heres esset ob eam rem, quod coheres eius hereditatem non adisset.

respondit neminem ex alterius facto hereditati neque alligari neque exheredari posse, sed uti quisque condicionem implesset, quamvis nemo adisset praeterea, tamen eum heredem esse.

cf. Servii responsa 5.

Testamenta in urbe vel Romae condita ubi aperiantur?

4[a]. D. 50, 16, 239 § 6. Pomponius libro singulari Enchiridii (P. 179, 6). 'Urbs' ab urbo appellata est: urbare est aratro definire. et Varus ait urbum appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi solet.

4[b]. D. 50, 16, 87. Marcellus libro duodecimo Digestorum (P. 146). Ut Alfenus ait, 'urbs' est 'Roma', quae muro cingeretur, 'Roma' est etiam, qua continentia aedificia essent: nam Romam non muro tenus existimari ex consuetudine cotidiana posse intellegi, cum diceremus Romam nos ire, etiamsi extra urbem habitaremus.

Rubricam ex Lenelii coniectura ad Marcellum propositam dedi. at fortasse pro libro XII potius XIII legendum est, ita ut de penore legato sermonem fuisse conicere liceat. cf. D. 33, 9, 4 §§ 3—5. Paulus libro quarto ad Sabinum (P. 1676): Nomen autem penus mihi traditum est omnibus generibus dictum. si ita legetur 'penum quae Romae ait', utrum quae est intra continentia, legata videtur an vero ea sola quae est intra murum? et quidem urbes fere omnes muro tenus finiri, Romam continentibus et urbem Romam aeque continentibus. quod si urbana penus sit legata, omnem quae ubique est legatam videri Labeo ait, etiam si in villis agrisque sit, si illa sit urbico usui destinata ...

De testamenti interpretatione.

5. D. 34, 8, 2. Alfenus Varus libro quinto Digestorum (P. 21[a]). Quae in testamento scripta essent

neque intellegerentur quid significarent, ea perinde *esse* ac si scripta non essent [reliqua autem per se ipsa valent].

cf. Servii responsa 7.

Libri II, III, IV?

De legatis.

De fundo legato.

6. D. 32, 60, 3. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 39, 3). Praediis legatis et quae eorum praediorum colendorum causa empta parataque essent, neque topiarium neque saltuarium legatum videri ait: topiarium enim ornandi, saltuarium autem tuendi et custodiendi fundi magis quam colendi paratum esse: asinum machinarium legatum videri: item oves quae stercorandi fundi causa pararentur: item opilionem, si eius generis oves curaret.

cf. Servii responsa 17.

7. D. 33, 7, 16, 2. Alfenus libro secundo Digestorum a Pauli epitomatorum (P. 44, 2). Quidam uxori fundum, uti instructus esset in quo ipse habitabat, legavit. consultus de mulieribus lanificis an instrumento continerentur, respondit non quidem esse instrumenti fundi, sed quoniam ipse pater familias, qui legasset, in eo fundo habitasset, dubitari non oportere, quin et ancillae et ceterae res, quibus pater familias in eo fundo esset instructus, omnes legatae viderentur.

cf. Servii responsa 20.

8. D. 33, 7, 12, 2. Ulpianus libro vicesimo ad Sabinum (P. 2609). Alfenus .., si quosdam ex hominibus aliis legaverit, ceteros, qui in fundo fuerunt, non contineri instrumento ait, quia nihil animalis instrumenti esse opinabatur.

De villa legata.

9. D. 33, 7, 16. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 44 pr.) Villae instrumento legato supellectilem non contineri verius est.

cf. Servii responsa 24.

De vinea legata.

10. D. 33, 7, 16, 1. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 44, 1). Vinea et instrumento eius legato instrumentum vineae nihil esse Servius respondit. qui eum consulebat, Cornelium respondisse aiebat palos perticas rastros ligones instrumenti vineae esse.

cf. Servii responsa 25.

De penu legata?

D. 50, 16, 87. Marcellus libro decimo *tertio*(?) Digestorum.

cf. quae ad fr. 4 adnotavi.

De frumento legato?

11. D. 50, 16, 77. Idem (Paulus) libro *quinquagesimo* nono ad edictum (P. 715). *Fructum* pro reditu appellari ... Iulianus scribit. fruges omnes ⟨res⟩ esse quibus homo vescatur, falsum esse .. frumentum autem id esse quod arista se teneat, recte Gallum definiisse, lupinum vero et fabam fruges potius dici ... quae Servius apud Alfenum in frumento contineri putat.

cf. Servii responsa 21.

De supellectili legata.

12. D. 33, 10, 6. Alfenus libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 60). Supellectilis eas esse res puto quae ad usum communem patris familias paratae essent, quae nomen sui generis separatim non haberent: quare quae ad artificii genus aliquod perti-

nerent neque ad communem usum patris familias accommodatae essent, supellectilis non esse. [sed nec pugillares et codices in supellectili sunt.]

cf. Servii responsa 34.

De lana lino purpura legata.

13. D. 32, 60, 2. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 39, 2). Lana lino purpura uxori legatis, quae eius causa parata essent, cum multam lanam et omnis generis reliquisset, quaerebatur, an omnis deberetur. respondit, si nihil ex ea destinasset ad usum uxoris, sed omnis commixta esset, non dissimilem esse deliberationem, cum penus legata esset et multas res quae penus essent reliquisset, ex quibus pater familias vendere solitus esset. nam si vina diffudisset habiturus usioni ipse et heres eius, tamen omne in penu existimari. sed cum probaretur eum qui testamentum fecisset partem penus vendere solitum esse, constitutum esse, ut ex eo, quod ad annum opus esset, heredes legatario darent. sic mihi placet et in lana fieri, ut ex ea quod ad usum annuum mulieri satis esset, ea sumeret: non enim deducto eo, quod ad viri usum opus esset, reliquum uxori legatum esse, sed quod uxoris causa paratum esset.

cf. Servii responsa 36.

De argento legato.

14. D. 34, 2, 28. Alfenus Varus libro septimo Digestorum (P. 29[b]). Cum in testamento alicui argentum, quod usus sui causa paratum esset, legaretur, itemque vestis aut supellex, quaesitum est, quid cuiusque usus causa videretur paratum esse, utrumne id argentum, quod [victus sui causa paratum] pater familias ad cotidianum usum parasset an et si eas mensas argenteas et eius generis argentum haberet,

quo ipse non temere uteretur, sed commodare ad ludos et ad ceteras apparationes soleret. et magis placet, quod victus sui causa paratum est, tantum contineri.

cf. Servii responsa 31.

De agnis legatis.

15. D. 32, 60 pr. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 39 pr.). Cum quaereretur agnis legatis <agni> quatenus viderentur, quidam aiebant agnum dumtaxat sex mensum esse: sed verius est eos legatos esse, qui minores anniculis essent.

cf. Servii responsa 43.

De servis et ancillis legatis.

16. D. 32, 61. Idem (Alfenus) libro octavo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 73). Textoribus omnibus, qui sui essent cum moreretur, legatis quaesitum est, an et is, quem postea ex his ostiarium fecisset, legato contineretur. respondit contineri: non enim ad aliud artificium, sed ad alium usum transductum esse.

cf. Servii responsa 38.

17. D. 50, 16, 204. Paulus libro secundo epitomarum Alfeni (P. 38). 'Pueri' appellatio tres significationes habet: unam, cum omnes servos pueros appellaremus: alteram cum puerum contrario nomine puellae diceremus: tertiam, cum aetatem puerilem demonstraremus.

cf. Servii responsa 38.

18. D. 32, 60, 1. Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 39, 1). Servis et ancillis urbanis legatis agasonem mulionem legato non contineri respondi: eos enim solos in eo numero haberi, quos pater familias circum se ipse sui cultus causa haberet.

De mancipii optione legata.

19. D. 35, 1, 28, 1. Paulus libro secundo epitomatorum Alfeni Digestorum (P. 36, 1). 'Attia uxor mea optato Philargyrum puerum *aut* Agatham ancillam, qui mei erunt cum moriar'. is qui testamentum fecit Agatham, quam testamenti tempore habuit, vendidit et postea ancillas emit, ex his uni Agathae nomen imposuit. quaesitum est, an haec legata videretur. respondit legatam videri.

cf. Servii responsa 41.

De pecunia legata.

20. D. 35, 1, 28. Paulus libro secundo epitomarum Alfeni Digestorum (P. 36). Filiae suae ita quis legavit: 'si Attia filia mea arbitratu Lucii Titii nupserit, ei tot heres meus dato'. Titio ante testatorem mortuo Attia nupserat. quaerebatur, an legatum ei deberetur. respondit deberi.

cf. Servii responsa 12.

21. D. 32, 29, 2. Labeo libro secundo posteriorum a Javoleno epitomatorum (P. 171). Cum ita legatum esset: 'quanta pecunia ex hereditate Titii ad me pervenit, tantam pecuniam heres meus Seiae dato', id legatum putat Labeo, quod acceptum in tabulis suis ex ea hereditate testator rettulisset, ceterum negat cavendum heredi a legatario, si quid forte postea eius hereditatis nomine heres damnatus esset. ego contra puto, quia non potest videri pervenisse ad heredem, quod eius hereditatis nomine praestaturus esset; idem Alfenus Varus Servio placuisse scribit.

cf. Servii responsa 46.

22. D. 30, 106. Alfenus Varus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 37). Si in testamento scriptum esset: 'heres meus centum[1] Licinio

1 *Tribonianus* aureos centum.

damnas esto neque adscripsisset 'dare', deberi legatum constat.

cf. Gai. 2, 201. Per damnationem hoc modo legamus: 'heres meus . . . dare damnas esto'; sed et si 'dato' scriptum fuerit, per damnationem legatum est.

23. D. 31, 74. Idem (Papinianus) libro vicesimo septimo Quaestionum (P. 330). 'Titio $\overline{HSC}$[1] heres praesens dato'. deinde protulit diem legatorum. non est verum, quod Alfenus rettulit, centum praesenti deberi, quia diem proprium habuerunt.

De annuo legato.

24. D. 33, 1, 22. Alfenus Varus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 35). 'Filiae meae qu*amdiu*cumque vidua erit, in annos singulos centum heres meus dato'. quaeritur, si filia minus annui temporis vidua fuisset, numquid minus ei centum deberentur. respondit sibi videri, tametsi totus annus nondum fuisset, tamen deberi.

cf. Servii responsa 50.

De fundi ususfructu legato.

25. D. 33, 2, 12. Alfenus Varus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 40). Heres in fundo, cuius usus fructus legatus est, villam posuit. eam invito fructuario demolire non potest; [nihilo magis quam si, quam arborem posuisset, ex fundo is evellere vellet;] sed si antequam usufructuarius prohibuerit, demolierit, impune facturum.

cf. Servii responsa 23.

26. D. 7, 1, 11. Paulus libro secundo epitomatorum Alfeni Digestorum (P. 41). sed si grandes arbores essent, non posse eas caedere.

1 *Tribonianus* centum aureos.

Sermonem esse de silva non caedua docet fragmentum quod in Iustiniani Digestis antecedit. Pomponius libro quinto ad Sabinum (P. 454): ex silva caedua pedamenta et ramos ex arbore usufructuarium sumpturum, ex non caedua in vineam sumpturum, dum ne fundum deteriorem faciat.

De habitotione legata.

27. D. 33, 2, 40. Alfenus Varus libro octavo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 74). 'Illi cum illo habitationem lego' perinde esse, ac si ita 'illi et illi' legasset.

cf. Servii responsa 27.

De nave legata.

28. D. 21, 2, 44. Alfenum libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 45). Scapham non videri navis esse respondit nec quicquam coniunctum habere, nam scapham ipsam per se parvam naviculam esse: omnia autem, quae coniuncta navi essent, veluti gubernacula malus antemnae velum, quasi membra navis esse.

cf. Servii responsa 45.

De libertate relicta.

29. D. 40, 7, 14. Alfenus Varus libro quarto Digestorum (P. 18). Servus, qui testamento domini, cum decem heredi dedisset, liber esse iussus erat, heredi mercedem referre pro operis suis solebat. cum ex mercede heres amplius decem recepisset, servus liberum esse ⟨se⟩ aiebat. de ea re consulebatur. respondit non videri liberum esse: non enim pro libertate, sed pro operis eam pecuniam dedisse nec magis ob eam rem liberum esse, quam si fundum a domino conduxisset et pro fructu fundi pecuniam dedisset.

cf. Servii responsa 56.

De dote relegata.

30. D. 23, 5, 8. Alfenus libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 58). Vir in fundo dotali uxoris rogatu olivetum succiderat ad hoc, ut novellum reponeret. postea vir mortuus erat et uxori dotem relegaverat. ligna, quae ex oliveto excisa essent, oportere mulieri reddi respondit.

cf. Servii responsa 9.

31. D. 33, 4, 6 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 82). Cum scriptum esset: 'quae pecunia propter uxorem meam ad me venit quinquaginta, tantundem pro ea dote heres meus dato', quamvis quadraginta dotis fuissent, tamen quinquaginta debere Alfenus Varus Servium respondisse scribit, quia proposita summa quinquaginta adiecta sit.

cf. Servii responsa 10.

De peculio legato.

32. D. 33, 8, 14. Alfenus Varus libro quinto Digestorum (P. 20). Quidam in testamento ita scripserat: 'Pamphilus servus meus peculium suum cum moriar sibi habeto liberque esto'. consulebatur, rectene Pamphilo peculium legatum videretur, quod prius quam liber esset peculium sibi habere iussus esset. respondit in coniunctionibus ordinem nullum esse neque quicquam interesse, utrum eorum primum diceretur aut scriberetur: quare recte peculium legatum videri, ac si prius liber esse, deinde peculium sibi habere iussus est.

cf. Servii responsa 13.

33. D. 33, 8, 15. Idem (Alfenus) libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 46). Servo manumisso peculium legatum erat, alio capite omnes ancillas suas uxori legaverat. in peculio servi ancilla

fuit. servi eam esse respondit neque referre, utri prius legatum esset.

cf. Servii responsa 14.

34. D. 40, 1, 6. Alfenus Varus libro quarto Digestorum (P. 17). Servus pecuniam ob libertatem pactus erat et eam domino dederat. dominus prius quam eum manumitteret, mortuus erat testamentoque liberum esse iusserat et ei peculium suum legaverat. consulebat, quam pecuniam domino dedisset ob libertatem, an eam sibi heredes patroni reddere deberent necne. respondit, si eam pecuniam dominus, posteaquam accepisset, in suae pecuniae rationem habuisset, statim desisse eius peculii esse, sed si interea, dum eum manumitteret, acceptum servo rettulisset, videri peculii fuisse et debere heredes eam pecuniam manumisso reddere.

cf. Servii responsa 15.

35. D. 40, 1, 7. Idem (Alfenus Varus) libro septimo Digestorum (P. 25). Duo filii familias peculiares servos separatim uterque habebant. ex his alter servulum suum peculiarem vivo patre manumisit. pater utrique testamento peculium praelegaverat. quaerebatur, servus iste utrum amborum an eius a quo manumissus erat libertus esset. respondit, si prius testamentum pater fecisset, quam filius eum liberum esse iussisset, unius esse libertum, ideo quod eum quoque in peculio legasse videretur; sed si postea testamentum pater fecisset, non videri eam mentem eius fuisse, ut eum, qui manumissus esset, legaret eumque servum, quoniam praelegatus non esset, mortuo patre amborum servum fuisse.

cf. Servii responsa 16.

De sumptibus funerum.

36. D. 50, 16, 202. Alfenus Varus libro secundo Digestorum (P. 16). Cum in testamento scriptum

esset, ut heres in funere aut in monumento 'dumtaxat centum'[1] consumeret, non licet minus consumere; si amplius vellet, licet, neque ob eam rem contra testamentum facere videtur.

37. D. 35, 1, 27. Alfenus Varus libro quinto Digestorum (P. 21[b]). In testamento quidam scripserat, ut sibi monumentum ad exemplum eius, quod in via Salaria esset Publii Septimii Demetrii, fieret; nisi factum esset, heredes magna pecunia multarat. cum id monumentum Publii Septimii Demetrii nullum repperiebatur, sed Publii Septimii Damae erat, ad quod exemplum suspicabatur eum qui testamentum fecerat monumentum sibi fieri voluisse, quaerebant heredes, cuiusmodi monumentum se facere oporteret et, si ob eam rem nullum monumentum fecissent, quia non repperirent, ad quod exemplum facerent, num poena tenerentur. respondit, si intellegeretur, quod monumentum demonstrare voluisset is qui testamentum fecisset, tametsi in scriptura mendum esset, tamen ad id, quod ille se demonstrare animo sensisset, fieri debere; sin autem voluntas eius ignoraretur, poenam quidem nullam vim habere, quoniam ad quod exemplum fieri iussisset, id nusquam extaret, monumentum tamen omnimodo secundum substantiam et dignitatem defuncti exstruere debere.

cf. Servii responsa 6.

Liber V?

De hereditatis petitione.

38. D. 5, 4, 9. Paulus libro tertio epitomarum Alfeni Digestorum (P. 48). Cum multi heredes instituti essent, ex his unus in Asia erat. eius procurator venditionem fecit et pecuniam pro parte eius

1 *Trib.* aureos centum.

abstulerat. postea apparuerit eum qui in Asia erat antea decessisse instituto ex parte dimidia herede procuratore suo et ex parte alio. quaesitum est, quemadmodum pecunia ex hereditate petenda esset. responsum est ab eo, qui procurator eius fuisset, totam [hereditatem], quia ex hereditate ea pecunia [fuisset quae] ad procuratorem ex venditione pervenisset, petere eos oportere, et nihilo minus partem dimidiam [hereditatis] a coheredibus eius. ita fore, sive omnis ea pecunia penes eum qui procurator fuisset, resideret, ut omnem per iudicem ab eodem recuperarent, sive is partem dimidiam coheredi suo reddidisset, ipsum ex dimidia parte et ex dimidia coheredes eius condemnarent.

cf. Servii responsa 60.

Libri VI(?) usque ad XXXIII.

De dote.

39. D. 23, 4, 79. Alfenus libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 57). Aliud est, si pater pro filia dotem promisit, ut annua bima trima quadrima quinto anno dos a se redderetur, et convenit, ut isdem diebus dos soluto matrimonio redderetur; hoc enim pactum ita valet, si patri filia heres exstitisset et interveniente ea pactum conventum fuerit.

cf. Servii responsa 65.

De donationibus.

40. D. 24, 1, 38. Alfenus libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 59). Servus communis viri et fratris eius puerum donavit uxori fratris. pro qua parte is servus qui donasset viri esset, pro ea parte munus non esse factum mulieris respondit.

cf. Servii responsa 69.

De liberali causa.

41. D. 40, 12, 10. Ulpianus libro quinquagensimo quinto ad edictum (P. 1296[a]). Quod autem diximus 'in libertate fuisse' sic est accipiendum non ut se liberum doceat is, qui liberali iudicium patitur, sed in possessione libertatis sine dolo malo fuisse. quid sit autem 'sine dolo malo fuisse', videamus. nam Iulianus ait omnes, qui se liberos putant, sine dolo malo in libertate fuisse, si modo se pro liberis gerant, quamvis servi sint. Varus autem scribit eum, qui se liberum sciat, dum in fuga sit, non videri sine dolo malo in libertate esse, sed simul atque desierit quasi fugitivus se celare et pro libero agere, tunc incipere sine dolo malo in libertate esse; etenim ait eum, qui scit se liberum, deinde pro fugitivo agit, hoc ipso, quod in fuga sit, pro servo agere.

De operis libertorum.

42. D. 38, 1, 26. Alfenus Varus libro septimo Digestorum (P. 26). Medicus libertus, quod putaret, si liberti sui medicinam non facerent, multo plures imperantes sibi habiturum, postulabat, ut sequerentur se neque opus facerent: id ius est nec ne? respondit ius esse, dummodo liberas operas ab eis exigeret, hoc est ut adquiescere eos meridiano tempore et valetudinis et honestatis suae rationem habere sineret.

Item rogavi, si has operas liberti dare nollent, quanti oporteret aestimari. respondit, quantum ex illorum operis fructus, non quantum ex incommodo dando illis, si prohiberet eos medicinam facere, commodi patronus consecuturus esset.

cf. Servii responsa 61.

De rerum dominio.

43. D. 41, 1, 38. Alfenus Varus libro quarto Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 65). Attius

fundum habebat secundum viam publicam. ultra viam flumen erat et ager Lucii Titii. [fluit] flumen paulatim *populi Romani eum* agrum, qui inter viam et flumen esset, ambedit et viam sustulit, postea rursus minutatim recessit et alluvione in antiquum locum rediit. respondit cum flumen agrum et viam publicam sustulisset, eum agrum eius factum esse, qui trans flumen fundum habuisset, postea cum paulatim retro redisset, ademisse ei, cuius factus esset, et addidisse ei, cuius trans viam esset, quoniam eius fundus proximus flumini esset, id autem, quod publicum fuisset, nemini *homini* cessisset. *iam* impedimento viam esse ait, quo minus ager, qui trans viam alluvione relictus est, Attii fieret, nam ipsa quoque via fundi esset.

cf. Servii responsum 72.

44. D. 39, 2, 9, 2. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1272[b]). Alfenus scribit, si ex fundo tuo crusta lapsa sit in meum fundum eamque petas, dandum in te iudicium de damno iam facto . . . ita demum autem crustam vindicari posse idem Alfenus ait, si non coaluerit nec unitatem cum terra mea fecerit.

45. D. 6, 1, 5, 3. Ulpianus libro sexto decimo ad edictum (P. 549[b]). De arbore, quae in alienum agrum translata coaluit et radices immisit, Varus et Nerva utilem in rem actionem dabant, nam si nondum coaluit, mea esse non desinet.

De servo communi.

46. D. 10, 3, 26. Alfenus Varus libro secundo Digestorum (P. 8). Communis servus cum apud alterum esset, crus fregit in opere. quaerebatur, alter dominus quid cum eo, penes quem fuisset, ageret. respondi, si quid culpa illius magis quam casu res communis damni cepisset, per arbitrum communi dividundo posse reciperari.

47. D. 10, 3, 27. Paulus libro tertio epitomarum Alfeni epitomatorum (P. 50). De communi servo unus ex sociis quaestionem habere nisi communis negotii causa iure non potest.

De usucapione.

48. D. 41, 3, 34. Alfenus Varus libro primo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 32). Si servus insciente domino rem peculiarem vendidisset, emptorem usucapere posse.

De rei vindicatione.

49. D. 6, 1, 57. Alfenus libro sexto Digestorum (P. 24). Is a quo fundus petitus erat ab alio eiusdem fundi nomine conventus est. quaerebatur, si alterutri eorum iussu iudicis fundum restituisset et postea secundum alterum petitorem res iudicaretur, quemadmodum non duplex damnum traheret. respondi, uter prior iudex iudicaret, eum oportere ita fundum petitori restitui iubere, ut possessori caveret vel satisdaret, si alter fundum evicisset, eum praestare.

50. D. 6, 1, 58. Paulus libro tertio epitomarum Alfeni Digestorum (P. 49). A quo servus petebatur et eiusdem servi nomine cum eo furti agebatur, quaerebat, si utroque iudicio condemnatus esset, quid se facere oporteret. respondit, si prius servus ab eo evictus esset[1], non oportere iudicem cogere, ut eum traderet nisi ei satisdatum esset, quod pro eo homine iudicium accepisset, si quid ob eam rem datum esset, id recte praestari. sed si prius de furto *sententia dicta*[2] esset et hominem noxae dedisset, deinde de ipso homine secundum petitorem *sententia dicta*[2] esset, non debere ob eam rem iudicem, quod hominem non traderet, litem aestimare, quoniam nihil eius culpa neque dolo contigisset, quo minus hominem traderet.

cf. Servii responsa 79.

1 *Verbum* respondit, *quod in F. post* si — esset *legitur, transposui.* 2 *Ita vel similiter scribi oportere monuit Pernice. Trib.* iudicium factum.

De actione ad exhibendum.

51. D. 10, 4, 19. Paulus libro quarto epitomarum Alfeni (P. 66). Ad exhibendum possunt agere omnes quorum interest. sed quidam consuluit, an possit efficere haec actio, ut rationes adversarii sibi exhiberentur, quas exhiberi magni eius interesset. respondit non oportere ius civile calumniari neque verba captari, sed qua mente quid diceretur, animadvertere convenire. nam illa ratione etiam studiosum alicuius doctrinae posse dicere sua interesse illos aut illos libros sibi exhiberi, quia, si essent exhibiti, cum eos legisset, doctior et melior futurus esset.

cf. Servii responsa 80.

Damni infecti.

52. D. 39, 2, 43 pr. Alfenus Varus libro secundo Digestorum (P. 5 pr.). Damni infecti quidam vicino repromiserat. ex eius aedificio tegulae vento deiectae ceciderant in vicini tegulas easque fregerant. quaesitum est, an aliquid praestari oportet. respondit, si vitio aedificii et infirmitate factum esset, debere praestari, sed si tanta vis venti fuisset, ut quamvis firma aedificia convelleret, non debere. et quod in stipulatione est 'sive quid ibi ruet', non videri sibi ruere, quod aut vento aut omnino aliqua vi extrinsecus admota caderet, sed quod ipsum per se concideret.

cf. Servii responsa 83[a].

Praetoria stipulatio Hadriani tempore haec fere fuit (Lenel Edict p. 433): 'quod aedium loci operisve q. d. a. vitio in aedibus meis intra ... damnum factum erit, si quid ibi ruet scindetur fodietur aedificabitur, quanti ea res erit, tantam pecuniam dari dolumve malum abesse afuturumque esse spondesne? spondeo.' cum Pomponius (D. 46, 8, 18) haec habet: 'si quid ibi ruet', apud Alfenum legitur: 'sive quid ibi ruet'. „Vielleicht hiess es zu Alfens Zeit 'sive quid ibi ruet sive' rel., wahrscheinlich

aber ist das Citat ungenau oder es liegt ein Abschreiberversehen vor." Lenel l. l. n. 14.

53. D. ibid. § 1 (P. 5, 1). Cum parietem communem aedificare quis cum vicino vellet, priusquam veterem demolirent, damni infecti vicino repromisit adeoque (? ab eoque?) restipulatus est. posteaquam paries sublatus esset et habitatores ex vicinis cenaculis emigrassent, vicinus ab eo mercedem, quam habitatores non redderent, petere vult. quaesitum est, an recte petit. respondit non oportuisse eos, cum communem parietem aedificarent, inter se repromittere neque ullo modo alterum ab altero cogi potuisse; sed si maxime [repromitterent], tamen non amplius quam partis dimidiae, quo amplius ne extrario quidem quisquam, cum parietem communem aedificaret, repromittere deberet. [sed quoniam iam in totum repromisissent, omne, quod detrimenti ex mercede vicinus fecisset, praestaturum.]

cf. Servii responsa 84.

54. D. ibid. § 2 (P. 5, 2). Idem consulebat, possetne, quod ob eam rem dedisset, rursus repetere, quoniam restipulatus esset a vicino, si quid ob eam rem, quod ibi aedificatum esset, sibi damnum datum esset, id reddi, cum et ipsam hanc pecuniam, quam daret, propter illud opus perderet. respondit non posse [propterea quia non operis vitio, sed ex stipulatione id amitteret].

cf. Servii responsa 85. *inclusa verba a Trib. addita esse Pernice vidit.*

De aqua pluvia arcenda.

55. D, 39, 3, 24. Alfenus libro quarto Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 64). Vicinus loci superioris pratum ita arabat, ut per sulcos itemque porcas aqua ad inferiorem veniret. quaesitum est, an per arbitrum aquae pluviae arcendae possit cogi, ut in alteram

partem araret, ne sulci in eius agrum spectarent. respondit non posse eum facere, quo minus agrum vicinus quemadmodum vellet araret.

Sed si quos sulcos transversos aquarios faceret, per quos in eius agrum aqua deflueret, hosce ut operiret, per arbitrum aquae pluviae arcendae posse cogere.

Sed et si fossas fecisset, ex quibus aqua pluvia posset nocere, arbitrum, si appareat futurum, ut aqua pluvia noceret, cogere oportere fossas eum explere et, nisi faceret, condemnare, tametsi antequam *de ea re* iudicaret, aqua per fossas numquam fluxisset.

cf. Servii responsa 81.

56. D. 39, 3, 2, 5. Paulus libro quadragesimo nono ad edictum (P. 632, 5). Item Varus ait: aggerem, qui in fundo vicini erat, vis aquae deiecit, per quod effectum est, ut aqua pluvia mihi noceret. Varus ait, si naturalis agger fuit, non posse me vicinum cogere aquae pluviae arcendae actione, ut eum reponat vel reponi sinat, idemque putat et si manu factus fuit neque memoria eius exstat; quod si exstet, putat aquae pluviae arcendae actione eum teneri.

De servitutibus.

57. D. 8, 4, 15. Paulus libro primo epitomarum Alfeni Digestorum (P. 31). Qui per certum locum iter aut actum alicui ⟨in iure⟩ cessisset, eum pluribus per eundem locum vel iter vel actum ⟨in iure⟩ cedere posse verum est, quemadmodum si quis vicino suas aedes servas fecisset, nihilo minus aliis quot vellet multis eas aedes servas facere potest.

cf. Servii responsa 87.

58. D. 8, 5, 17, 1. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 4, 1). Cum in domo Gaii Sei locus quidam aedibus Anni ita serviret, ut in eo loco positum

habere ius Seio non esset, et Seius in eo silvam sevisset, in qua labra et *l*enes ⟨et⟩[1] cucumellas positas haberet, Annio consilium omnes iuris periti dederunt, ut cum eo ageret: ius ei non esse in eo loco ea posita habere invito se.

59. D. 8, 2, 16. Paulus libro secundo epitomarum Alfeni Digestorum (P. 42). Lumen *id* est, ut caelum videretur, et interest inter lumen et prospectum, nam prospectus etiam ex inferioribus locis est, lumen ex inferiore loco esse non potest.

cf. Servii responsa 91.

60. D. 8, 2, 33. Paulus libro quinto epitomarum Alfeni Digestorum (P. 68). Eum debere columnam restituere, quae onus vicinarum aedium ferebat, cuius essent aedes quae servirent, non eum qui imponere vellet. nam cum in lege aedium scriptum esset: 'paries oneri ferundo uti nunc est, ita sit', satis aperte significari in perpetuum parietem esse debere, non enim hoc his verbis dici, ut in perpetuum idem paries esset, quod ne fieri quidem posset, sed uti eiusdem modi paries in perpetuum esset qui onus sustineret [quemadmodum si quis cavisset, ut cui onus sustineret, si ea res quae servit et tuum onus ferret, perisset, alia in locum eius dari debeat].

cf. Servii responsa 92.

61. D. 8, 5, 8 § 5. Ulpianus libro septimo decimo ad edictum (P. 601). Aristo Cerellio Vitali respondit ... idemque ait: ... Alfenum denique scribere ait posse ita agi ius illi non esse in suo lapidem caedere, ut in meum fundum fragmenta cadant.

62. D. 8, 5, 17 pr. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 4). Si quando inter aedes binas paries esset, qui ita ventrem faceret, ut in vicini domum semipedem aut amplius procumberet, agi oportet (oportere respon-

1 *F.* tenes.

dit?): ius non esse illum parietem ita proiectum in suum esse invito se.

cf. Servii responsa 82.

63. D. 8, 5, 17, 2. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 4, 2). Secundum cuius parietem vicinus sterculinum fecerat, ex quo paries madescebat, consulebat[ur], quemadmodum posset vicinum cogere, ut sterculinum tolleret. respondi, si in loco publico id fecisset, per interdictum cogi posse, sed si in privato, de servitute agere oportere; si damni infecti stipulatus esset, possit per eam stipulationem, si quid ex ea re sibi damni datum esset, servare.

De creditore et debitore.

64. D. 13, 7, 30. Paulus libro quinto epitomarum Alfeni Vari Digestorum (P. 70). Qui ratiario crediderat, cum ad diem pecunia non solveretur, ratem in flumine sua auctoritate detinuit. postea flumen crevit et ratem abstulit. si invito ratiario retinuisset, eius periculo ratem fuisse respondit; sed si debitor sua voluntate concessisset, ut retineret, culpam dumtaxat ei praestandam, non vim maiorem.

65. D. 46, 3, 67. Marcellus libro tertio decimo Digestorum (P. 157). . . . apud Alfenum Servius eum, qui minus a debitore suo accipere et liberare eum vellet, respondit posse saepius aliquot nummos accipiendo ab eo eique retro dando ac rursus accipiendo id efficere, [veluti si centum debitorem decem acceptis liberare creditor velit, ut cum decem acceperit, eadem ei retro reddat, mox ab eo accipiat ac novissimo retineat,] etsi in dubitationem a quibusdam hoc male deducatur, quod non possit videri is qui ita accepit, ut ei a quo accepit, retro reddat ⟨solutum accepisse⟩ . .

cf. Servii responsa 99. *Pernice etiam* verba saepius — accipiendo *a Triboniano addita esse putat.*

De emptione venditione.

De fundo vendito.

66. D. 18, 1, 40 pr. Paulus libro quarto epitomarum Alfeni Digestorum (P. 62). Qui fundum vendebat, in lege ita dixerat, ut emptor in diebus triginta proximis fundum metiretur et de modo renuntiaret, et si ante eam diem non renuntiasset, ut venditoris fides soluta esset. emptor intra diem mensurae quo minorem modum esse credidit renuntiavit et pecuniam pro eo accepit. postea eum fundum *mancipio* dedit[1] et cum ipse emptori suo admetiretur, multo minorem modum agri quam putaverat invenit. quaerebat, an id quod minor is esset consequi a suo venditore posset. respondit interesse, quemadmodum lex diceretur. nam si ita dictum esset, ut emptor diebus triginta proximis fundum metiatur et domino renuntiet, quanto modus agri minor sit, quo post diem trigensimum renuntiasset, nihil ei profuturum, sed si ita pactum esset, ut emptor in diebus proximis fundum metiatur et de modo agri renuntiet, et si in diebus triginta renuntiasset minorem modum agri esse, quamvis multis post annis posse eum quo minor is modus agri fuisset repetere.

1 *Trib.* vendidit.

67. D. 21, 2, 45. Idem (Alfenus) libro quarto Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 63). Qui fundum *mancipio* dederat[1] iugerum certum, fines multo amplius emptori demonstraverat. si quid ex his finibus evinceretur, pro bonitate eius emptori praestandum ait, quamvis id quod relinqueretur centum iugera haberet.

1 *Trib.* trâdiderat.

68. D. 18, 1, 18, 1. Pomponius libro nono ad Sabinum (P. 547). Si servus in demonstrandis domini iussu finibus[1] agri venditi vel errore vel dolo plus

1 *F.* domini iussu in demonstrandis finibus.

demonstraverit, id [tamen] demonstratum accipi oportet, quod dominus senserit, et idem Alfenus scripsit de vacua possessione per servum tradita.

69. D. 8, 3, 29. Paulus libro secundo epitomarum Alfeni Digestorum (P. 43). Qui duo praedia confinia habuerat, superiorem fundum vendiderat. in lege ita dixerat, ut aquam sulco aperto emptori educere in fundum inferiorem recte liceat. si emptor ex alio fundo aquam acciperet et eam in inferiorem ducere vellet, quaesitum est, an possit id suo iure facere nec ne. respondi nihil amplius, quam quod ipsius fundi siccandi causa derivaret, vicinum inferiorem recipere debere.

70. D. 8, 3, 30. Idem (Paulus) libro quarto epitomarum Alfeni Digestorum (P. 61). Qui duo praedia habebat, in unius venditione aquam, quae in fundo nascebatur, et circa eam aquam late decem pedes exceperat. quaesitum est, utrum dominium loci ad eum pertineat an ut per eum locum accedere possit. respondit, si ita recepisset: 'circa eam aquam late pedes decem', iter dumtaxat videri venditoris esse.

71. D. 18, 1, 40, 4. Paulus libro quarto epitomarum Alfeni Digestorum (P. 62, 4). Cum fundum quis vendiderat et omnem fructum receperat, et arundinem caeduam et silvam (et harundinem et silvam caeduam?) in fructu esse respondit.

72. D. 19, 1, 26. Alfenus Varus libro secundo Digestorum (P. 13). Si quis, cum fundum venderet, dolia centum, quae in fundo esse adfirmabat, accessura dixisset, quamvis ibi nullum dolium fuisset, tamen dolia emptori debebit.

Triboniani manus aperta est.

73. D. 19, 1, 27. Paulus libro tertio epitomarum Alfeni (P. 53). Quidquid venditor accessurum dixerit, id integrum ac sanum tradi oportet, veluti si fundo dolia accessura dixisset, non quassa, sed integra dare debet.

74. D. 18, 1, 40, 4. Paulus libro quarto epitomarum Alfeni Digestorum (P. 62, 5). Dolia quae in fundo

domini essent, accessura dixit. etiam ea, quae servus qui fundum coluerat emisset peculiaria, emptori cessura respondit.

De aedibus venditis.

75. D. 18, 1, 40, 6. Paulus libro quarto epitomarum Alfeni Digestorum (P. 62, 6). Rota quoque, per quam aqua traheretur, nihilo minus aedificii est quam situla.

76. D. 18, 6, 12. Alfenus Varus libro secundo Digestorum (P. 12). Si vendita insula combusta esset, cum incendium sine culpa fieri non possit, quid iuris sit? respondit, quia sine patris familias culpa fieri potest neque, si servorum neglegentia factum esset, continuo dominus in culpa erit, quam ob rem si venditor eam diligentiam adhibuisset in insula custodienda, quam debent homines frugi et diligentes praestare, si quid accidisset, nihil ad eum pertinebit.

De servo peculiari vendito.

77. D. 44, 1, 14. Alfenus Varus libro secundo Digestorum (P. 14). Filius familias peculiarem servum vendidit, pretium stipulatus est; is homo redhibitus et postea mortuus est. [et] pater [eius] pecuniam ab emptore petebat, quam filius stipulatus erat. placuit aequum esse in factum exceptionem eum obicere: 'quod pecunia ob hominem illum expromissa est, qui redhibitus est'.

De bovibus venditis.

78. D. 9, 2, 52, 3. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 7, 3). Quidam boves vendidit ea lege, uti daret experiundos, postea dedit experiundos; emptoris servus in experiundo percussus ab altero bove cornu est. quaerebatur, num venditor emptori damnum praestare deberet. respondi, si emptor boves emptos haberet, non debere praestare, sed si non haberet emptos, tum, si culpa hominis factum esset, ut a bove feriretur, non debere praestari, si vitio bovis, debere.

De lectis venditis.

79. Dig. 18, 6, 13. Paulus libro tertio Alfeni epitomarum (P. 52). Lectos emptos aedilis, cum in via publica positi essent, concidit. si traditi essent emptori aut per eum stetisset quo minus traderentur, emptoris periculum esse placet.

De locatione conductione.

De caenaculo conducto.

80. D. 19, 2, 27 pr. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 15). Habitatores non, si paulo minus commode aliqua parte caenaculi uterentur, statim deductionem ex mercede facere oportet: ea eum condicione habitatorem esse, ut si quid transversarium incidisset, quamobrem dominum aliquid demoliri oporteret, aliquam partem parvulam incommodi sustineret [non ita tamen, ut eam partem caenaculi dominus aperuisset, in quam magnam partem usus habitator haberet].

Inclusa verba Pernice eiecit.

81. D. ibid. § 1. Iterum interrogatus est, si quis timoris causa emigrasset, deberet mercedem necne. respondit, si causa fuisset cur periculum timeret, quamvis periculum vere non fuisset [tamen] non debere mercedem [sed si causa timoris iusta non fuisset, nihilo minus debere].

De villa conducta.

82. D. 19, 2, 30, 4. Idem (Alfenus) libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 54, 4). Colonus villam hac lege acceperat, ut incorruptam redderet praeter vim et vetustatem. coloni servus villam incendit non fortuito casu. non videri eam vim exceptam respondit nec id pactum esse, ut, si aliquis domesticus eam incendisset, ne praestaret, sed extrariam vim ut*i*que[1] excipere voluisse.

1 *Flor.* utrosque.

De insula conducta.

83. D. 19, 2, 30. Idem (Alfenus) libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 54 pr.). Qui insulam triginta conduxerat, singula caenacula ita locavit, ut quadraginta ex omnibus colligerentur. dominus insulae, quia aedificia vitium facere diceret, demolierat eam. quaesitum est, quanti lis aestimari deberet, si is qui totam conduxerat ex conducto ageret. respondit, si vitiatum aedificium necessario demolitus esset, pro portione, quanti dominus praediorum locasset <et> quod eius temporis habitatores habitare non potuissent, rationem duci et tanti litem aestimari; sin autem non fuisset necesse demoliri, sed quia melius aedificare vellet, id fecisset, quanti conductoris interesset, habitatores ne migrarent, tanti condemnari oportere.

cf. Servii responsa 118.

De balneis conductis.

84. D. 19, 2, 30, 1. Idem (Alfenus) libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 54, 1). Aedilis in municipio balneas conduxerat, ut eo anno municipes gratis lavarentur. post tres menses incendio facto respondit posse agi cum balneatore ex conducto, ut pro portione temporis, quo lavationem non praestitisset, pecuniae contributio fieret.

De mulis conductis.

85. D. 19, 2, 30, 2. Idem (Alfenus) libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 54, 2). Qui mulas ad certum pondus oneris locaret, cum maiore onere conductor eas rupisset, consulebat de actione. respondit vel lege Aquilia vel ex locato recte eum agere, sed lege Aquilia tantum cum eo agi posse, qui tum mulas agitasset, ex locato etiam si alius eas rupisset, cum conductore recte agi.

cf. Servii responsa 136.

De aede facienda locata.

86. D. 19, 2, 30, 3. Idem (Alfenus) libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 54, 3). Qui aedem faciendam locaverat, in lege dixerat: 'quoad in opus lapidis opus erit, pro lapide et manupretio dominus redemptori in pedes singulos *sestertios septenos*[1] dabit'. quaesitum est, utrum factum opus an etiam inperfectum metiri oporteret. respondit etiam inperfectum.

cf. Servii responsa 123.

De mercibus vehendis locatis.

87. D. 19, 2, 7. Paulus libro tertio epitomarum Alfeni Digestorum (P. 55). Cum depressa navis aut deiecta esset, quod quisque ex ea suum servasset, sibi servare respondit, tanquam ex incendio.

cf. Servii responsa 125.

De societate.

88. D. 17, 2, 71 pr. Idem (Paulus) libro tertio epitomarum Alfeni Digestorum (P. 51 pr.). Duo societatem coierunt, ut grammaticam docerent et quod ex eo artificio quaestus fecissent, commune eorum esset. de ea re quae voluerunt fieri in pacto convento societatis proscripserunt, deinde inter se his verbis stipulati sunt: 'haec, quae supra scripta sunt, ea ita dari fieri neque adversus ea fieri? si ea ita data facta non erunt, tum viginti milia dari?' quaesitum est, an, si quid contra factum esset, societatis actione agi posset. respondit, si quidem pacto convento inter eos de societate facto ita stipulati essent 'haec ita dari fieri spondes?', futurum fuisse, ut [si novationis causa id fecissent,] pro socio agi non possit, sed tota res in stipulationem translata videretur. sed quoniam non ita essent stipulati 'ea ita dari fieri 'spondes?'

1 *F.* septem.

sed 'si ea ita facta non essent, decem dari?' non videri sibi rem in stipulationem pervenisse, sed dumtaxat poenam, non enim utriusque rei promissorem obligari, ut ea daret faceret et, si non fecisset, poenam sufferret, et ideo societatis iudicio agi posse.

cf. Servii responsa 128.

89. Ibid. § 1 (P. 51, 1). Duo colliberti societatem coierunt lucri quaestus compendii, postea unus ex his a patrono heres institutus est, alteri legatum datum est. neutrum horum in medium referre debere respondit.

cf. Servii responsa 129.

90. D. 17, 2, 65, 8. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 495). Item scriptum est posse procuratori quoque meo socium meum renuntiare. quod Servius apud Alfenum ita notat: esse in potestate domini, cum procuratori eius renuntiatum est, an velit ratam habere renuntiationem.

De commodato.

91. D. 19, 5, 23. Alfenus libro tertio Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 56). Duo secundum Tiberim cum ambularent, alter eorum ei, qui secum ambulabat, rogatus anulum ostendit, ut respiceret. illi excidit anulus et in Tiberim devolutus est. respondit posse agi cum eo in factum actione.

cf. Servii responsa 132.

De peculio.

92. D. 46, 3, 35. Alfenus Varus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 47). Quod servus ex peculio suo credidisset aut deposuisset, id ei, sive venisset sive manumissus esset, recte solvi potest, nisi aliqua causa intercedit[1], ex qua intellegi

1 *F.* intercederit.

possit invito eo, cuius tum is servus fuisset, ei solvi. sed et si quis dominicam pecuniam ab eo faeneratus esset, si permissu domini servus negotium dominicum gessisset, idem iuris est: videtur enim voluntate domini [qui cum servo negotium contraheret] et ab eo accipere et ei solvere.

93. D. 15, 3, 16. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 11). Quidam fundum colendum servo suo locavit et boves ei dederat. cum hi boves non essent idonei, iusserat eos venire et his nummis qui recepti essent alios reparari. servus boves vendiderat, alios redemerat, nummos venditori non solverat, postea conturbaverat. qui boves vendiderat nummos a domino petebat actione de peculio aut quod in rem domini versum esset, cum boves pro quibus pecunia peteretur penes dominum essent. respondit non videri peculii quicquam esse, nisi si quid deducto eo, quod servus domino debuisset, reliquum fieret. illud sibi videri boves quidem in rem domini versos esse, sed pro ea re solvisse tantum, quanti priores boves venissent, si quo amplioris pecuniae posteriores boves essent, eius oportere dominum condemnari.

De condictionibus.

94. D. 12, 6, 36. Paulus libro quinto epitomarum Alfeni Digestorum (P. 69). Servus cuiusdam insciente domino magidem commodavit; is cui commodaverat pignori eam posuit et fugit; qui accepit non aliter se redditurum aiebat, quam si pecuniam accepisset, accepit a servulo et reddidit magidem. quaesitum est, an pecunia ab eo repeti possit. respondit, si is qui pignori accepisset magidem alienam sci⟨sse⟩t apud se pignori deponi, furti eum se obligasse ideoque, si pecuniam a servulo accepisset redimendi furti causa, posse repeti; sed si nescisset alienam apud se deponi, non esse furem, item, si pecunia eius nomine, a quo

pignus acceperat, a servo ei soluta esset, non posse ab eo repeti.

cf. Servii responsa 134.

De iudice et arbitro.

95. D. 5, 1, 76. Alfenus libro sexto Digestorum (P. 23). Proponebatur ex his iudicibus, qui in eandem rem dati essent, nonnullos causa audita excusatos esse inque eorum locum alios esse sumptos, et quaerebatur, singulorum iudicum mutatio eandem rem an aliud iudicium fecisset. respondi, non modo si unus aut alter, sed et si omnes iudices mutati essent, tamen et rem eandem et iudicium idem quod antea fuisset permanere, neque in hoc solum evenire, ut partibus commutatis eadem res esse existimaretur, sed et in multis ceteris rebus: nam et legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alii subiecti essent, et populum eundem hoc tempore putari qui abhinc centum annis fuissent, cum ex illis nemo nunc viveret, itemque navem, si adeo saepe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret quae non nova fuisset, nihilo minus eandem navem esse existimari. quod si quis putaret partibus commutatis aliam rem fieri, fore ut ex eius ratione nos ipsi non idem essemus qui abhinc anno fuissemus, propterea quod, ut philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, hae cottidie ex nostro corpore decederent aliaeque extrinsecus in earum locum accederent. quapropter cuius rei species eadem consisteret, rem quoque eandem esse existimari.

96. D. 42, 1, 62. Alfenus Varus libro sexto Digestorum a Paulo epitomarum (P. 72). Cum quaerebatur iudex, si perperam iudicasset, an posset eodem die iterum iudicare, respondit non posse.

cf. Servii responsa 142.

97. D. 4, 8, 50. Alfenus libro septimo Digestorum (P. 30). Arbiter ex compromisso sumptus cum ante eum diem, qui constitutus compromisso erat, sententiam dicere non posset, diem compromissi proferri iusserat. alter ex litigatoribus dicto audiens non fuerat: consulebatur possetne ab eo pecunia ex compromisso peti. respondi non posse, ideo quod non esset arbitro permissum ut id iuberet.

De in integrum restitutione.

98. D. 4, 6, 42. Alfenus libro quinto Digestorum (P. 22). Non vere dicitur rei publicae causa abesse eum, qui sui privati negotii causa in legatione est.

Liber XXXIV.

De civitatibus foederatis?

99. Gell. 7, 5, 1. Alfenus iuris consultus ... in libro Digestorum tricesimo et quarto ... *in foedere* inquit, *quod inter populum Romanum et Carthaginienses factumst, scriptum invenitur, ut Carthagenienses quotannis populo Romano darent certum pondus argenti puri puti, quaesitumque est, quid esset purum putum. respondi,* inquit, *ego putum esse valde purum, sicut novum novicium dicimus et proprium propicium augere atque intendere volentes novi et proprii significationem.*

De publicanis.

100. D. 50, 16, 203. Idem (Alfenus) libro septimo Digestorum (P. 29). In lege censoria portus Siciliae ita scriptum erat: 'servos, quos domum quis ducet suo usu, pro is portorium ne dato'. quaerebatur, si quis a Sicilia servos Romam mitteret fundi instruendi causa, utrum pro his hominibus portorium dare deberet necne. respondit duas esse in hac scriptura quaestiones, primam, quid esset 'domum ducere', alte-

ram, quid esset 'suo usu ducere'. igitur quaeri solere utrum, ubi quisque habitaret sive in provincia sive in Italia, an dumtaxat in sua cuiusque patria domus esse recte dicetur. sed de ea re constitutum esse eam domum unicuique nostrum debere existimari, ubi quisque sedes et tabulas haberet suarumque rerum constitutionem fecisset. quid autem esset 'usu suo', magnam habuisse dubitationem. et ⟨penu sui usus causa parata⟩ magis placere, quod victus sui causa paratum est, tantum contineri. itemque de servis eadem ratione quaeri, qui eorum usus sui causa parati essent, utrum dispensatores, insularii, vilici, atrienses, textores ⟨tantum, an⟩ operarii quoque rustici, qui agrorum colendorum causa haberentur, ex quibus agris pater familias fructus caperet, quibus se toleraret (se suosque aleret?), omnes denique [servos], quos quisque emisset, ut ipse haberet [atque eis ad aliquam rem uteretur], neque ideo emisset, ut venderet. et sibi videri eos demum usus sui causa patrem familias habere, qui ad eius corpus tuendum atque ipsius cultum praepositi destinatique essent, quo in genere [i]unctores, cubicularii, coci, ministratores atque alii, qui ad eiusmodi usum parati essent numerarentur.

cf. Servii responsa 143.

101. D. 39, 4, 15. Alfenus Varus libro septimo Digestorum (P. 28). Caesar cum insulae Cretae cotorias locaret, legem ita dixerat: 'ne quis praeter redemptorem post idus Martias cotem ex insula Creta fodito neve eximito neve avehito'. cuiusdam navis onusta cotibus ante idus Martias ex portu Cretae profecta vento relata in portum erat, deinde iterum post idus Martias profecta erat. consulebatur, num contra legem post idus Martias ex insula Creta cotes exisse viderentur. respondit, tametsi portus quoque, qui insulae essent, omnes eius insulae esse viderentur, tamen eum, qui ante idus Martias profectus ex portu

esset et relatus tempestate in insulam [deductus] esset, si inde exisset non videri contra legem fecisse [praeterea quod iam initio evectae cotes viderentur, cum et ex portu navis profecta esset].

cf. edictum praetoris a Gell. 11, 17, 2 relatum: 'qui flumina retanda publice redempta habent, si qui eorum ad me eductus fuerit qui dicatur, quod eum ex lege locationis facere oportuerit, non fecisse'.

102. D. 19, 2, 29. Alfenus libro septimo Digestorum (P. 27). In lege locationis scriptum erat: 'redemptor silvam ne caedito neve cingito neve deurito neve quem cingere caedere urere sinito'. quaerebatur, utrum redemptor, si quem quid earum rerum facere vidisset, prohibere deberet an etiam ita silvam custodire, ne quis id facere possit. respondi verbum sinere utramque habere significationem, sed locatorem potius id videri voluisse, ut redemptor non solum, si quem casu vidisset silvam caedere, prohiberet, sed uti curaret et daret operam, ne quis caederet.

Libri XXXV—XXXVIII.

De furtis.

103. D. 47, 2, 58. Alfenus libro quarto Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 62). Si cretae fodiundae causa specum quis fecisset et cretam abstulisset, fur*em* ess*e*, non quia fodisset, sed quia abstulisset.

cf. Servii responsa 134.

De onere averso.

104. D. 19, 2, 31. Idem (Alfenus) libro quinto Digestorum a Paulo epitomatorum (P. 71). In navem Saufeii cum complures frumentum confuderant, Saufeius uni ex his frumentum reddiderat de communi et navis perierat: quaesitum est, an ceteri pro sua parte frumenti cum nauta agere possunt oneris aversi actione.

respondit rerum locatarum duo genera esse, ut aut idem redderetur, sicuti cum vestimenta fulloni curanda locarentur, aut eiusdem generis redderetur, veluti cum argentum pusulatum fabro daretur, ut vasa fierent, aut aurum, ut anuli: ex superiore causa rem domini manere, ex posteriore in creditum iri. idem iuris esse in deposito: nam si quis pecuniam numeratam ita deposuisset, ut neque clusam neque obsignatam traderet, sed adnumeraret, nihil aliud eum debere apud quem deposita esset nisi tantundem pecuniae solvere. secundum quae videri triticum factum Saufeii et recte datum. quod si separatim tabulis aut heronibus aut in alia cupa clusum uniuscuiusque triticum fuisset, ita ut internosci posset quid cuiusque esset, non potuisse *nautam*[1] permutationem facere, sed tum posse eum cuius fuisset triticum quod nauta solvisset vindicare. et ideo se improbare actiones oneris aversi: quia sive eius generis essent merces, quae nautae traderentur, ut continuo eius fierent et mercator in creditum iret, non videretur onus esse aversum, quippe quod nautae fuisset: sive eadem res, quae tradita esset, reddi deberet, furti esse actionem locatori et ideo supervacuum esse iudicium oneris aversi. sed si ita datum esset, ut in simili re solvi possit, conductorem culpam dumtaxat debere, nam in re, quae utriusque causa contraheretur, culpam deberi, neque omnimodo culpam esse, quod uni reddidisset ex frumento, quoniam alicui primum reddere eum necesse fuisset, tametsi meliorem eius condicionem faceret quam ceterorum.

cf. Servii responsa 135.

De damno iniuria dato.

105. D. 9, 2, 52, 2. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 7, 2). In clivo Capitolino duo plostra

1 *Flor.* nos *emendavit Ant. Faber.*

onusta mulae ducebant: prioris plostri muliones conversum plostrum sublevabant[, quo facile mulae *fa*cerent iter[1]]. superius plostrum cessim ire coepit et cum muliones, qui inter duo plostra fuerunt, e medio exissent, posterius plostrum a priore percussum retro redierat et puerum cuiusdam obtriverat: dominus pueri consulebat, cum quo se agere oporteret. respondi in causa ius esse positum: nam si muliones, qui superius plostrum sustinuissent, sua sponte se subduxissent et ideo factum esset, ut mulae plostrum retinere non possint atque onere ipso retraherentur, cum domino mularum nullam esse actionem, cum hominibus, qui conversum plostrum sustinuissent, lege Aquilia agi posse; nam nihilo minus eum damnum dare, qui quod sustineret mitteret sua voluntate, ut id aliquem feriret, veluti si quis asellum cum agitasset non retinuisset, aeque si quis ex manu telum aut aliud quid immisisset, damnum iniuria daret. sed si mulae, quia aliquid reformidassent, ⟨recessissent⟩, et muliones timore permoti, ne opprimerentur, plostrum reliquissent, cum hominibus actionem nullam esse, cum domino mularum esse. quod si neque mulae neque homines in causa essent, sed mulae retinere onus nequissent aut cum coniterentur lapsae concidissent et ideo plostrum cessim redisset atque hi quo conversum fuisset onus sustinere nequissent, neque cum domino mularum neque cum hominibus esse actionem. illud quidem cer*tum esse*[2], quoquo modo res se haberet, cum domino posteriorum mularum agi non posse, quoniam non sua sponte, sed percussae retro redissent.

106. Ibid. § 1 (P. 7, 1). Tabernarius in semita noctu supra lapidem lucernam posuerat: quidam praeteriens eam sustulerat: tabernarius eum consecutus

1 *Flor.* ducerent inter. *inclusa verba a Triboniano addita videntur (Pernice).* 2 *Flor.* certe.

lucernam reposcebat et fugientem retinebat: ille flagello, quod in manu habebat, in quo dolor inerat, verberare tabernarium coeperat, ut se mitteret: ex eo maiore rixa facta tabernarius ei, qui lucernam sustulerat, oculum effoderat: consulebat, num damnum iniuria non vid*ere*tur dedisse, quoniam prior flagello percussus esset. respondi, nisi data opera effodisset oculum, non videri damnum iniuria fecisse, culpam enim penes eum, qui prior flagello percussit, residere; sed si ab eo non prior vapulasset, sed cum ei lucernam eripere vellet, rixatus esset, tabernarii culpa factum videri.

107. D. ibid. § 4 (P. 7, 4). Cum pila complures luderent, quidam ex his servulum, cum pilam percipere conaretur, impulit, servus cecidit et crus fregit: quaerebatur, an dominus servuli lege Aquilia cum eo, cuius impulsu ceciderat, agere potest. respondi non posse, cum casu magis quam culpa videretur factum.

108. D. ibid. pr. (P. 7 pr.). Si ex plagis servus mortuus esset neque id medici inscientia aut domini neglegentia accidisset, recte de iniuria occiso eo agi[tur].

109. D. 9, 2, 29, 4. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 625[d]). Si navis alteram contra se venientem obruisset, aut in gubernatorem aut in ducatorem actionem competere damni iniuriae Alfenus ait: sed si tanta vis navi facta sit, quae temperari non potuit, nullam in dominum dandam actionem.

De pauperie.

110. D. 9, 1, 5. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 6). Agaso cum in tabernam equum deduceret, mulam equus olfecit, mula calcem reiecit et crus agasoni fregit: consulebatur, possetne cum domino mulae agi, quod ea pauperiem fecisset. respondi posse.

cf. Servii responsa 138.

De servo corrupto.

111. D. 11, 3, 16. Alfenus Varus libro secundo Digestorum (P. 10). Dominus servum dispensatorem manumisit, postea rationes ab eo accepit et cum eis non constaret, conperit apud quandam mulierculam pecuniam eum consumpsisse: quaerebatur, possetne agere servi corrupti cum ea muliere, cum is servus iam liber esset. respondi posse, sed etiam furti de pecuniis, quas servus ad eam detulisset.

De noxalibus actionibus.

112. D. 44, 7, 20. Alfenus libro secundo Digestorum (P. 9). Servu*m* non in omnibus rebus sine poena domino dicto audien*tem* esse *debere*, sicuti si dominus hominem occidere aut furtum alicui facere servum iussisset. quare quamvis domini iussu servus piraticam fecisset, iudicium in eum post libertatem reddi oport*ere*. et quodcumque vi fecisset, quae vis a maleficio non abesset, ita oport*ere* poenas eum pendere. sed si aliqua rixa ex litibus et contentione nata esset aut aliqua vis iuris retinendi causa facta esset et ab his rebus facinus abesset, tum non conveni*re* praetorem, quod servus iussu domini fecisset, de ea re in liberum iudicium dare.

cf. Servii responsa 149.

Liber XXXIX.

De captivis?

113. D. 3, 5, 20. Paulus libro nono ad edictum (P. 191). . . Servius respondit, ut est relatum apud Alfenum libro trigensimo nono Digestorum: cum a Lusitanis tres capti essent et unus ea condicione missus, uti pecuniam pro tribus adferret, et nisi redisset, ut duo pro eo quoque pecuniam darent, isque reverti noluisset et ob hanc causam illi pro tertio

quoque pecuniam solvissent: Servius respondit aequum esse praetorem in eum reddere iudicium.

cf. Servii responsa 131.

Liber XL.

Huius fortasse libri fragmentum est quod subieci.

De capite minutis?

114. D. 48, 22, 3. Alfenus libro primo epitomarum (P. 33). Eum, qui civitatem amitteret, nihil aliud iuris adimere liberis, nisi quod ab ipso perventurum esset ad eos, si intestatus in civitate moreretur [hoc est hereditatem eius et libertos et si quid aliud in hoc genere repperiri potest]; quae vero non a patre, sed a genere, a civitate, a rerum natura tribuerentur, ea manere eis incolumia. itaque et fratres fratribus fore legitimos heredes et adgnatorum tutelas et hereditates habituros: non enim haec patrem, sed maiores eius eis dedisse.

cf. Servii responsa 150.

III. Coniectaneorum libri.

Gellius 7, 5, 1 'Alfenus iureconsultus, Servii Sulpicii discipulus, in libro ... Coniectaneorum .. secundo .. inquit'. Coniectaneos Alfeni libros partem esse alterius eiusdem scriptoris operis, scilicet Digestorum, sunt qui putent, inter quos Ioers l. c. 1474; quod aeque displicet atque quod alii coniciunt, Coniectaneos libros non aliud opus esse atque Aufidii Namusae collectionem.

Iurisconsultos easdem res nonnunquam tam in Digestorum libris quam in aliis operibus protulisse constat: exempla praebent inprimis Celsus, qui idem 'Epistularum libro undecimo et Digestorum secundo tractat' (D. 4, 4, 3, 1) vel idem 'libro duodecimo Quaestionum, Digestorum undecimo .. ait' (D. 25, 5, 9, 2) vel 'libro

nono decimo Digestorum, Commentariorum septimo scribit' (D. 34, 2, 19, 6), et hic Alfenus Varus, qui idem tradit 'in libro Digestorum tricesimo et quarto, Coniectaneorum autem secundo'.

Ut Epistularum et Quaestionum, sic etiam Commentariorum et Coniectaneorum libris scriptores singulas quasdam res responsis illustrasse puto, antequam universas certa ratione atque ordine Digestorum libris exponerent. Coniectaneorum nomen id fere significat quod nostrates 'Vermischtes' nuncupant. eodem titulo postea C. Ateius Capito usus est. cf. Krueger p. 146.

Quas res Alfenus Coniectaneis libris tractaverit, non magis scimus quam quot libri fuerint: unum tantum fragmentum a Gellio servatum est.

Gell. 7, 5, 1. Alfenus . . in libro Digestorum tricesimo et quarto, Coniectaneorum autem secundo: *in foedere,* inquit, *quod inter populum Romanum et Carthaginienses factum est, scriptum invenitur* et q. s.

v. supra Digestorum fragm. 92.

---

2. AULUS OFILIUS

Servii Sulpicii Rufi auditor, Ciceronis et Attici amicus, 'Caesari familiarissimus', qui tamen 'in equestri ordine perseveravit' (Pomponius § 44). non modo respondendi munere functus est, sed etiam 'libros de iure civili plurimos et qui omnem partem operis fundarent reliquit' (Pomponius l. l.). inter auditores habuit Q. Aelium Tuberonem, Antistium Labeonem et Ateium Capitonem (Pomponius § 47), Tuberonem post a. 708/46 — nam hic 'transiit a causis agendis ad ius civile, maxime postquam Quintum Ligarium accusavit nec optinuit apud Gaium Caesarem' (Pomponius § 46) —, quo tempore Labeonem vel Capitonem non traditum est; at illum intra a. 697/53 et a. 704/50, hunc intra a. 723/31 et a. 718/36

natum esse viri docti existimant (Pernice: Labeo I, 11), ita ut Aulus Ofilius usque ad Octaviani Augusti tempora vixisse videatur. fortasse inter eos iuris prudentes erat, quos Augustus convocasse dicitur, cum de codicillorum usu quaereret. Inst. 2, 25 pr. Pomponius § 44 Ofilium cum Cascellio et Trebatio comparans illum utroque doctiorem dicit.

Res notatu dignae, quarum in Ofilii fragmentis mentio fit, hae fere sunt: pratum adsidua irrigatione factum (D. 59, 3, 3, 2), lignum paratum ad carbones coquendas atque conficiendas (D. 32, 55, 7), equus castratus (D. 21, 1, 38, 7), servus equitans (D. 9, 2, 9, 3), vascularius aut faber argentarius (D. 34, 2, 39 pr.), acetum exstinguendi ignis causa paratum (D. 33, 9, 3, 5), nummi ad reficiendam navem mutuati (D. 14, 1, 1, 9), quidam qui cum pecunia debeatur, cum debitore decidit et nomen eius vendidit Seio (D. 44, 4, 4, 6), mulier quae divortii tempore res comederit vendiderit donaverit (D. 25, 2, 3, 3), libertas data, 'quando res alienum meum solutum creditoribusve meis satisfactum erit' (D. 40, 7, 39, 1).

Hoc loco epistulam Ciceronis ad Atticum (13, 37, 4) transscribere idoneum est; nam de negotio quodam narrat, quod una cum L. Cornelio Balbo Gaditano et Gaio Vestorio argentario Puteolano Aulus Ofilius et Cicero a. 709/45 tractabant.

Cicero Attico s. — De gladiatoribus, de ceteris quae scribis ἀνεμοφόρητα, facies me quotidie certiorem. velim, si tibi videtur, appelles Balbum et Ofilium de auctione proscribenda. equidem locutus sum cum Balbo. placebat. puto conscripta habere Ofilium omnia; habet et Balbus; sed Balbo placebat, propinquum diem et Romae; si Caesar moraretur, posse diem differri. sed is quidem adesse videtur. totum igitur considera. placet enim Vestorio.

De tutore qui ex pupilli auctione rem emit, Servium dixisse supra p. 191 (fr. 77) vidimus. cf. apochas Pompeianas in Brunsii font. p. 315. 318 et Gai. 4, 126: si argentarius pretium rei quae in auctionem venerit, persequatur,

obicitur ei exceptio, ut ita demum emptor damnetur, si ei res quam emerit tradita est . . . sed si in auctione praedictum est, ne ante emptori ⟨res⟩ traderetur, quam si pretium solverit, replicatione tali argentarius adiuvatur: ‘aut si praedictum est, ne aliter emptori res traderetur, quam si pretium emptor solverit’.

Addo fieri posse ut L. Saufeius, eques Romanus, Attici amicus, idem sit atque Saufeius ille, in cuius navem complures frumentum confudisse Alfenus D. 19, 2, 31 (supra p. 104 sq.) narrat. de nomine Saufeii v. Wilmanns Exempla II, 355.

E prioribus iuris consultis Ofilius et Q. Mucium secutus est (‘Quintus Mucius et Ofilius negaverunt’ D. 33, 9, 3, 9) et Gallum Aquilium (‘Gallus Aquilius Ofilius .. responderunt’ D. 30, 30, 7), inprimis vero Servium Sulpicium (‘negare aiebat Servium . . . hoc idem Ofilium dicere’ Cic. ad fam. 7, 21; ‘Servius Ofilius .. aiunt’ D. 34, 2, 2, 3; ‘Quintus Mucius et Gallus putabant maximam partem . . ., Servius Ofilius minimam’ D. 32, 29, 1; ‘esse Quintus Mucius Gallus .. putant, Servius Ofilius non esse’ D. 40, 7, 39 pr.).

Quod ad Trebatium et Aulum Cascellium, haec notanda sunt: Ofilii Trebatiique de eadem re sententias plerumque consentire videmus (‘Ofilius et Trebatius responderunt’ D. 4, 8, 21, 1; 30, 30, 7; D. 35, 1, 40, 4; ‘Trebatius Ofilius responderunt’ D. 17, 1, 22, 10; ‘Ofilio et Trebatio placuisse’ D. 43, 23, 1; ‘negant .. Ofilius Trebatius’ D. 32, 100, 1; 49, 15, 27. contra ‘Trebatius aiebat . . . Ofilius . . .’ D. 33, 6, 7 pr.); idem de Ofilii Cascelliique sententiis dicendum est (‘Ofilius Cascellius responderunt’ D. 28, 6, 39, 2; ‘Ofilius Cascellius’ D. 33, 4, 6, 1; 33, 6, 7 pr.). itaque tres iuris consulti etiam una nominantur: ‘ex consilio Ofilii Cascellii Trebatii’ D. 28, 6, 39 pr. raro tantum talia legimus: ‘Cascellius putat, Ofilius Trebatius contra’ D. 32, 100, 1 vel ‘Trebatius aiebat . . . Ofilius Cascellius .. putant’ D. 33, 6, 7 pr.

Cum Mucio Ofilius non modo tus et ceras, sed et ligna et carbones ceteraque, quibus penus conficeretur,

penori legato contineri negavit (D. 33, 9, 3, 9); eas res, quas divortii tempore mulier comederit vendiderit donaverit qualibet ratione consumpserit, rerum amotarum iudicio contineri existimavit (D. 25, 2, 3, 3); eum qui ex acervo frumenti modium sustulerit, totius acervi furem esse putavit (D. 47, 2, 21 pr.), denique, si inter nos convenerit, ut quanti Titius rem aestimaverit, tanti sit empta, id negotium emptionem et venditionem esse existimavit (Gai. 3, 140).

Non raro Ofilius rerum appellationem vel verborum significationem definit, ex. gr. 'impensae verbo negat pretium significari' (D. 35, 1, 40, 1), ligni appellatione sarmenta non contineri (D. 32, 55, 4), neque carbonum appellatione lignum ad carbones coquendas atque conficiendas paratum (D. 32, 55, 7), victus vero verbo et vestimenta et stramenta contineri (D. 50, 16, 234, 2), denique definit quid sit fugitivus (D. 21, 1, 17 pr.) et quid intersit inter pulsationem et verberationem (D. 47, 10, 5, 1).

Ofilii sententias afferunt inprimis Antistius Labeo posteriorum libris a Iavoleno epitomatis (libro I D. 28, 6, 39 pr. § 2 P. 164, libro II D. 32, 29, 1 P. 171; 32, 100, 1 P. 173; 33, 4, 6, 1 P. 178; 33, 6, 7 P. 180; 33, 7, 25, 27 P. 182; 34, 2, 39 pr. § 1 P. 185; 35, 1, 40, 1. 2, 41 P. 186, libro III D. 33, 10, 10 P. 191, libro IV D. 40, 7, 39 pr. 1. 4 P. 196, libro V D. 33, 7, 26, 1 P. 215, libro IX D. 49, 15, 27 P. 231), Caelius Sabinus (D. 21, 1, 38, 7) sine dubio in libris ad edictum aedilium curulium (P. 7), Iavolenus Priscus (v. quae de Labeone contuli), Sextus Pomponius et in libris ad Sabinum (libro VI D. 30, 45 pr. P. 498, libro XVI D. 24, 3, 18, 1 P. 628, libro XVII D. 26, 8, 4 P. 648, libro XXVI D. 45, 3, 6 P. 726, libro XXX D. 50, 16, 180, 1 P. 753) et ad Plautium (libro V D. 40, 4, 40, 1 P. 345), Gaius in libris ad XII tabulas (libro II D. 50, 16, 234, 2 P. 429) et in Institutionibus (3, 140), Iulius Paulus et libris ad Sabinum (libro VII D. 25, 2, 3, 3 P. 1774) et ad edictum

praetoris (libro IV D. 47, 10, 23 P. 130, libro VI D. 2, 10, 2 P. 155, libro XXXII D. 17, 1, 22, 10 P. 487, libro XXXIV D. 14, 2, 2, 3 P. 521, libro XLIX D. 39, 3, 2, 10 P. 632; 39, 3, 11, 5 P. 634, libro LIV D. 41, 2, 1, 3 P. 657), Domitius Ulpianus et libris ad Sabinum (libro XIX D. 30, 30, 7 P. 2597[1], libro XXII D. 33, 9, 3, 5. 8. 9 P. 2641, libro XXV D. 32, 55, 1. 4. 7 P. 2679, libro XL D. 47, 2, 21 pr. P. 2858) et ad edictum praetoris (libro V D. 2, 7, 1, 2 P. 269, libro VII D. 2, 9, 1, 1 P. 295, libro XI D. 4, 4, 16, 1 P. 406, libro XIII D. 4, 8, 21, 1 P. 457[b], libro XVIII D. 9, 2, 9, 3 P. 674[b], libro XIX D. 10, 2, 16, 6 P. 633, libro XXVIII D. 14, 1, 1, 9 P. 816, libro LIII D. 39, 3, 1, 5. 21 P. 1285[a]; 39, 3, 3, 2 P. 1285[b], libro LVI D. 47, 10, 5, 1 P. 1337, libro LXVIII D. 43, 8, 2, 39 P. 1503, libro LXX D. 33, 20, 1, 17 P. 1570; 43, 21, 1, 10 P. 1583; 43, 21, 3, 10 P. 1585, libro LXXIX D. 36, 3, 1, 15 P. 1727), Venuleius Saturninus in Interdictorum libris (libro I D. 43, 23, 2 P. 11).

Probant Ofilii sententias inprimis Antistius Labeo ('Ofilius Labeo responderunt' D. 38, 2, 39 pr.; 'Ofilius et Labeo putant' D. 39, 3, 1, 21; 'relatum est apud Labeonem . . . idem et Ofilius respondit' D. 4, 4, 16, 1), Masurius Sabinus ('Ofilius . . dicebat . ., quae sententia et Sabini dicitur' D. 45, 3, 6), Proculus ('Ofilius . ., cuius opinionem Proculus secutus est' Gai. 3, 140, 'Ofilio et Proculo placet' D. 3, 1, 11, 2), Cassius Longinus ('Ofilius dicebat . ., quae sententia et Cassii . . dicitur' D. 45, 3, 6), Sextus Pedius ('Ofilius . . ait, . . quam distinctionem Pedius probat' D. 14, 1, 1, 9), Nerva filius ('Ofilius . . et Nerva filius . . aiunt' D. 41, 2, 1, 3), Titius Aristo ('et Aristo et Ofilius probant' D. 30, 45 pr.), Sextus Pomponius ('Ofilius recte dicebat' D. 45, 3, 6), Iulius Paulus ('verum puto quod Ofilius scribit' D. 39, 3, 2, 10), Domitius Ulpianus ('ego Ofilio adsentio' D. 43, 20, 1, 17).

Improbat Ofilii sententiam unicus Iavolenus ('Ofilius non recte putat' D. 33, 7, 25, 2).

I. Responsa.

Non ipse Ofilius responsa collegit, quae non pauca referuntur a Labeone, Iavoleno, Paulo, Ulpiano, neque ubique a ceteris eius sententiis certo secerni possunt.

De testamentis.

1. D. 28, 6, 39 pr. Iavolenus libro primo ex posteroribus Labeonis (P. 164). Cum ex filio quis duos nepotes impuberes habebat, sed alterum eorum in potestate, alterum non, et vellet utrumque ex aequis partibus heredem habere et, si quis ex his impubes decessisset, ad alterum partem eius transferre: ex consilio Labeonis Ofilii Cascellii Trebatii eum quem in potestate habebat solum heredem fecit et ab eo alteri dimidiam partem hereditatis, cum in suam tutelam venisset, legavit: quod si is, qui in potestate sua esset, impubes decessisset, alterum heredem ei substituit.

2. D. 28, 6, 39, 1. 2. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis (P. 164). Quidam quattuor heredes fecerat et omnibus heredibus praeter unum substituerat: unus ille, cui non erat quisquam substitutus, et ex ceteris alter vivo patre familias decesserant. partem, cui nemo erat substitutus, ad substitutum quoque pertinere Ofilius Cascellius responderunt.

3. Cicero Trebatio s. d. (a. 710/44). Silii causam te docui ... negare aiebat Servium tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is qui factionem testamenti non habuerit; hoc idem Ofilium dicere ... (ad fam. 7,21.)

De legatis.

Legata uxori relicta primum locum obtinent: non solum partitio legata (D. 32, 29, 1) et dos relegata (D. 33, 4, 6, 1) nominatur, sed etiam vinum oleum fru-

mentum acetum mella salsamenta (D. 73, 6, 7), supellex (D. 33, 10, 10) et mundus muliebris uxori legatus (D. 43, 2, 39 pr.).

De fundo legato.

4. D. 35, 1, 40, 4. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 186). Qui dotalem nullum habebat, ita legaverat: 'fundum Cornelianum, quem illa mihi doti dedit, ei heres dato'. Labeo Ofilius Trebatius responderunt fundum nihilo minus legatum esse, quia, cum fundus Cornelianus in rerum natura sit, demonstratio falsa legatum non peremit.

5. D. 35, 1, 40, 1. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 186). Quidam ita legaverat: 'si Publius Cornelius impensam, quam in fundum Seianum feci, heredi meo dederit, tum heres meus Publio Cornelio fundum Seianum dato'. Cascellius aiebat etiam pretium fundi dari debere, Ofilius impensae verbo negat pretium significari, sed eos dumtaxat sumptus, quos in eum posteaquam emptus esset fecit.

De fundi instrumento legato.

6. D. 33, 7, 25, 2. Iavolenum libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 182). ... cum instrumentum omne legatum esset excepto pecore, pastores oviliones, ovilia quoque legato contineri Ofilius ... putat.

De oleo frumento ... uxori legatis.

7. D. 33, 6, 7 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 180). Quidam heredem damnaverat dare uxori suae vinum oleum frumentum acetum mella salsamenta: Trebatius aiebat ex singulis rebus non amplius deberi quam quantum heres mulieri dari voluisset, quoniam non adiectum esset, quantum ex quaque re daretur. Ofilius Cascellius Tubero omne, quantum pater familias reliquisset, legatum putant.

De tritico legato.

8. Ibid. § 1. 'Lucio Titio tritici modios centum, qui singuli pondo centum pendeant, heres dato'. Ofilius nihil legatum esse, ... quoniam eiusmodi triticum in rerum natura non esset.

De supellectili legato.

9. D. 33, 10, 10 .. 2. Iavolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis (P. 191). Qui vestem omnem et res plurium generum supellectilis expenso ferre solitus erat, is uxori supellectilem legaverat ... negabant vestem legato cessuram Labeo Ofilius Cascellius, quia non posset videri vestis appellatione supellectilis contineri.

De argento legato.

10. D. 34, 2, 39 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 185). Cum ita legatum esset: 'argentum, quod domo mea erit cum moriar', Ofilius nec quod depositum a se nec quod commodatum reliquisset argentum legatum videri respondit.

De mundo muliebri legato.

11. D. ibid. § 1. Si uxori mundus muliebris legatus esset, ea tantummodo deberi Ofilius Labeo responderunt, quae ex his tradita utendi causa uxori viro fuissent: aliter enim interpretantibus summam fore captionem, si vascularius aut faber argentarius uxori ita legasset.

De statuis legatis.

12. D. 32, 100, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 173). Duae statuae marmoreae cuidam nominatim, item omne marmor erat legatum: nullam statuam marmoream praeter duas Cascellius putat deberi, Ofilius Trebatius contra.

De dote relegata.

13. D. 33, 4, 6, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 178). . . . ei, quae dotem nullam habebat, vir sic legaverat: 'quanta pecunia dotis nomine' et reliqua, 'pro ea quinquaginta heres dato'. deberi ei legatum Ofilius Cascellius, item et Servii auditores rettulerunt: perinde habendum esse ac si servus alicui mortuus aut pro eo centum legata essent.

De iis, quae sub condicione vel die legata sunt.

14. D. 35, 1, 40, 2. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 186). Quidam Titio centum legaverat, deinde infra ita iusserat: 'quas pecunias cuique legavi, eas heres meus, si mater mea moritur, dato'; mortuo patre familias Titius vixerat et viva matre [familias] decesserat. mortua matre heredibus Titii legatum deberi Ofilius respondit, quoniam non sub condicione esset legatum, sed ante legatum pure, deinde dies solvendi adiecta.

15. D. 30, 30, 7. Ulpianus libro nono decimo ad Sabinum (P. 2597[1]). Hanc .. scripturam ('quas pecunias legavi, quibus dies adpositus non est, eas heres meus annua bima trima die dato') non solum ad praecedentia sola legata, sed ad universa quae testamento adscripta sunt, extendi Gallus Aquillius Ofilius Trebatius responderunt.

De testamento manumissis.

16. D. 40, 7, 39, 1. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis (P. 196). 'Stichus liber esto, quando aes alienum meum solutum creditoribusve meis satisfactum erit.' quamvis heres locuples exstitisset, tamen non prius Stichum liberum futurum, quam creditores pecuniam aut satis accepissent aliove quo modo sibi cavissent, Labeo Ofilius responderunt.

17. D. ibid. § 4. 'Si Stichus Attiae mille nummos dederit, liber esto.' Attia vivo testatore decessit: non posse Stichum liberum esse Labeo Ofilius responderunt.

De tutelis.

18. D. 26, 8, 4. Pomponius libro septimo decimo ad Sabinum (P. 648). ... Ofilio placebat, si eo tutore auctore, qui tutelam non gerat, emam a pupillo sciens alium eius tutelam gerere, dominum me non posse fieri, item si eo auctore emam, qui a tutela fuerit remotus; nec enim id ratum haberi.

De bonorum venditione.

19. D. 17, 1, 22, 10. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 487). Si curator bonorum venditionem quidem fecerit, pecuniam autem creditoribus non solverit, Trebatius Ofilius Labeo responderunt his qui praesentes fuerunt competere adversus eum mandati actionem, his autem qui absentes fuerunt negotiorum gestorum actionem esse.

De receptis.

20. D. 4, 8, 21, 1. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 457[b]). Si arbiter ita pronuntiasset nihil videri Titium debere Seio, tametsi Seium non vetuisset petere, tamen si quid petisset, videri contra sententiam arbitri fecisse, et id Ofilius et Trebatius responderunt.

De in integrum restitutione minorum.

21. D. 4, 4, 16, 1. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 406). ... relatum est apud Labeonem, si minor circumscriptus societatem coierit vel etiam donationis causa, nullam esse societatem nec inter maiores quidem et ideo cessare partes praetoris. idem et Ofilius respondit.

Pomponius § 44 (ex Mommseni recensione) ‘. . . libros de iure civili plurimos et qui omnem partem operis fundarent reliquit. nam de legibus vicensimae primus conscribit, de iurisdictione idem edictum praetoris primus diligenter composuit . . .’ in Iustiniani Digestis praeterea laudantur ‘actionum libri’ (D. 33, 9, 3, 5. 8), ‘iuris partiti libri’ (D. 32, 55, 1, 4. 7) et ‘Ofilius ad Atticum’ (D. 50, 16, 234, 2).

Pomponii verba in mentem revocant ea quae apud eundem § 39 leguntur: ‘. . . Publius Mucius et Brutus et Manilius, qui fundaverunt ius civile’. ceterum illa verba a viris doctis plerisque corrupta habentur, qua de re infra, ubi de singulis Ofilii operibus disseretur, referemus. ante Mommsenum Pomponii verba non ita, uti supra relata sunt, distinguebantur, sed commate ante vocem ‘idem’ posito (‘. . . primus conscribit, de iurisdictione; idem edictum . . . composuit’). cf. Krueger p. 63. at ne Mommseni quidem lectio placet, quippe quae nimis duram verborum coniunctionem habeat. a verbo ‘idem’ novam sententiam incipere negari non debet: itaque post verba ‘de iurisdictione’ quaedam excidisse iudico, ut sic legendum sit: ‘de legibus . . . conscribit, de iurisdictione ⟨. . . . .⟩, idem edictum . . . composuit’. quae verba excidisse putaverim, infra explicabo.

II. Ad edictum praetoris libri . . .

Pomponius § 44 ‘. . . edictum primus diligenter composuit’. „Dass mit ‘edictum componere’ nicht ein von Ofilius erlassenes Edict gemeint war, steht fest; der Zusammenhang deutet auf eine sorgfältigere Bearbeitung des Edicts, als sie bisher erfolgt war; an eine Umordnung desselben im Commentar zu denken, erlauben die folgenden Worte nicht: nam ante eum Servius duos libros ad Brutum perquam brevissimos ad edictum subscriptos reliquit“ Krüger p. 63 n. 38. in eodem Digestorum fragmento vox ‘componere’ saepius occurrit (§ 2 ‘leges sine

ordine latas in unum composuit'. § 5 'ius .. compositum a prudentibus'. § 6 '(legis) actiones compositae sunt'. § 7 'alias actiones composuit'), sed ita ut non offendat. pro 'composuit' potius 'exposuit' legendum videtur. cf. Gai. III, 54 'diligentior interpretatio propriis commentariis exposita est'.

Ofilium libros circa a. 702/52 scripsisse ideo conicere licet, quod Cicero de legib. 1, 5, 17 ait: 'non .. a praetoris edicto, ut plerique nunc, hauriendum iuris civilis disciplinam putas'. quin in interpretando praetoris edicto Servium secutus sit, dubitari nequit: ubicunque Ofilii Serviique sententiae simul proponuntur, illum cum hoc fere consentire vidimus. tantum in D. 43, 20, 1, 17 dubitatio est. ad edicti vero interpretationem pertinet non solum Cic. ad fam. 7, 21, sed fortasse etiam D. 14, 2, 2, 3. cf. Lenel P. 40.

Itaque hoc loco fragmenta collocavi, quae huius loci esse possunt, ordinem edicti a Iuliano compositi secutus.

De iurisdictione municipali.

1. D. 2, 1, 11, 2. Gaius libro primo ad edictum provinciale (P. 56). Si una actio communis sit plurium personarum, veluti familiae erciscundae, communi dividundo, finium regundorum, utrum singulae partes spectandae sunt circa iurisdictionem eius qui cognoscit, quod Ofilio . . . placet, quia unus quisque de parte sua litigat, an potius tota res . . .

Ne quis eum qui in ius vocabitur, vi eximat.

2. D. 2, 7, 1, 2. Ulpianus libro quinto ad edictum (P. 269). Ofilius putat locum hoc edicto non esse, si persona, quae in ius vocari non potuit, exempta est, veluti parens et patronus ceteraeque personae.

Si ex noxali causa agatur.

3. D. 2, 9, 1, 1. Ulpianus libro septimo ad edictum (P. 295). .. praetor ait 'in eadem causa ...'. 'in eadem

causa' quid sit, videamus. . . . si quis ei qui in foro promissoris conveniri non potest, venditur aut potentiori datus sit, magis esse putat (Labeo), ut non videatur in eadem causa esse. sed et si noxae deditus sit, Ofilius non putat in eadem causa sisti, cum noxae deditione ceteris noxalem actionem peremi putat.

De eo per quem factum erit quominus vadimonium sistat.

4. L. 2, 10, 2. Paulus libro sexto ad edictum (P. 155). Si actoris servus domino sciente et cum possit non prohibente dolo fecerit, quo minus *vadimonium*[1] sistam, Ofilius dandam mihi exceptionem adversus dominum ait, ne ex dolo servi dominus lucretur.

De exercitoria actione.

5. D. 14, 1, 1, 9. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 816). . . . quaerit Ofilius, si ad reficiendam navem mutuatus nummos in suos usus converterit, an in exercitorem detur actio. et ait, si hac lege accepit quasi in navem impensurus, mox mutavit voluntatem, teneri exercitorem imputaturum sibi, cur talem praeposuerit, quod si ab initio consilium cepit fraudandi creditoris et hoc specialiter non expresserit, quod ad navis causam accipit, contra esse.

De rebus amotis.

6. D. 25, 2, 3, 3. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1774). . . . Ofilius ait, etiam eas res, quas divortii tempore mulier comederit vendiderit donaverit qualibet ratione consumpserit, rerum amotarum iudicio contineri.

Ne quid in loco publico vel itinere fiat . .

7. D. 43, 8, 2, 39. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum (P. 1503). . . . Ofilius putat eum, qui pro derelicto reliquit id opus quod fecit [si viam publicam corrupit et reliquit], non teneri hoc interdicto [non enim habet quod fecit].

1 *Trib.* in iudicio.

De aqua cottidiana et aestiva.

8. D. 43, 20, 1, 17. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1570). ... quaeritur, si quis aquae, quam hoc anno ducebat, aliam aquam admiscuerit, an impune prohibeatur. et exstat Ofilii (? Servii?) sententia existimantis recte eum prohiberi, sed eo loci, in quo primum aquam aliam in rivum admittit; at Ofilius in tota aqua recte eum prohiberi ait.

De rivis.

9. D. 43, 21, 1, 10. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1583). Si quis terrenum rivum signinum [id est lapideum] facere velit, videri eum non recte hoc interdicto uti, et ita Ofilio videtur.

10. D. 43, 21, 3, 10. Ulpianus ibid. (P. 1585). Si quis eum *ea* portare vehere, quae refectioni necessaria sunt, prohibet, hoc interdictum ei competere Ofilius putat.

De cloacis.

11. D. 43, 23, 2. Venuleius libro primo interdictorum (P. 11). Quamquam de reficienda cloaca, non etiam de nova facienda hoc interdicto comprehendatur, tamen aeque interdicendum Labeo ait, ne facienti cloacam vis fiat, quia eadem utilitas sit; praetorem enim sic interdixisse, ne vis fieret, quo minus cloacam in publico facere liceret, idque Ofilio et Trebatio placuisse.

Legatorum servandorum causa.

12. D. 36, 3, 1, 15. Ulpianus libro septuagensimo nono ad edictum (P. 1727). Procuratori ⟨eius, qui absens esse dicitur, si stipulanti legati nomine spondeat heres, Ofilius ait ita cavere debere, si is, cuius nomine caveat, vivat, videlicet ne teneatur illo ante defuncto.

III. De iurisdictione ⟨aedilium curulium⟩.

Pomponii § 44 verba post 'de. iurisdictione' deleta (supra p. 340) ea fuisse puto quae in libri titulo adieci. Ofilium ad aedilium curulium edictum scripsisse Lenel quoque statuit, sed ita, quasi id iisdem libris fecerit, quos ad praetoris edictum scripsit ('ad edicta praetoris et aedilium curulium'), quod minime probari potest. ad praetorum et ad aedilium curulium edictum vel principum temporibus iurisconsulti separatim libros conscripserunt, ex. gr. ad edictum praetorum Labeo et Masurius Sabinus, ad aedilium curulium edictum Caelius Sabinus. Krueger p. 143 sq. 152. 156. ne ex Hadriani quidem tempore aedilium curulium edictum praetorii pars factum est: Gaius I, 6 'edicta duorum praetorum urbani et peregrini' et 'edicta aedilium curulium' aperte seiungit. posterioribus certe temporibus ad bina edicta simul commentarios scriptos esse traditum est. Krueger p. 86 sq.

Ofilius primus de iurisdictione aedilium curulium libros composuit. post eum de eadem re scripserunt Caelius Sabinus (P. 1—7), Vivianus (Krueger p. 158; cf. P. 1—17, ubi ad edictum praetoris et ad edictum aedilium libri confusi sunt), Sextus Pedius (quem Lenel aeque 'ad edictum praetoris et aedilium curulium' scripsisse putat P. 1—50, at Krueger p. 172 duos commentarios statuit), Gaius (P. 378—388 libris ad edictum provinciale additis), Paulus (P. 832—849 itidem libris ad praetoris edictum additis), Ulpianus (P. 1757—1797 itidem libris ad praetoris edictum additis).

Caelium Sabinum et Ulpianum Ofilii commentariis usos esse apparet (v. infra).

De iumentis vendundis.

Aediles aiunt: 'Qui iumenta vendunt, palam recte dicunto, quid in quoque eorum morbi vitiique sit . . .' elogium huic edicto subiectum est, cuius verba haec sunt: 'Quae de iumentorum sanitate diximus, de cetero quoque pecore omni venditores faciunto'. D. 21, 1, 38 pr. § 5.

Ofilii sententiae, quae hac de re traduntur, tantum ad equum venditum pertinent. de equo etiam in lege Aquilia explicanda Ofilium scribere moneo (D. 9, 2, 9, 3).

1. D. 21, 1, 38, 7. Idem (Ulpianus) libro secundo ad edictum aedilium curulium (P. 1792). ... idem (Caelius Sabinus) refert Ofilium existimasse equum castratum sanum esse [sicuti spado quoque sanus est], sed si emptor ignoravit, venditor scit, ex empto esse actionem.

2. D. 21, 1, 8. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1760[d]). Si cui lingua abscisa sit, an sanus esse videatur, quaeritur. et exstat haec quaestio apud Ofilium relata apud eum in equo: ait enim hunc videri non esse sanum.

De mancipiis vendundis.

In edicto aedilium curulium, qua parte de mancipiis vendundis cautum est, scriptum sic fuit: 'Titulus scriptorum singulorum scriptus sit, curato ita, ut intellegi recte possit, quid morbi vitiive cuique sit, quis fugitivus errove sit noxave solutus non sit'. Gell. 4, 2, 1.

3. D. 21, 1, 8. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1760[e]). Ofilius ait, si homini digitus sit abscisus membrive quid laceratum, quamvis consanaverit, si tamen ob eam rem eo minus uti possit, non videri sanum esse.

4. D. 21, 1, 17 pr. Ulpianus ibid. (P. 1761[a]). Quid sit fugitivus, definit Ofilius: fugitivus est, qui extra domini domum fugae causa, quo se a domino celaret, mansit.

IV. Iuris partiti libri ...

Ab unico Ulpiano, ab eo vero plus semel hi libri laudantur (D. 32, 55, 1: 'Ofilius quoque libro quinto iuris partiti ita scripsit'. ibid. § 4: 'Ofilius libro quinto iuris partiti'). librorum nomen in memoriam revocat tam Sexti Aelii Tripertita (supra p. 15) quam verba quibus Ulpianus in Institutionibus (D. 1, 1, 1, 1) utitur: 'privatum ius

tripertitum: collectum etenim est ex naturalibus praeceptis aut gentium aut civilibus'. alia ratione Cicero de legib. 3, 6 'magistratus partiti iuris' dicit.

Karlowa I, 486 haec ait: 'Der Titel ius partitum deutet, wie mit Recht gesagt ist, auf ein systematisches Werk, eine systematische Bearbeitung des ius civile hin: er erinnert an die seit Q. Mucius verfolgten Bestrebungen, das ius civile zu einer ars auszugestalten'. equidem potius utrumque ius, legitimum et praetorium, his libris Ofilium explicasse putaverim: nam ius quo populus Romanus illis temporibus utebatur, ita partitum fuisse notum est. cf. Gai. 4, 34: 'is qui ex edicto bonorum possessionem petiit, ficto se herede agit. cum enim praetorio iure, non legitimo succedat in locum defuncti, non habet directas actiones . . .'. 3, 32: 'quos . . praetor vocat ad hereditatem, hi heredes ipso quidem iure non fiunt; nam praetor heredes facere non potest . . . sed cum eis praetor ⟨dat bonorum possessionem⟩, loco heredum constituuntur'. 3, 82: 'sunt . . etiam alterius generis successiones. quae neque lege XII tabularum neque praetoris edicto . . . introductae sunt'. 3, 71: 'sive de iure civili quaeramus, sive de edicto praetoris . . .'

Itaque his libris similem rem Ofilium tractasse puto atque actionum libris tractavit: ea enim aetate praetorii edicti decreta maximi momenti fuisse traditum est. Krueger p. 30 sqq. legum perpetuarum iussus cum legis annuae decretis coniungere iam eorum qui de iure scribebant, officium erat. iuris partiti libros ergo iuris utriusque libros fuisse puto.

Qui librorum numerus fuerit, nescimus: quintus tantum liber laudatur, isque aeque legata tractat atque actionum liber decimus quintus. sed etiam de iisdem rebus legatis in utroque libro sermo est, scilicet de ligno et de carbonibus; at actionum libro 'ligna et carbones ceteraque, per quae penus conficeretur, an penori legato contineantur quaeritur', iuris partiti vero libro Ofilius de eo disserit, 'cui ligna legata sunt'.

Errant qui secundum quoque iuris partiti librum citari putant: 'idem' enim, quem 'libro secundo' arbores nondum concisas ei legatas esse Ulpianus (D. 32, 55, 2) negare dicit, cui ligna legata sint, non Ofilius est, quod vel Lenel P. 19 statuit, sed Q. Mucius.

In libris enim, quos Ulpianus ad Sabinum scripsit, a decimo quinto usque ad vicesimum quintum, in quibus de legatis sermo est (P. 2531—2682), et Q. Mucius non raro laudatur (P. 2575[b]. 2595. 2606, 9. 2641. 2679) et liber eius secundus iuris civilis bis (P. 2641. 2679). prius fragmentum ex Ulpiani libro XXII, posterius ex libro XXVIII desumptum est; illud de penu legata, hoc de ligno legato est. 'ligna et carbones ceteraque per quae penus conficeretur, an penori legato contineantur', a veteribus quaerebatur, 'et Quintus Mucius et Ofilius negaverunt' (D. 33, 9, 3, 9 Ulpian. P. 2641).

P. 2679 vero haec adduntur: 'ligni appellatio nomen generale est ... et Quintus Mucius libro secundo refert ... (1) Ofilius quoque libro quinto iuris partiti ita scripsit ... (2) Idem libro secundo negat ... (7) si lignum sit paratum ad carbones coquendas atque conficiendas, ait Ofilius libro quinto iuris partiti carbonum appellatione huiusmodi materiam non contineri; sed an lignorum?'

Qui ad librum XXII et P. 2641 respiciet, haec Ulpiani verba inveniet: 'Qui penum legat quid legato complectatur, videamus. et Quintus Mucius scribit libro secundo iuris civilis . . . idem Sabinus . . scribit . . . (§ 5) Penori acetum quoque cedere nemo dubitat . . . et ita Ofilius libro sexto decimo actionum scribit ... (§ 6) . . Q. Mucius ... (§ 8) . . et Ofilius scribit libro sexto decimo actionum. (§ 8) ligna et carbones ... quaeritur. et Quintus Mucius et Ofilius negaverunt ...'

Itaque Quinti Mucii librum secundum quasi normam Ulpianus sequitur, ut de rebus cum penore connexis disputet, non modo in libro XXII sed etiam in libro XXV scribendo. Ofilius secundum demum locum in Ulpiani commentariis obtinet: 'Quintus Mucius ... refert. Ofilius

quoque ... scripsit' (P. 2679). itaque vox 'idem' quae sequitur non ad Ofilium, sed ad Q. Mucium referri debet, nec pro 'libro secundo' cur potius 'libro quinto' legamus ulla causa est. accedit, quod si Ulpianus re vera Ofilium designare voluisset, non libro quinto, sed eodem libro scripsisset; id enim certo indicant exempla ex eisdem libris ad Sabinum desumpta haec: D. 7, 1, 25 (P. 2587) § 1 'Iulianus .. libro XXXV Digestorum scripsit'. § 5 'Idem Iulianus eodem libro scripsit'. D. 33, 7, 12 (P. 2611) § 30 'Celsus .. libro XIX Digestorum'. § 31 'Idem Celsus eodem libro ait'. § 33 'Papinianus quoque'. § 43 'Papinianus eodem libro Responsorum ait'. D. 30, 49, 7 (P. 2654[b]) 'Iulianus libro XXXIX Digestorum'. D. 34, 3, 5 (P. 2655) pr. 'Iulianus ibidem scripsit'. § 1 'Iulianus eodem libro scripsit' aliaque. itaque cum P. 2679 legatur 'Ofilius libro quinto iuris partiti scripsit', sequenti § 2 'idem libro quinto negat' Ulpianus non scripsisset.

Sententiam in Quinti Mucii iuris civilis fragmenta non recepisse me piget: D. 32, 55 pr. sub rubrica 'de ligno legato' ponere debebam (cf. p. 73).

Liber V.

De ligno legato.

1[a]. D. 32, 55, 1, 1. Ulpianus libro vicensimo quinto ad Sabinum (P. 2679). Ofilius .. libro quinto iuris partiti ita scripsit, cui ligna legata sunt, ad eum omnia ligna pertinere, quae alio nomine non appellantur, veluti virgae carbones nuclei olivarum, quibus ad nullam rem nisi ad comburendum possit uti, sed et balani vel si qui alii nuclei.

1[b]. D. 50, 16, 167. Ulpianus libro vicensimo quinto ad Sabinum (P. 2679). Carbonum appellatione materiam non contineri, sed an lignorum? et fortassis quis dicet nec lignorum ... sed et .. alia ligna cocta ne fumum faciant utrum ligno an carboni an

suo generi adnumerabimus? ... idem et de nucleis olivarum, sed et de balanis est vel si qui alii nuclei.

1[c]. D. 32, 55, 1, 4. Ulpianus ibid. Si lignum sit paratum ad carbones coquendas atque conficiendas, ait Ofilius libro quinto iuris partiti carbonum appellatione huiusmodi materiam non contineri.

2. D. § 7. Ulpianus ibid. Ofilius libro quinto iuris partiti scripsit nec sarmenta ligni appellatione contineri.

V. Actionum libri XVI...

Actionum libri citantur ab Ulpiano libris ad Sabinum (D. 33, 9, 3, 5 'Ofilius libro sexto decimo actionum scribit'. ib. § 8 'Ofilius scribit libro sexto decimo actionum'). ante Ofilium eiusdem argumenti libros fortasse scripserunt M'. Manilius (supra p. 26 sq.) et Hostilius (supra p. 41), post Ofilium certe Venuleius Saturninus (P. 1—6). qui huius operis fragmenta inspiciet, Venuleium non de formulis, sed de contractibus et testamentis egisse, et secundo demum loco iuris civilis, primo vero iuris honorarii negotia explicasse videbit. Ofilii librorum indolem definire ideo vix licet, quod unum tantum fragmentum ex libro XVI desumptum affertur: id vero manifestum est, in Ofilii aeque atque in Saturnini libris legata tractata esse. qui ergo iam Servium Sulpicium praetoris edictum explicasse consideraverit, Ofilium principem Servii discipulum in actionibus explicandis non modo civilium, sed etiam honorariarum actionum rationem habuisse veri dissimile non putabit. itaque cum Ofilius extremo demum opere de legatis egerit, de honorariis negotiis similiter atque Venuleius prioribus libris scripsisse putandus est.

Liber XVI.

De penu legata.

1. D. 33, 9, 3, 8. Ulpianus libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 264). Sive autem frumentum sive

Actionum libri.

Venuleii Saturnini libri X	M'. Manilii libri III? VII? (v. supra p. 25 sq.)	Auli Ofilii libri XVI...
liber IV de precario.		
	incerto libro: de iumentis et pecudibus vendundis.	incerto libro: de iumentis vendundis.
liber V de mancipiis vendundis.	. . . .	incerto libro: de mancipiis vendundis.
liber VII de libertorum operis.		
liber VIII de praetoriis stipulationibus.	. . . .	libro incerto: de stipulatione legatorum servandorum causa.
liber X de legatis	incerto libro: de mulierum legatis	liber XVI de legatis.
	incerto libro: de furtis?	

quid leguminis in cella penuaria habuit, penori legato continebitur, sed et hordeum sive familiae sive iumentorum gratia, et ⟨ita⟩ Ofilius scribit libro sexto decimo actionum.

cf. ibid. 11: nec frumenti nec leguminum thecae .. vel si qua alia sunt, quae horrei penuarii vel cellae penuariae instruendae gratia habentur, non continebuntur. Paul. S. R. III, 6, 78: Frugibus legatis tam legumina quam hordeum .. continentur.

2. D. ibid. § 9. Idem et tus et ceras contineri negaverunt (sc. Quintus Mucius et Ofilius).

cf. supra p. 75.

3. D. ibid. § 5. Penori acetum quoque cedere nemo dubitat, nisi exstinguendi ignis causa fuit paratum. tunc enim esui potuique non fuit et ita Ofilius libro sexto decimo actionum scribit.

cf. D. 34, 2, 19, 9. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2606). 'Argento facto legato Quintus Mucius ait vasa argentea contineri, veluti .. acetabula ...' v. supra p. 77. D. 33, 6, 7, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. 'Quidam heredem damnaverat dare uxori suae .. acetum ...'

4. D. ibid. § 9. Ligna et carbones ceteraque per quae penus conficeretur, an penori legato contineantur, quaeritur. et Quintus Mucius et Ofilius negaverunt: non magis quam molae, inquiunt, continentur.

VI. Ad leges vicensimae ⟨libertatis et hereditatium⟩ libri ...

Pomponius 44: 'de legibus vicensimae primus conscribit'. pro 'vicensimae primus' potius 'XX libros' legendum esse censet Huschke (Z. f. gesch. RW. XV, 195), quem inter alios viros doctos sequitur Lenel (Pal. I col. 798 n. 3). at cum Mommseno tradita verba mutare nolo, quamquam etiam Krueger p. 63 n. 37 ea depravata esse putat.

Ofilium 'de iure civili plurimos libros et qui omnem partem operis fundarent' reliquisse Pomponius l. c. tradit. itaque eum etiam ad illas leges libros scripsisse nihil est quod miremur: vel Caracallae vel Alexandri tempore Aemilium Macrum 'ad legem vicensimam hereditatium' libros duos scripsisse notum est (P. 45—49). eum autem primum hanc rem tractavisse, non modo nullum indicium est, sed refellitur ipsius verbis his (D. 35, 2, 68): 'quidam putant ... *vicensimam* non posse retineri, ... quod Ulpianus recte improbat'. Pomponii vero verba 'leges vicensimae' explicantur iis quae apud Gaium (3, 125) leguntur 'lege ⟨Iulia de⟩ vicesima hereditatium'. cf. Vat. fr. 197 (Ulp.): '. . lege Iulia de maritandis ordinibus ... et publicorum (sc. iudiciorum) kapite XXVI et privatorum kapite vicensimo VII .. cavetur'. exigebatur vicensima, ut videtur, ab herede, qui legatariis eam deducebat eove nomine satis accipiebat. eo pertinere Lenel (Pal. in Aemilio Macro 49 n.) conicit satisdationes, quarum mentio fit apud Gaium l. l. 'lege ⟨Iulia de⟩ vicesima hereditatium cavetur, ut ad eas satisdationes quae ex ea lege proponuntur, lex Cornelia non pertineat'.

Ofilium tam legem de vicensima hereditatium, id est legem Voconiam (Bachofen Ausgewählte Lehren des röm. Civilrechts S. 322 ff.), quam legem de vicensima manumissionis a Cn. Manlio latam (Marquardt Staatsverwaltung II^2 S. 161 f. Hirschfeld Verwaltungsgeschichte I S. 88) libris suis tractasse puto. Bachofen, qui l. c. p. 326 scribit: „Es wird .. berichtet, dass Ofilius zu den Gesetzen über die Erbschaftssteuer Commentare geschrieben habe; unter diesen Gesetzen wären nun keine andern zu verstehen, als das Voconische und das von Cäsar selbst entworfene", id certe mirum esse iudicat: „dass über zwei Gesetze sollte commentirt worden sein, wovon das eine längst ausser Gebrauch, das andere aber jedenfalls erst ein Entwurf war" (p. 327). at quae ipse supponit, non placent: non modo de vicensima hereditatium, quam Iulius Caesar instaurare sibi proposuerat (Bachofen l. c. p. 326),

sed etiam de vicensima manumissionum Ciceronis temporibus (a. 695/59) a civibus soluta (ad Att. 2, 16, 1 'portoriis Italiae sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum praeter vicesimam?') Ofilius scripsit, fortasse demum post a. 759/6, quo Octavianus aerarium militare condidit.

Verba titulo addita a Triboniano ideo deleta esse puto, quod utraque vicensima iam Diocletiani temporibus abolita fuerit. Hirschfeld a. a. O. p. 68 et 71. in Macri fragmento D. 35, 2, 68 P. 49 vel vocis 'vicensimae' loco 'Falcidia' posita est.

Librorum fragmenta nulla exstant.

VII. Ad Atticum.

'Ad Atticum' libri a Gaio libris ad XII tabulas nominati fortasse iidem sunt atque actionum vel iuris partiti vel de legibus vel ad edictum praetoris vel de iurisdictione aedilium curulium libri. cf. Servii Sulpicii ad edictum libri duo ad Brutum subscripti supra p. 229. Lenel de legibus libros ad Atticum scriptos fuisse conicit, quod verbum a Gaio loco illo (v. infra) explicatum in XII tabulis occurrat. sed cum quaestio diiudicari nequeat, cautius videtur hunc quoque libri titulum seorsum exhibere, praesertim cum facile ad opus aliquod deperditum pertinere possit.

D. 50, 16, 234, 2. Gaius libro secundo ad leges XII tabularum (P. 429). Verbum 'vivere' quidam putant ad cibum pertinere, sed Ofilius ad Atticum ait his verbis et vestimenta et stramenta contineri, sine his enim vivere neminem posse.

VIII. Incertorum operum fragmenta.

Hoc loco eas Ofilii sententias collocavi, quae ex libris quidem eius certe desumptae sunt, sed quibusnam ex libris cognosci nequit.

De legatis.

De partitione legata.

1. D. 32, 29, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 171). Cum ita legatum esset, ut Titia uxor mea tantandem partem habeat (capiat?) quantulam unus heres, si non aequales partes essent heredum, Quintus Mucius et Gallus putabant maximam partem legatam esse, quia in maiore minor quoque inesset, Servius Ofilius minimam, quia cum heres dare damnatus esset, in potestate eius esset, quam partem daret.

De supellectili et instrumento legato.

2. D. 33, 7, 26, 1. Idem (Iavolenus) libro quinto ex posterioribus Labeonis (P. 215). Molas manuarias quidem supellectilis, iumentarias autem instrumenti esse Ofilius ait.

cf. supra p. 173 (fr. 20) et p. 182 (fr. 44).

De ancillis legatis.

3. D. 30, 45 pr. Pomponius libro sexto ad Sabinum (P. 498). Si a substituto pupilli ancillas tibi legassem easque tu a pupillo emisses et antequam scires tibi legatas esse alienaveris, utile legatum esse Neratius et Aristo et Ofilius probant.

De testamento manumissis.

4. D. 40, 4, 40, 1. Pomponius libro quinto ex Plautio (P. 345). ... cum sub condicione servo libertas per fideicommissum detur et ipse praesenti die daretur, non aliter *mancipare*[1] eum cogetur, quam ut caveatur existente condicione libertati eum restitutum iri; nam in omnibus fere causis fideicommissas libertates pro directo datis habendas. sed Ofilius aiebat, si adimendi legati causa fideicommissam libertatem testator dedisset, ea vera esse, si vero onerari here-

1 *Trib.* trádere.

dem a testatore legatarius ostenderit, aestimationem nihilo minus legatario praestandam.

Familiae erciscundae.

5. D. 10, 2, 16, 6. Ulpianus libro nono decimo ad edictum (P. 633). . . . si servus hereditarius propriam rem heredum unius subripuerit, Ofilius ait esse familiae erciscundae actionem et communi dividundo furtique actionem cessare. quare agentem familiae erciscundae iudicio consecuturum, ut aut ei servus adiudicetur aut litis aestimatio in simplum offeratur.

De iure dotium.

6. D. 24, 3, 18, 1. Pomponius libro sexto decimo ad Sabinum (P. 628). Ofilius .. aiebat, si dolo mariti res dotalis interisset et alioquin solvendo non esset, quamvis nihil dolo fecisset, quo minus solvendo esset, perinde tamen eum damnandum eius rei dotalis nomine in qua dolum fecisset, atque si dolo eius factum esset, quo minus facere possit. [ceterum si circa interitum rei dotalis dolus malus et culpa mariti absit, actiones solas, quas eo nomine quasi maritus habet, praestandas mulieri, veluti furti vel damni iniuriae.]

Inclusa verba Ofilii non videri A. Pernice monet.

De tutela.

7. D. 41, 2, 1, 3. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 657). Ofilius .. et Nerva filius etiam sine tutoris auctoritate possidere incipere posse pupillum aiunt: eam enim rem facti, non iuris esse.

De adquirendo rerum dominio?

8. D. 50, 16, 180, 1. Pomponius libro trigensimo ad Sabinum (P. 753). Ofilius ait tugurium a tecto tamquam tegularium esse dictum, ut toga, quod ea tegamur.

Damni infecti.

9. D. 39, 3, 3, 2. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285[b]). Si vicinus, qui arvum solebat certo tempore anni rigare, pratum illic fecerit coeperitque adsidua irrigatione vicino nocere, ait Ofilius neque damni infecti neque aquae pluviae arcendae actione eum teneri [nisi locum complanavit eoque facto citatior aqua ad vicinum pervenire coepit].

Inclusa verba A. Pernice recte eicit.

Aquae pluviae arcendae.

10. D. 39, 3, 1, 5. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285). Ofilius .. ait sulcos agri colendi causa directos ita, ut in unam pergant partem, ius esse facere.

11. D. 39, 3, 1, 21. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285). Sicut .. opus factum, ut aqua pluvia mihi noceat, in hanc actionem venit, ita per contrarium quaeritur, an posset aquae pluviae arcendae agi, si vicinus opus fecerit, ne aqua, quae alioquin decurrens agro meo proderat, huic prosit. Ofilius igitur et Labeo putant agi non posse, etiamsi intersit mea ad me aquam pervenire: hanc enim actionem locum habere, si aqua pluvia noceat, non si non prosit.

12. D. 39, 3, 2, 10. Paulus libro quadragensimo nono ad edictum (P. 632). Ofilius scribit, si fundus tuus vicino serviat et propterea aquam recipiat, cessare aquae pluviae arcendae actionem.

De doli mali exceptione.

13. D. 44, 4, 4, 6. Ulpianus libro septuagensimo sexto ad edictum (P. 1678[b]). ... si is, cui pecunia debeatur, cum debitore decidit et nomen eius vendidit

Seio, cui debitor mandaverat, ut nomen emeret, deque ea re emptor stipulatus est, deinde creditor eam pecuniam retinet, quam per iudicem abstulit, an emptor ex stipulatu possit experiri? et Ofilius putat, si venditor nominis paratus non sit reddere, quantum ab emptore acceperit, non nocituram exceptionem doli mali.

Locati conducti (ad legem Rhodiam?).

14. D. 14, 2, 2, 3. Idem (Paulus) libro trigensimo quarto ad edictum (P. 521). Si navis a piratis redempta sit, Servius Ofilius Labeo omnes conferre debere aiunt; quod vero praedones abstulerint, eum perdere cuius fuerint, nec conferendum ei, qui suas merces redemerit.

Ad legem Aquiliam.

15. D. 9, 2, 9, 3. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 614[b]). Si servum meum equitantem concitato equo effeceris in flumen praecipitari atque ideo homo perierit, in factum esse dandam actionem Ofilius scribit, quemadmodum si servus meus ab alio in insidias deductus, ab alio esset occisus.

De iniuriis.

16. D. 47, 10, 5, 1. Ulpianus libro quinquagensimo sexto ad edictum (P. 1337). Inter pulsationem et verberationem hoc interest, ut Ofilius scribit: verberare est cum dolore caedere, pulsare sine dolore.

17. D. 47, 10, 23. Paulus libro quarto ad edictum (P. 130). Qui in domum alienam invito domino introiret, quamvis in ius vocat, actionem iniuriarum in eum competere Ofilius ait.

---

3. Q. AELIUS TUBERO

filius L. Aelii Tuberonis, qui a. 693/61 Q. Ciceronis legatus fuit in Asia et bello civili orto Pompeium secutus Africam provinciam obtinere frustra conatus est. adolescens ingenio studiisque excellens a. 708/46 Q. Ligarium accusavit a Cicerone feliciter defensum (Teuffel-Schwabe § 179, 42). ex hoc tempore Tuberonem a causis agendis ad ius civile transiisse et Ofilio operam dedisse Pomponius § 46 narrat. iuris consultus non modo multus fuit in respondendo, sed etiam libros conscripsit 'iuris publici et privati complures' 'sermone antiquo usus' (Pomponius l. c.). num idem 'Tubero' sit qui cum 'Maximo' quodam senatusconsulti a. 743/11 de Flaminica Diali facti (Gai. 1, 136) auctor fuit, nescimus. de septimi saeculi Q. Aelio Tuberone iuris consulto v. supra p. 42.

Auditorem habuit Ateium Capitonem (Pomponius § 47).

Tuberonis orationem contra Ligarium habitam Quintilianus laudat (10, 1, 23. 11, 1, 80), Ciceronis vero pro Q. Ligario Pomponius § 46.

Cum Tuberonis fragmenta pauca tantum afferantur, notatu dignae res rarae sunt. inveniuntur autem hae: pecus quod fundus sustinere potest (D. 33, 7, 25 pr.), lapidicinae (D. 18, 1, 77), aurum factum (D. 34, 2, 32, 1), hospes (D. 7, 8, 2, 1).

Servii Sulpicii sententias Tubero partim probat ('Servius putabat ..., denique Tubero ait' D. 19, 1, 13, 30), partim improbat ('Servius fatetur ... id Tubero parum sibi liquere ait' D. 33, 10, 7, 2). uno tantum loco idem atque Ofilius et Cascellius putare dicitur: omnes a Trebatio dissentiunt ('Trebatius aiebat ... Ofilius Cascellius Tubero putant' D. 33, 6, 7). definitiones quoque novas dedit ut supellectilis (D. 33, 10, 7, 1) et peculii (D. 15, 1, 5, 4).

Tuberonem laudant inprimis Labeo posteriorum (v.

infra Iavolenum) et Iuventius Celsus Digestorum libris (libro VI 'peculium .. Tubero .. sic definit, ut Celsus libro VI Digestorum refert' D. 15, 1, 5, 4 P. 62, libro XV D. 32, 43 P. 116b, libro XVIII: maritum cui domus usus relictus est 'posse hospitem quoque recipere .. libro octavo decimo Digestorum scripsit Celsus, quam sententiam Tubero probat' D. 7, 8, 2, 1 P. 154, libro XIX D. 33, 10, 7, 1. 2 P. 168, libro XXXVIII 'Celsus libro trigensimo octavo Digestorum refert Tuberonem existimare' D. 45, 1, 72 pr. P. 269), Iavolenus Priscus in libris quos ex Labeonis posterioribus fecit (libro II 'Labeo putat .., sed Tubero .. putat' D. 32, 29, 4 P. 171; 'Trebatius aiebat ... Ofilius Cascellius Tubero .. putant' D. 33, 6, 7 P. 180; 'putat Tubero ... Labeo contra' D. 33, 7, 25 pr. P. 182, libro IV 'Tubero respondit, Labeo ..' D. 18, 1, 77 P. 198), Iulius Paulus libris ad Vitellium (libro II 'Tubero .. ait' D. 34, 2, 32, 1 P. 2074b), Domitius Ulpianus et libris ad Sabinum (libro XVII 'Tubero probat' D. 7, 8, 2, 1 P. 2575) et ad edictum praetoris (libro XX 'Celsus .. refert Tuberonem existimasse' D. 45, 1, 72 pr. P. 643, libro XXXI 'Tubero .. definit, ut Celsus .. refert' D. 15, 1, 5, 4 P. 852, libro XXXII 'Tubero ait' D. 19, 1, 13, 30 P. 935, libro LIII 'Tubero ait' D. 39, 3, 1 pr. P. 1285).

Tuberonis sententiae probantur vel improbantur a Labeone ('Ofilius Cascellius Tubero .. putant; Labeo id probat' D. 33, 6, 7 Iavol. P. 180; 'putabat Tubero .., Labeo contra' D. 33, 7, 25 pr. Iavol. P. 182; 'Labeo putat, sed Tubero .. putat' D. 32, 29, 4 Iavol. P. 171; 'Tubero respondit, Labeo ..' D. 18, 1, 77 Iavol. P. 198), a Iuventio Celso ('Tubero .. definit ..., quam Tuberonis sententiam et ipse Celsus probat' D. 15, 1, 5, 4 P. 62; 'Celsus .. refert Tuberonem existimasse ..., secundum quem Celsus ait' D. 45, 1, 72 pr. P. 269; Celsus '... scripsit, quam sententiam et Tubero probat' D. 7, 8, 2, 1 P. 154; 'etsi magnopere me Tuberonis et ratio et auctoritas movet, non tamen a Servio dissentio' D. 33, 10, 7 P. 168), a Iavoleno Prisco ('Tube-

ronis sententiam voluntati defuncti magis puto convenire' D. 32, 29, 4 P. 174, 'Ofilius Cascellius Tubero .. putant; Labeo id probat idque verum est' D. 33, 6, 7 P. 180).

I. Responsa.

Non ipse collegit, sed Labeo, ut videtur. cf. D. 32, 29, 4; D. 33, 6, 7; D. 33, 7, 25 pr.; D. 18, 1, 77.

De legatis.

De fundi instrumento legato.

1. D. 33, 7, 25 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 182). Fundi instrumento legato id pecus cedere putabat Tubero, quod is fundus sustinere potuisset.

De vino oleo frumento aceto mellibus salsamentis legatis.

2. D. 33, 6, 7. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 180). Quidam heredem damnaverat dare uxori suae vinum oleum frumentum acetum mella salsamenta. Trebatius aiebat ex singulis rebus non amplius deberi, quam quantum heres mulieri dare voluisset, quoniam non adiectum esset, quantum ex quaque re daretur. Ofilius Cascellius Tubero omne, quantum pater familias reliquisset, legatum putant.

De supellectili legato.

3. D. 33, 10, 7, 1. 2. Celsus libro *decimo* nono Digestorum (P. 168). Tubero hoc modo demonstrare supellectilem temptat: instrumentum quoddam patris familiae rerum ad cottidianum usum paratarum, quod in aliam speciem non caderet, ut verbi gratia penum argentum vestem ornamenta instrumenta agri aut domus.

Servius fatetur sententiam eius qui legaverit aspici oportere in quam rationem ea solitus sit referre, ve-

rum si eá, de quibus non ambigeretur, quin in alieno genere essent, ut puta escarium argentum aut paenulas et togas supellectili quis adscribere solitus sit, non idcirco existimari oportere supellectili legata ea quoque contineri; non enim ex opinionibus hominum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere. id Tubero parum sibi liquere ait: *nam quorsum nomina*, inquit, *nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis? equidem non arbitror quemquam dicere, quod non sentiret, ut maxime nomine usus sit, quo id appellari solet; nam vocis ministerio utimur. ceterum nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit.*

De auro legato.

4. D. 34, 2, 32, 1. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 2074b). Auro facto adnumerantur ... Tubero autem, quod testator auri numero habuisset, legatum deberi ait: alioquin aurata et inclusa vas*is*[1] alterius materiae auri numero non habenda.

De domus usu relicto.

5. D. 9, 8, 2, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2575). Domus usus relictus est aut marito aut mulieri: si marito, potest illic habitare non solus, verum cum familia quoque sua. an et cum libertis, fuit quaestionis, et Celsus scripsit, et cum libertis, posse hospitem quoque recipere, nam ita libro octavo decimo Digestorum scripsit, quam sententiam et Tubero probat.

De dote legata.

6. D. 32, 43. Celsus libro quinto decimo Digestorum (P. 116b). Si filiae pater dotem arbitratu tutorum dari iussisset, Tubero perinde hoc habendum ait ac si viri boni arbitratu legatum sit.

1 *Fl.* vasa.

De peculio legato.

7. D. 15, 1, 5, 4. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 852). Peculium . . Tubero . . sic definit, ut Celsus libro sexto Digestorum refert, quod servus domini permissu separatim a rationibus dominicis habet deducto inde si quid domino debetur.

De fundo manumissis legato.

8. D. 32, 29, 4. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 171). 'Si Stichus et Dama servi mei in potestate mea erunt cum moriar, tum Stichus et Dama liberi sunto et fundum illum sibi habento.' si alterum ex his post testamentum factum dominus alienasset vel manumisisset, . . . Tubero eum, qui remansisset in potestate, liberum futurum et legatum habiturum putat.

cf. Gai. 2, 103: Per vindicationem hoc modo legamus . . .; item, ut magis visum est, si ita legatum fuerit 'sumito' vel ita 'sibi habeto' . . aeque per vindicationen legatum est.

Aquae pluviae arcendae.

9. D. 39, 3, 1 pr. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285). Aquam pluviam dicimus, quae de caelo cadit atque imbre excrescit, si . . per se haec aqua caelestis noceat, ut Tubero ait.

De stipulationibus.

10. D. 45, 1, 72 pr. Ulpianus libro vicensimo ad edictum (P. 643). Stipulationes non dividuntur earum rerum, quae divisionem non recipiunt, veluti viae itineris actus aquae ductus ceterarumque servitutium. idem puto et si quis faciendum aliquid stipulatus sit . . . Celsus . . libro trigensimo octavo Digestorum refert Tuberonem existimasse, ubi quid fieri stipulemur, si non fuerit factum, pecuniam dari oportere ideoque etiam in hoc genere dividi stipulationem.

De emptione venditione.

11. D. 18, 1, 77. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis (P. 198). In lege fundi vendundi lapidicinae in eo fundo ubique essent exceptae erant, et post multum temporis in eo fundo repertae [erant lapidicinae]. eas .. venditoris esse Tubero respondit.

12. D. 19, 1, 13, 30. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 935). Si venditor habitationem exceperit, ut inquilino liceat habitare, vel colono ut perfrui liceat ad certum tempus, magis esse Servius putabat ex vendito esse actionem. denique Tubero ait, si iste colonus damnum dederit, emptorem ex empto agentem cogere posse venditorem, ut ex locato cum colono experiatur, ut quidquid fuerit consecutus, emptori reddat.

Tuberonis libros propter sermonem antiquum Hadriani temporibus 'parum gratos' habitos esse Pomponius § 46 tradit. in Iustiniani Digestis componendis Tribonianus nullo usus est. unius operis argumentum Gellius tradit: ipse praecepta Aelii Tuberonis super officio iudicis se legisse narrat (14, 2, 20). etiam historiarum libros Tubero scripsit, qui tempora usque ad bellum inter Caesarem et Pompeium gestum tractabant. Teuffel-Schwabe § 208, 1. fragmenta invenies apud H. Petrum histor. Rom. rell. 1, 311 fragm. 199. librum Tuberonis ad C. Oppium scriptum Gellius 6, 9, 11 laudat. C. Oppius de vita Caesaris et Cassii scripsit et ita quidem, ut contra Cassium videatur disputasse. Teuffel-Schwabe § 197, 3. cum L. Cornelio Balbo, quem Cicero a. 698/56 defenderat, a. 705/49 ad Ciceronem epistolam dedit (ad Att. 9, 7 A). eodem fere tempore Caesar ad Oppium scripsit (ad Att. 9, 7 C). a. 709/45 Oppius a Cicerone laudatur (ad fam. 6, 19. ad Att. 12, 29).

II. De officio iudicis.

Gell. 14, 2, 20: 'praecepta Aelii Tuberonis super officio iudicis, quae nuperrime legi'. de officio iudicis Q. Mucium praecepisse (Cic. de off. 3, 17, 70: in his arbitriis, in quibus adderetur 'ex fide bona' magni esse iudicis, statuere quid quemque cuique praestare oporteret) et C. Aquillium Gallum, Mucii discipulum, 'regnum iudiciale' obtinuisse (Cic. ad. Att. 1, 1, 1) supra p. 102. 111 sq. vidimus. iam Tubero de iudicis officio librum composuit, quo 'praecepta' colligeret. aliorum eiusdem argumenti libri noti non sunt, quamquam Gellius 14, 2, 1, quo primum tempore a praetoribus lectus in iudices fuerit, ut iudicia quae appellantur privata susciperet, 'libros utriusque linguae de officio iudicis scriptos' se conquisivisse narrat et quamquam Iustinianarum Institutionum libri IV caput (17) 'de officio iudicis' inscriptum est.

Praecepta de officio iudicis iuris peritorum auctoritate constituta esse et res ipsa docet et confirmatur Gaii verbo 4, 64: 'id bonae fidei iudicio conveniens videtur, ideo officio iudicis contineri creditur'. Papinianus D. 44, 7, 27 legis potestatem, praetoris imperium et officium iudicis coniungit ('obligationes, quae non propriis viribus consistunt neque officio iudicis neque praetoris imperio neque legis potestate confirmantur').

Gaius in Institutionum commentariis diserte de officio iudicis scripsit. haec enim 4, 114 legimus: 'superest ut dispiciamus, si ante rem iudicatam is, cum quo agitur, post acceptum iudicium satisfaciat alteri, quid officio iudicis conveniat, utrum absolvere, an ideo potius damnare, quia iudicii accipiendi tempore in ea causa fuerit, ut damnari debeat. nostri praeceptores absolvere eum debere existimant nec interesse cuius generis sit iudicium ... de bonae fidei iudiciis idem sentiunt, quia in eiusmodi iudiciis liberum est officium iudicis ...' accedit 4, 64, ubi haec leguntur: 'liberum est tamen (sc. in bonae fidei iudiciis) iudici nullam omnino invicem

compensationis rationem habere; nec enim aperte formulae verbis praecipitur, sed quia id bonae fidei iudicio conveniens videtur, ideo officio iudicis contineri creditur.'

Operae pretium videtur, quae de iudicis munere a Gaio sparsim traduntur, collocare. sunt fere haec: 4, 42 'adiudicatio est ea pars formulae qua permittitur iudici rem alicui ex litigatoribus adiudicare . . .' 43 'condemnatio est ea pars formulae qua iudici condemnandi absolvendive potestas permittitur . . .' 46 '. . . in factum conceptas vocamus (actiones), . . in quibus nulla talis intentio concepta est, <sed> initio formulae nominato eo quod factum est, adiciuntur ea verba per quae iudici damnandi absolvendique potestas datur . . .' 48 'omnium autem formularum quae condemnationem habent, ad pecuniariam aestimationem condemnatio concepta est. itaque et si corpus aliquod petamus, veluti fundum hominem vestem <aurum> argentum, iudex non ipsam rem condemnat eum cum quo actum est, sicut olim fieri solebat, <sed> aestimata re pecuniam eum condemnat.' 51 '. . . iudex si condemnet, certam pecuniam condemnare debet, etsi certa pecunia in condemnatione posita non sit.' 52 'debet autem iudex attendere, ut cum certae pecuniae condemnatio posita sit, neque maioris neque minoris summa posita condemnet; alioquin litem suam facit. item si taxatio posita est, ne pluris condemnat quam taxatum sit; alias enim similiter litem suam facit. minoris autem damnare ei permissum est . . .' 58 '. . . si . . minus positum fuerit quam oportet, hoc solum consequitur <actor> quod posuit; nam tota quidem res in iudicium deducitur, constringitur autem condemnationis fine, quam iudex egredi non potest.' 61 '<in bonae fidei autem iudiciis libera potestas permitti videtur iudici ex bono et aequo aestimandi, quantum actori praestari debeat; in quo et illud> continetur, ut habita ratione eius quod invicem actorem ex eadem causa praestare oporteret, in reliquum eum cum quo actum est condemnare.' 119 '. . . omnis exceptio obicitur quidem

a reo, sed ita formulae inseritur, ut condicionalem faciat condemnationem, id est ne aliter iudex eum cum quo agitur condemnat, quam si nihil in ea re qua de agitur dolo actoris factum sit; item ne aliter iudex eum condemnet, quam si nullum pactum conventum de non petenda pecunia factum fuerit.' 141 'nec tamen cum quid iussit fieri aut fieri prohibuerit (praetor), statim peractum est negotium, sed ad iudicem recuperatoresve itur et ibi editis formulis quaeritur, an aliquid adversus praetoris edictum factum sit, vel an factum non sit, quod is fieri iusserit.' 163 '... si arbitrum postulaverit is cum quo agitur, accipit formulam quae appellatur arbitraria, et iudicis arbitrio si quid restitui vel exhiberi debeat, id sine periculo exhibet aut restituit, et ita absolvitur; quodsi nec restituat neque exhibeat, quanti ea res est condemnatur.' 166[a] '... iudex apud quem de ea re agitur. illud scilicet requirit ⟨quod⟩ praetor interdicto conplexus est ... cum iudex id exploraverit et forte secundum me iudicatum sit, adversarium mihi et sponsionis et restipulationis summas, quas cum eo feci, condemnat, et convenienter me sponsionis et restipulationis, quae mecum factae sunt, absolvit.' 178 '... calumniae iudicio .. nemo damnatur nisi qui intelligit non recte se agere, sed vexandi adversarii gratia actionem instituit, potiusque ex iudicis errore vel iniquitate victoriam sperat quam ex causa veritatis ...'

'Legitima sunt iudicia quae in urbe Roma vel intra primum urbis Romae miliarium inter omnes cives Romanos sub uno iudice accipiuntur ... inperio vero continentur recuperatoria et quae sub uno iudice accipiuntur interveniente peregrini persona iudicis aut litigatoris.' 104. 105.

Quibus propositis imago fortasse existit praeceptorum, quae Ofilius de officio iudicis composuit. fragmentum operis nullum exstat. Tuberonis sententiam a Gellio 14, 7, 13 exhibitam ex hoc fortasse opere desumptam esse Teuffel-Schwabe § 208, 1 non recte conicit.

Iudiciorum privatorum ordine sublato etiam libri qui iudicis officium tractabant, in usu esse desierunt.

III. De officio senatorio libri?

Tuberonis fragmenta quaedam talis argumenti libros eius fuisse indicio sunt. accedit quod Ateius Capito, qui Tuberonis sententiam refert (v. infra), hanc Coniectaneorum libro de officio senatorio, ut videtur, inscripto protulit. cf. Iustiniani Digestorum titulum 'de senatoribus' (1, 9). iuris vero publici libros Tuberonem reliquisse Pomponius § 46 tradidit.

1. Gell. 14, 7, 13. ... quod ait (Varro), senatusconsultum duobus modis fieri solere: aut conquisitis sententiis aut per discessionem, parum convenire videtur cum eo quod Ateius Capito in Coniectaneis reliquit. nam in libro VIIII Tuberonem dicere ait, nullum senatusconsultum fieri posse non discessione facta, quia in omnibus senatusconsultis, etiam in iis, quae per relationem fierent, discessio esset necessaria.

2. Gell. 14, 8, 2. M. .. Varro .. et Ateius Capito in Coniectaneorum VIIII ius esse praefecto (urbi feriarum Latinarum causa relicto) senatum habendi dicunt, deque ea re adsensum esse Capito *Varro*nem Tuberoni contra sententiam Iunii refert.

IV. Plane incerti argumenti opera.

Reliquorum 'iuris publici et privati' librorum argumenta ne coniecturis quidem assequi possumus. fortasse liber ad C. Oppium scriptus (Gell. 6, 9, 11) hoc loco nominandus est; incertum enim relinquitur, utrum Q. Aelius an alius Tubero eum scripserit.

Gell. 7, 9, 11. Aelium .. Tuberonem libro ad C. Oppium scripto 'occecurrerit' scripsisse Probus adnotavit et haec eius verba apposuit: *Si generalis species occecurrerit.*

4. AULUS CASCELLIUS

circa 650/104 natus, a Volcatio, Q. Mucii auditore, instructus (Plin. h. n. 8, 40, 144: 'Volcatium qui Cascellium ius civile docuit'. Pomponius § 45: 'fuit eodem tempore et Trebatius, qui idem Corneli Maximi auditor fuit, Aulus Cascellius, Quintus Mucius Volusii auditor', quae verba Mommsen sic potius scribenda esse conicit: 'Quinti Mucii auditoris Volcacii auditor'), ante 681/73 quaestor, fortasse praetor, cum iudicii Cascelliani (Gai. 4, 166. 169) auctor haberi possit, quamquam Pomponius l. c. negat ('fuit autem quaestorius nec ultra proficere voluit'), 681/73 inter senatores qui in SC. de Oropiis scribendo adfuerunt (Hermes XX p. 281 et Bruns font. I p. 172), triumvirorum tempore 'nullius aut gratia aut auctoritate compelli poterat, ut de aliqua earum rerum, quas triumviri dederant, formulam componeret' (Val. Max. 6, 2, 12), ab Horatio in libro de arte poetica (aut 734/20 aut extrema poetae 746/8 mortui aetate conscripto: Teuffel-Schwabe § 287, 7) laudatus (v. 368 sq. 'consultus iuris et actor causarum mediocris abest virtute diserti Messalae nec scit quantum Cascellius Aulus, sed tamen in pretio est'). Octavianum Augustum consulatum ei obtulisse Pomponius § 45 narrat. 'cum multa de temporibus liberius loqueretur amicique ne id faceret monerent, duas res, quae hominibus amarissimae viderentur, magnam sibi licentiam praebere respondit, senectutem et orbitatem' (Val. Max. l. c.); denique in honorem Quinti Mucii Publium Mucium nepotem eius testamento reliquit heredem (Pomponius l. c.).

Cascellium non modo Macrobius 2, 6, 1 'iuris consultum urbanitatis mirae libertatisque', sed Val. Maximus l. c. etiam 'virum iuris civilis scientia clarum' praedicat. 'Trebatius', ut Pomponius § 45 ait, 'peritior Cascellio, Cascellius Trebatio eloquentior fuisse dicitur, Ofilius utroque doctior'.

Inprimis respondendi munere functus est. num de iure scripserit, non satis constat. Pomponius § 45 haec tradit: 'Cascellii scripta non exstant nisi unus liber bene dictorum'. in Iustiniani Digestis, qui Cascellium non raro laudant, nusquam 'scripsisse' dicitur.

Cascellii sententiae laudantur inprimis a Labeone in libris posterioribus a Iavoleno epitomatis (libro I D. 28, 6, 39 pr. § 2; libro II D. 32, 29 pr.; 32, 100 pr. § 1; 33, 4, 6, 1; 33, 6, 7 pr.; 33, 7, 4; 34, 2, 39, 1; 35, 1, 40, 1; libro III D. 33, 10, 10; libro V D. 33, 7, 26, 1), a Celso in Digestorum libris (D. 50, 16, 158) et ab Ulpiano libris ad edictum praetoris (libro LIII D. 39, 3, 1, 17 et libro LXXI D. 43, 24, 1, 7). iuris consulti memoria vel Ammiani temporibus (30, 4, 11) ab advocatis retinebatur. cf. infra p. 392.

Cascellii sententiae probantur vel improbantur ab Ofilio (D. 35, 1, 40 'Cascellius aiebat ... Ofilius negat'), a Labeone (D. 32, 100 pr. 'Cascellius ait deberi neque id Labeo improbat'. § 1 'Labeo Cascellii sententiam probat'. D. 33, 6, 7 'Ofilius Cascellius Tubero ... putant, Labeo id probat'. D. 33, 3, 1, 17 'Labeo et Cascellius aiunt'), a Iavoleno (D. 28, 6, 39, 2 'Ofilius Cascellius responderunt, quorum sententia vera est'. D. 32, 100 'Labeo Cascellii sententiam probat, quod verum puto'. D. 33, 4 'Ofilius Cascellius .. rettulerunt ..., quod verum est'. D. 33, 6, 7 'Ofilius Cascellius Tubero ... putant, Labeo id probat idque verum est'. D. 32, 29 pr. 'Cascellius Trebatius negant ... Labeo id non probat, Labeonis sententia vera est'. D. 33, 7, 4 'Labeo Trebatius .. putant ... Cascellius contra. Labeonis sententiam probo'. D. 35, 1, 40, 1 'Cascellius aiebat ..., Ofilius negat ... idem Cinna scribit .. et hoc magis verum puto'), ab Ulpiano (D. 33, 24, 1, 7 'Cascellius et Trebatius putant, quod verum est').

Qui Cascellii sententias cum ceterorum eius aetatis iurisconsultorum, inprimis cum Trebatii Testae, Auli Ofilii, Tuberonis, Labeonis sententiis comparaverit, eas plerumque consentire, in paucis tantum dissentire inveniet.

Ut eiusdem sententiae fautores coniunguntur a Iavoleno Trebatius Cascellius Ofilius Labeo (D. 28, 6, 39 pr.), Trebatius Cascellius Labeo (D. 33, 7, 26, 1), Ofilius Cascellius Tubero (D. 33, 6, 7 pr.), Cascellius Ofilius Labeo (D. 33, 10, 10), Cascellius Ofilius (D. 26, 6, 39, 2. D. 32, 4, 6, 1), Trebatius Cascellius (D. 32, 29 pr. D. 43, 24, 1, 7), Trebatius Ofilius (D. 32, 100, 1), Cascellius Labeo (D. 39, 3, 1, 17), Trebatius Labeo (D. 33, 7, 4); ut diversae sententiae auctores opponuntur Tubero Cascellius Ofilius Trebatio (D. 33, 6, 7 pr.) vel Trebatius Cascellius Labeo Ofilio (D. 33, 7, 26, 1) vel Ofilius Trebatius Cascellio (D. 32, 100, 1) vel Trebatius Labeo Cascellio (D. 33, 7, 4), vel denique Ofilius Cascellio (D. 35, 1, 40, 1).

Cum Cascellio ergo consentit Ofilius his locis D. 28, 6, 39 pr. § 2. 33, 4, 6, 1. 33, 6, 7 pr. 33, 10, 10; a Cascellio dissentit his D. 32, 100, 1. 33, 7, 26, 1. 35, 1, 40, 1. cum Cascellio consentit Trebatius his locis D. 28, 6, 39 pr. 32, 29 pr. 33, 7, 26, 1. 43, 24, 1, 2, a Cascellio dissentit his D. 32, 100, 1. 33, 6, 7 pr. 33, 7, 4.

In his controversiis neque Alfenum Varum neque Aufidium Namusam umquam nominari moneo; hoc tantum apud Iavolenum (D. 33, 4, 6, 1) legitur: 'Ofilius Cascellius, item et Servi auditores rettulerunt'.

I. Responsa.

Non ipse responsa collegit, sed fortasse Labeo, qui eum audivit (Pomponius § 47). certe in Labeonis libris posterioribus a Iavoleno epitomatis multa Cascellii responsa referuntur (libro I D. 28, 6, 39, 1 'ex consilio .. Cascellii'; § 2 'Ofilius Cascellius responderunt', libro II D. 32, 29 pr. 'Cascellius Trebatius negant'; D. 32, 100 pr. 'Cascellius ait'; § 1 'Cascellius putat'; D. 33, 4, 6, 1 'Ofilius Cascellius'; D. 33, 6, 7 pr. 'Ofilius Cascellius Tubero'; D. 33, 7, 4 'Cascellius'; D. 34, 2,

39, 1 'Ofilius .. respondit, idem Cascellius de commodato'; D. 35, 1, 40, 1 'Cascellius aiebat', libro III D. 33, 10, 10 'negabant .. Labeo Ofilius Cascellius', libro V D. 33, 7, 26, 1 'Labeo Cascellius Trebatius .. putant').

De testamentis.

1. D. 28, 6, 39 pr. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis (P. 164). Cum ex filio quis duos nepotes impuberes habebat, sed alterum eorum in potestate, alterum non, et vellet utrumque ex aequis partibus heredes habere et, si quis ex his impubes decessisset, ad alterum partem eius transferre: ex consilio Labeonis Ofilii Cascellii Trebatiii eum quem in potestate habebat solum heredem fecit et ab eo alteri dimidiam partem hereditatis, cum in suam tutelam venisset, legavit; quod si is, qui in potestate sua esset, impubes decessisset, alterum heredem ei substituit.

2. D. ibid. § 2. Quidam quattuor heredes fecerat et omnibus heredibus praeter unum substituerat: unus ille, cui non erat quisquam substitutus, et ex ceteris alter vivo patre familias decesserant. partem, cui nemo erat substitutus, ad substitutum quoque pertinere Ofilius Cascellius responderunt.

De legatis.

De dote legata.

3. D. 33, 4, 6, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 178). ... ei, quae dotem nullam habebat, vir sic legaverat: 'quanta pecunia dotis nomine' et reliqua, 'pro ea quinquaginta heres dato'. deberi ei legatum Ofilius Cascellius, item et Servii auditores rettulerunt: perinde habendum esse ac si servus alicui mortuus aut pro eo centum legata essent.

De fundo legato.

4. D. 33, 7, 4. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 181). Cum quidam duos fundos iunctos haberet et ex altero boves, cum opus fecissent, in alterum reverterentur, utrumque fundum cum instrumento legaverat. Labeo Trebatius boves ei fundo cessuros putant, ubi opus fecissent, non ubi manere consuevissent, Cascellius contra.

5. D. 35, 1, 40, 1. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 186). Quidam ita legaverat: 'si Publius Cornelius impensam, quam in fundum Seianum feci, heredi meo dederit, tum heres meus Publio Cornelio fundum Seianum dato'. Cascellius aiebat etiam pretium fundi dari debere.

De instrumento legato.

6. D. 33, 7, 26, 1. Idem (Iavolenus) libro quinto ex posterioribus Labeonis (P. 215). Molas manuarias .. supellectilis, iumentarias autem instrumenti esse Ofilius ait ... Cascellius Trebatius neutras supellectilis, sed potius instrumenti putant esse.

De vino oleo frumento ... legato.

7. D. 33, 6, 7 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 180). Quidam heredem damnaverat dare uxori suae vinum oleum frumentum acetum mella salsamenta. .. Ofilius Cascellius Tubero omne, quantum pater familias reliquisset, legatum putant.

De argento legato.

8. D. 34, 2, 39, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 185). Cum ita legatum esset: 'argentum, quod domo mea erit cum moriar', Ofilius nec quod depositum a se nec quod commodatum reliquisset argentum legatum videri respondit. idem Cascellius de commodato.

De marmore legato.

9. D. 32, 100, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 173). Duae statuae marmoreae cuidam nominatim, item omne marmor erat legatum: nullam statuam marmoream praeter duas Cascellius putat deberi.

De supellectili legata.

10. D. 33, 10, 10. Iavolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis (P. 191). Qui vestem omnem et res plurium generum supellectilis expenso ferre solitus erat, is uxori supellectilem legaverat. . . negabant vestem legato cessuram Labeo Ofilius Cascellius, quia non posset videri vestis appellatione supellectilis contineri.

De veste legata.

11. D. 32, 29 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 171). Qui concubinam habebat, ei vestem prioris concubinae utendam dederat, deinde ita legavit: 'vestem, quae eius causa empta parata esset'. Cascellius Trebatius negant ei deberi prioris concubinae causa parata, qua*mvis*[1] alia condicio esset in uxore.

De servo legato.

12. D. 32, 100 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 173). 'Heres meus damnas esto Lucio Titio Stichum servum meum reddere' vel ita 'illum servum meum illi reddito'. Cascellius ait deberi.

Aquae pluviae arcendae.

13. D. 39, 3, 1, 17. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285). . . sciendum est hanc actionem non alias locum habere, quam si aqua pluvia agro noceat: ceterum si aedificio vel oppido

1 *Fl.* quia. *emendavit A. Pernice: librarius pro* q̄n *(= quamvis) legit* q̄a *(= quia). cf. apogr. Gai. ad 3, 114.*

noceat, cessat actio ista, agi autem ita poterit ius non esse stillicidia flumina immittere. et ideo Labeo et Cascellius aiunt aquae quidem pluviae arcendae actionem specialem esse, de fluminibus et stillicidiis generalem et ubique agi ea licere.

Quod vi et clam.

14. D. 43, 24, 1, 5. 7. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1592). (Praetor ait: 'Quod vi aut clam factum est, qua de re agitur, id cum experiendi potestas est, restituas'.) quid sit vi factum vel clam factum videamus. vi factum videri Quintus Mucius scripsit, si ... sed et si contra testationem denuntiationemque fecerit, idem esse Cascellius et Trebatius putant.

Ad interdictum de glande legenda?

15. D. 50, 16, 158. Celsus libro vicensimo quinto Digestorum (P. 215). In usu iuris frequenter uti nos Cascellius ait singulari appellatione, cum plura generis eiusdem significare vellemus: nam 'multum hominem venisse Romam' et 'piscem vilem esse' dicimus. [item in stipulando (sc. pro praede litis et vindiciarum) satis habemus de herede cavere 'si ea res secundum me heredemve meum iudicata erit' et rursus 'quod ob eam rem te heredemve tuum': nempe aeque si plures heredes sint continentur stipulatione.]

Nonnulla, quae ioci causa respondisse Cascellius dicitur, subieci, quia aliquatenus ad ius pertinent.

De societate.

16. Macrob. sat. 2, 6, 2. Mercatori .., quemadmodum cum socio navim divideret interroganti respondisse traditur: *Navim si dividis, nec tu nec socius habebis.*

De edicto aedilium.

17. Macrob. sat. 2, 6, 1. Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat ut aediles edicerent, ne quis in arenam nisi pomum misisse vellet. forte his diebus Cascellius consultus a quodam, an nux pinea pomum esset, respondit: *Si in Vatinium missurus est, pomum est.*

II. Iudicium Cascellianum.

Gai. 4, 166. ... iudex apud quem de ea re agitur illud . . requirit ⟨quod⟩ praetor interdicto (sc. uti possidetis) complexus est, id est uter eorum eum fundum easve aedes per id tempus quo interdictum redditur nec vi nec clam nec precario possederit. cum iudex id exploraverit et forte secundum me iudicatum sit, adversarium mihi et sponsionis et restipulationis summas quas cum eo feci condemnat, et convenienter me sponsionis et restipulationis, quae mecum factae sunt, absolvit. et hoc amplius, si apud adversarium meum possessio est, quia is fructus licitatione vicit, nisi restituat mihi possessionem, Cascelliano sive secutorio iudicio condemnatur. 169 ... Cascelliano sive secutorio iudicio de possessione reciperanda experitur ... iudicium comparatum est quod appellatur fructuarium, quo nomine actor iudicatum solvi satis accipit. dicitur . . et hoc iudicium secutorium, quod sequitur sponsionis victoriam; sed hoc aeque Cascellianum vocatur.

III. Bene dictorum liber?

Pomponius § 45: 'Cascellii scripta non exstant nisi unus liber bene dictorum'. an liber ad ius civile pertinuerit dubitatur. Sanio (Varroniana p. 266) eum in usum ius discentium scriptum esse conicit, quod Lenel negat (P. I, 107 n. 1). certe a libro alienae sunt facetiae Cascellio a Macrob. 2, 6 et Quintil. inst. or. 6, 3, 67 ad-

scriptae. Krueger p. 67 n. 71. sed bene dictorum librum regulas quasdam et definitiones breviter et commode dictas proposuisse haud crediderim, cum titulus potius urbane dicta ('bonmots') significet. ceterum Pomponius nusquam diserte libros laudat nisi ad ius pertinentes. cf. §§ 2. 7. 36. 38. 39. 42. 43. 44. 46. 47.

---

5. C. TREBATIUS TESTA

Veliae, ut videtur, natus, Q. Cornelii Maximi auditor, tribunus militum, a. 700/54 Iulio Caesari in Gallia commoranti a Cicerone commendatus.

Litteras, quas Cicero vel ad Caesarem de Trebatio vel ad ipsum Trebatium a. 700/54, 701/53 et 710/44 scripsit, hoc loco vel totas vel partim repetere non ab re esse videtur. temporis rationem secutus sum quam O. C. Schmidt in L. Mendelssohnii editione (Lips. 1893) p. 449 sqq. proposuit.

a. 700/54:

1. Cicero Caesari imp. s. d. — Vide quam mihi persuaserim te me esse alterum non modo in eis rebus, quae ad me ipsum, sed etiam in eis, quae ad meos pertinent. C. Trebatium cogitaram, quocumque exirem, mecum ducere, ut eum meis omnibus studiis, beneficiis quam ornatissimum domum reducerem. sed posteaquam et Pompeii commoratio diuturnior erat quam putaram, et mea quaedam tibi non ignota dubitatio aut impedire profectionem meam videbatur aut certe tardare, vide quid mihi sumpserim: coepi velle ea Trebatium exspectare a te, quae sperasset a me, neque mehercule minus ei prolixe de tua voluntate promisi, quam eram solitus de mea polliceri. casus vero mirificus quidam intervenit quasi vel testis opinionis meae vel sponsor humanitatis tuae. nam cum de

hoc ipso Trebatio cum Balbo nostro loquerer accuratius domi meae, litterae mihi dantur a te, quibus in extremis scriptum erat: †'M. it fivium quem mihi commendas, vel regem Galliae faciam, vel hunc Leptae delega, si vis. tu ad me alium mitte, quem ornem.' sustulimus manus et ego et Balbus: tanta fuit opportunitas, ut illud nescio quod non fortuitum, sed divinum videretur. mitto igitur ad te Trebatium atque ita mitto, ut initio mea sponte, post autem invitatu tuo mittendum duxerim. hunc, mi Caesar, sic velim omni tua comitate complectare, ut omnia quae per me possis adduci, ut in meos conferre velis, in unum hunc conferas. de quo tibi homine haec spondeo, non illo vetere verbo meo, quod cum ad te de Milone scripsissem, iure lusisti, sed more Romano, quo modo homines non inepti loquuntur: probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem esse neminem. accedit etiam quod familiam ducit in iure civili singulari memoria, summa scientia. huic ego neque tribunatum neque praefecturam neque ullius beneficii certum nomen peto, benevolentiam tuam et liberalitatem peto, neque impedio, quo minus, si tibi ita placuerit, etiam hisce eum ornes gloriolae insignibus; totum denique hominem tibi ita trado 'de manu', ut aiunt, 'in manum' tuam istam et victoria et fide praestantem . . . (ad famil. VII, 5)

2. Cicero s. d. Trebatio. — In omnibus meis epistolis, quas ad Caesarem aut ad Balbum mitto, legitima quaedam est accessio commendationis tuae . . . tu modo ineptias istas et desideria urbis et urbanitatis depone, et quo consilio profectus es, id assiduitate et virtute consequere . . . tu qui ceteris cavere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris, caveto . . . (VII, 6)

3. Cicero Trebatio. — . . . illud soleo mirari, non me toties accipere tuas litteras, quoties a Quinto mihi fratre afferantur. in Britannia nihil esse audio neque

auri neque argenti. id si ita est, essedum aliquod capias suadeo et ad nos quam primum recurras. sin autem sine Britannia tamen assequi, quod volumus, possumus, perfice, ut sis in familiaribus Caesaris: multum te in eo frater adiuvabit meus, multum Balbus, sed, mihi crede, tuus pudor et labor plurimum. †imperatorem liberalissimum, aetatem opportunissimam, commendationem certe singularem, ut tibi unum timendum sit, ne ipse tibi defuisse videare. (VII, 7)

4. Cicero Trebatio. — Scripsit ad me Caesar perhumaniter nondum te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certe fore ... ex tuis litteris cognovi praeproperam quandam festinationem tuam et simul sum admiratus, cur tribunatus commoda, dempto praesertim labore militiae, contempseris. querar cum Vacerro et Manilio; nam Cornelio nihil audeo dicere, cuius tu periculo stultus es, quoniam te ab eo sapere didicisse profiteris ... quod scribis de illo Preciano iureconsulto, ego te ei non desino commendare; scribit enim ipse mihi te sibi gratias agere debere ... ego vestras Britannicas litteras exspecto. (VII, 8)

5. Cicero Trebatio. — ... cupio scire quid agas et ubi sis hiematurus. (VII, 9)

6. Cicero Trebatio s. — ... primorum mensum litteris tuis vehementer commovebar, quod mihi interdum, pace tua dixerim, levis in urbis urbanitatisque desiderio, interdum piger, interdum timidus in labore militari, saepe autem etiam, quod a te alienissimum est, subimpudens videbare. tanquam enim syngrapham ad imperatorem, non epistulam attulisses, sic pecunia ablata domum redire properabas, nec tibi in mentem veniebat eos ipsos, qui cum syngraphis venissent Alexandream, nummum adhuc nullum auferre potuisse ... tantum moneo neque amicitiae confirmandae clarissimi ac liberalissimi viri neque uberioris pro-

vinciae neque aetatis magis idoneum tempus, si hoc amiseris, te esse ullum umquam reperturum. 'hoc', quemadmodum vos scribere soletis in vestris libris, 'idem Q. Cornelio videbatur.' in Britanniam te profectum non esse gaudeo ... ubi sis hibernaturus et qua spe aut condicione, perscribas ad me velim. (VII, 17)

7. M. Cicero s. d. Trebatio. — ... quod † in Britannia non nimis φιλοθέωρον te praebuisti, plane non reprehendo, nunc vero in hibernis intectus mihi videris ... quid agatis et ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme, fac plane sciam. Balbus mihi confirmavit te divitem futurum. id utrum Romano more locutus sit, bene nummatum te futurum, an quomodo Stoici dicunt, omnes esse divites, qui caelo et terra frui possint, postea videbo ... constat .. inter omnes neminem te uno Samarobrivae iuris peritiorem esse. (VII, 16)

8. Cicero s. d. Trebatio. — Legi tuas litteras, ex quibus intellexi te Caesari nostro valde iureconsultum videri ... valde metuo, ne frigeas in hibernis, quamobrem camino luculento utendum censeo: idem Mucio et Manilio placebat ... tu in re militari multo es cautior quam in advocationibus, qui neque in Oceano natare volueris, studiosissimus homo natandi, neque spectare essedarios ... (VII, 10)

a. 701/53:

9. Cicero Trebatio. — Nisi ante Roma profectus esses, nunc eam certe relinqueres. quis enim tot interregnis iureconsultum desiderat? ego omnibus, unde petitur, hoc consilii dederim, ut a singulis interregibus binas advocationes postulent: satisne tibi videor abs te ius civile didicisse? ... consuli quidem te a Caesare scribis ... si diutius frustra afueris, non modo Laberium, sed etiam sodalem nostrum Va-

lerium pertimesco; mira enim persona induci potest Britannici iureconsulti. (VII, 11)

10. Cicero Trebatio — ... indicavit mihi Pansa meus Epicureum te esse factum. o castra praeclara. quid tu fecisses, si te Tarentum et non Samarobrivam misissem? ... sed quonam modo ius(?) civile defendes, cum omnia tua causa facias, non civium? ubi porro illa erit formula fiduciae 'ut inter bonos bene agier oportet'? †quis enim est qui facit nihil nisi sua causa? quod ius statues communi dividundo, cum commune nihil possit esse apud eos, qui omnia voluptate sua metiuntur? quomodo autem tibi placebit Iovem Lapidem iurare, cum scias Iovem iratum esse nemini posse? ... (VII, 12)

11. M. Cicero s. d. Trebatio. — ... audi, Testa mi: utrum superbiorem te pecunia facit an quod te imperator consulit? moriar ni, quae tua gloria est, puto te malle a Caesare consuli quam inaurari ... tantum metuo, ne artificium tuum tibi parum prosit; nam, ut audio, istic

non ex iure manum consertum, sed mage ferro
rem repetunt.

et tu soles ad vim faciundam adhiberi; neque est, quod illam exceptionem in interdicto pertimescas: 'quod tu prior vi hominibus armatis non veneris'. scio enim, te non esse procacem in lacessendo. sed, ut ego quoque te aliquid admoneam de vestris cautionibus: Treviros vites censeo: audio capitales esse; mallem aere argento auro essent ... (VII, 13)

12. Cicero Trebatio s. — Accepi a te aliquot litteras uno tempore, quas tu diversis temporibus dederas, in quibus me cetera delectarunt; significabant enim te totam militiam iam firmo animo ferre et esse fortem virum et constantem ... perge, ut coepisti: forti animo istam tolera militiam ... quoniam vestrae cautiones infirmae sunt, Graeculam tibi misi cautionem chirographi mei ... ut ad epistolas tuas redeam, cetera

belle; illud miror: quis solet eodem exemplo plures dare, qui sua manu scribit? nam quod in palimpsesto, laudo equidem parsimoniam. sed miror, quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris †quam haec scribere, nisi forte tuas formulas ... ego te Balbo, cum ad vos proficiscitur, more Romano commendabo ... has litteras scripsi in Pomptino, cum ad villam M. Aemilii Philemonis devertissem, ex qua iam audieram fremitum clientium meorum, quos quidem tu mihi conciliasti ...

Idus April. (VII, 18)

13. Cicero Trebatio. — Chrysippus Vettius, Cyri architecti libertus, fecit, ut te non immemorem putarem mei: salutem enim verbis tuis mihi nuntiarat ... quod si scribere oblitus es, minus multi iam te advocato causa cadent ... illud .. perlibenter audivi ex eodem Chrysippo, te esse Caesari familiarem. sed mehercule mallem, id quod erat aequius, de tuis rebus ex tuis litteris quam saepissime cognoscerem. quod certa ita fieret, si tu maluisses benivolentiae quam litium iura perdiscere ... (VII, 14)

a. 710/44:

14. Cicero Trebatio s. — Silii causam te docui. is postea fuit apud me. cum ei dicerem tibi videri sponsionem illam nos sine periculo facere posse 'si bonorum Turpiliae possessionem Q. Caepio praetor ex edicto suo mihi dedit', negare aiebat Servium tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is qui factionem testamenti non habuerit; hoc idem Ofilium dicere; tecum se locutum negabat meque rogavit, ut se et causam suam tibi commendarem. nec vir melior, mi Testa, nec mihi amicior P. Silio quisquam est; te tamen excepto. gratissimum mihi igitur feceris, si ad eum ultro veneris eique pollicitus eris, sed, si me amas, quam primum. hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. (VII, 21)

15. Cicero Trebatio s. — Illuseras heri inter scyphos, quod dixeram controversiam esse, possetne heres, quod furtum antea factum esset, furti recte agere. itaque etsi domum bene potus seroque redieram, tamen id caput, ubi haec controversia est, notavi et descriptum tibi misi, ut scires id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sex. Aelium, M'. Manilium, M. Brutum sensisse. ego tamen Scaevolae et Testae adsentior. (VII, 22)

16. Cicero Trebatio s. — Amabilior mihi Velia fuit, quod te ab ea sensi amari ... tu, si me audies, quem soles, has paternas possessiones tenebis ... neque Haletem, nobilem amnem, relinques nec Papirianam domum deseres ... inprimis opportunum videtur, his praesertim temporibus, habere perfugium primum eorum urbem, quibus carus sis, deinde tuam domum tuosque agros, eaque remoto, salubri, amoeno loco; idque etiam mea interesse, mi Trebati, arbitror. sed valebis meaque negotia videbis meque diis iuvantibus ante brumam exspectabis ...

XIII. Kal. Sextil. Velia. (VII, 20)

17. Cicero Trebatio s. — ... ut primum Velia navigare coepi, institui Topica Aristotelea conscribere ... eum librum tibi misi Regio ... sin tibi quaedam videbuntur obscuriora, cogitare debebis nullam artem litteris sine interprete et sine aliqua exercitatione percipi posse. non longe abieris: num ius civile vestrum ex libris cognosci potest? qui quamquam plurimi sunt, doctorem tamen usumque desiderant ...

V. Kal. Sextil. Regio. (VII, 19)

Romae redux inter Caesaris familiares perseverabat. cum dictator patres conscriptos pro aede Veneris Genetricis sedens exciperet, Trebatius eum admonuit, ut assurgeret. a. 720/34 vel a. 721/33 Horatius serm. 2, 1 eum sibi

respondentem facit; apud Octavianum, si Triboniano credimus, maximae auctoritatis erat, mortuus certe post a. 736/18, fortasse multo post: nam si L. Lentulus, qui pr. Inst. 2, 25 nominatur, consul anni 751/3 habendus est, Trebatius vel ultra hoc tempus vixit. cf. Pernice: Labeo I, 21.

Non modo respondendi munere functus est, sed etiam 'complures' libros scripsit. Pomponius, qui haec § 45 tradit, Trebatium cum Aulo Cascellio comparans concludit: 'Trebatius peritior Cascellio, Cascellius Trebatio eloquentior fuisse dicitur'.

Inter auditores habuit, ut videtur, Blaesum, virum ceterum nobis ignotum, inprimis vero Antistium Labeonem, virum celeberrimum, qui 'institutus est a Trebatio' Pomponius § 47. postea Labeo vel vivo Trebatio et ipse responsa dedit et nonnunquam alter contra alterum respondit. Gell. 4, 2, 9: 'Trebatium contra Labeonem respondisse dicunt'.

De Trebatii indole et ingenio Puchta Instit. I § 97 inique indicat („den Eindruck mittelmässiger geistiger Kräfte empfangen wir .. durch das Bild, welches sich aus Ciceros Briefen an ihn darstellt"). Pernice, qui (Labeo I, 18 sqq.) contra dixit, addit: „Es ist bedenklich, aus den abgerissenen Bemerkungen des Pomponius, mit welchen er die einzelnen Juristen charakterisirt, etwas Sicheres zu schliessen. Indessen könnte mit den Worten: Trebatius peritior Cascellio gerade auf die umsichtige Beherrschung des Rechtsstoffes und den praktischen Blick des ersteren hingedeutet sein."

Veterum de furtis controversias Trebatio vix notas fuisse Ciceronis epistula illa (ad fam. 7, 22) ostendit. accedit, quod et iuris rationem nonnunquam dereliquit. nam agrum, cuius commercium non habes, legari tibi posse (D. 31, 49, 2) et etiam secundum eius mulieris, quae se capite non deminuerit, tabulas datam bonorum possessionem ex edicto datam videri respondit (Cic. ad

fam. 7, 21). Servii Ofiliique sententiam Cicero Topic. 4 tradit: 'Si ea mulier testamentum fecit, quae se capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto praetoris secundum eas tabulas possessio dari'.

Notabiles res, quae a Trebatio nominantur, hae fere sunt: Tiberis abundans, qui res multas multorum in aliena aedificia detulerit (D. 39, 2, 9, 1), Capua et aliud municipium (D. 33, 30, 5), civitas (D. 41, 1, 41), in bello victi Germani (D. 49, 15, 27), ager 'hostibus devictis ea condicione concessus, ut in civitatem veniret' (D. 41, 1, 16), statuae marmoreae (D. 33, 100, 1), Corinthia vasa et aeneae βάσεις eorum vasorum collocandorum causa paratae (D. 32, 100, 3), mensae argenteae (D. 44, 2, 20), urnalia (D. 33, 6, 16 pr.), pocula oleaginea (D. 32, 30 pr.), testudinea (D. 32, 100, 4), lecti testudinei pedibus inargentatis (D. 32, 100, 4), dolia fictilia et plumbea, quibus terra adgesta est et in his viridiaria posita (D. 33, 7, 36), vasa aenea salientis aquae posita (D. 33, 10, 11), vinum Surrentinum (D. 33, 6, 16 pr.), acetum mella salsamenta (D. 33, 6 pr.; 33, 9, 3, 2), deliciae (D. 33, 10, 11), uxoris servi, liberti et clientes (D. 34, 3, 66, 1. 9, 3, 5, 1), pistor tonsor molitores familiae rusticae causa vel ad usum rusticum parati (D. 33, 7, 12, 5), sterculinum vendendi causa comparatum (D. 19, 1, 17, 2), figlinae in fundo habitae et figuli, quorum opera maiore parte anni ad opus rusticum aliquis utitur (D. 33, 7, 25, 1), fullonicae in fundo, in quo aqua oritur, circa fontes institutae (D. 39, 3, 3 pr.).

Inter cetera negotia haec proferuntur: mancipia apud eum deposita, cuius bona emisti (D. 41, 14, 2, 7), res apud servum deposita (D. 16, 3, 21, 1), cista signata deposita (D. 16, 3, 1, 41), dolium ab emptore signatum (D. 18, 6, 1, 2), pecunia servo ab herede ad negotiandum data (D. 40, 7, 39, 2), pondera iniqua a sciente commodata (D. 4, 3, 18, 3), vestimenta interpola pro novis empta (D. 18, 1, 45), nummi servis uxoris in vestiarium dati (D. 24, 3, 66, 1), vicarius, qui communis erat

et domini et servi, a domino servo et libertae suae relictus (D. 33, 8, 22, 1), legatum uxori relictum, 'dum cum filio meo Capuae erit' (D. 33, 30, 5).

Trebatii sententias cum Quinti Mucii, Galli Aquillii et Servii Sulpicii raro tantum comparare licet. quae habemus, haec sunt: in quaestione, possetne heres, quod furtum antea factum esset, furti recte agere, cum Q. Mucio sentiebat (Cic. ad fam. 7, 22: ego .. Scaevolae et Testae assentior), at in aquae pluviae arcendae actione non cum Q. Mucio opus agri colendi, sed frumenti dumtaxat quaerendi causa aratro factum excepit (D. 39, 3, 1, 3). cum Gallo Aquillio legati clausulam interpretatus est (D. 30, 30, 7). in bonorum possessione secundum tabulas danda eum aliter respondisse atque Servium Sulpicium (Cic. ad fam. 7, 21), supra (p. 384) vidimus.

Cum Aulo Cascellio et Aulo Ofilio Trebatius saepius una laudatur et ita quidem, ut inprimis cum Ofilio, non raro etiam cum Cascellio consensisse, in nonnullis ab utroque dissensisse tradatur: 'Ofilius et Trebatius responderunt' D. 4, 8, 21 pr.; 'Ofilius Trebatius responderunt' D. 35, 1, 40, 4; 'Trebatius Ofilius .. responderunt' D. 17, 1, 12, 10; 'Ofilius Trebatius' D. 32, 100, 1. 49, 15, 27. nova ratione Trebatius Ofilii sententiam fulcit D. 47, 2, 21 pr. ubi ab Ofilio recedit, rem non plane decernit, sed potius distinctionem proponit D. 39, 3, 11, 5. 6; 40, 7, 39, 4. denique distinctionem ab Ofilio propositam improbavit D. 33, 7, 26.

Quod ad Cascellium attinet, similia legimus: 'Cascellius et Trebatius putant' D. 43, 24, 1, 1. 7; 'Cascellius Trebatius negant' D. 32, 29 pr.; 'Cascellius putat ..., Trebatius contra' D. 33, 7, 2; 'Trebatius ..., Cascellius contra' D. 32, 100, 1.

Denique Trebatium cum Ofilio et Cascellio idem consilium dedisse D. 28, 6, 39 pr. narratur ('ex consilio .. Ofilii Cascellii Trebatii').

Trebatii sententias referunt Blaesus (D. 33, 2, 31 'Blaesus ait Trebatium respondisse'), inprimis vero Labeo

in libris posterioribus (libro IV D. 28, 5, 13, 5—7 Ulpianus libro septimo ad Sabinum P. 2486 'apud Labeonem libro IV posteriorum quaeritur . . . eodem libro Labeo ait . . . apud eundem refertur . . . Trebatius ait'; libris incertis D. 18, 1, 45 Marcianus libro quarto Regularum: 'Labeo libro posteriorum scribit . . Trebatio placere . . .'; D. 43, 23, 2 Venuleius libro primo Interdictorum P. 11 'Labeo ait . . . idque Ofilio et Trebatio placuisse'; D. 24, 1, 64 Iavolenus libro sexto posteriorum Labeonis P. 225 'Labeo: Trebatius . . . respondit'. cf. infra Iavolenum), Proculus in epistularum libris (libro II D. 28, 5, 70 P. 4. D. 33, 6, 15 P. 5) et, siquidem Proculi, non Iavoleni sunt, in libris ex posterioribus Labeonis compositis (D. 33, 6, 16 'Labeo et Trebatius responderunt'), Cassius Longinus (D. 30, 5, 1 Paulus libro primo ad Sabinum P. 1606 'Trebatium . . respondisse . . . Cassius scripsit') sine dubio in iuris civilis libris, Caelius Sabinus (D. 21, 1, 14, 3 Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium P. 1760[8] 'Caelius distinguere Trebatium dicit') sine dubio in libris ad edictum aedilium curulium P. 1—7, Priscus Fulcinius (D. 31, 49, 2 Paulus libro quinto ad legem Iuliam et Papiam P. 949 'Labeo refert . . . Trebatium respondisse, quod . . Priscus Fulcinius falsum esse aiebat') cuius librorum argumenta ignorantur P. 1—10, Iavolenus Priscus saepissime in libris quos ex posterioribus Labeonis confecit, nonnunquam secundum priores scriptores (libro I D. 28, 6, 39 pr. P. 164 'ex consilio . . Trebatii'; libro II D. 32, 29 pr. P. 171 'Cascellius Trebatius negant'; D. 32, 30 pr. P. 172 'respondi . . . idem et Trebatius'; § 2 'existimo . . ., quod et Trebatius respondit'; § 5 'Trebatius ait'; D. 32, 100, 1 'Cascellius putat . . ., Ofilius Trebatius contra'; § 2 'Trebatius . . . putat'; § 3 'Trebatius respondit'; § 4 'Labeo Trebatius responderunt'; D. 33, 1, 17 pr. P. 174 'Labeo Trebatius . . . putant'; D. 33, 2, 31 P. 176 'Blaesus ait Trebatium respondisse'; D. 33, 6, 7 pr. P. 180 'Trebatius aiebat'; D. 33, 7, 4 P. 181

'Labeo Trebatius ... putant'; D. 33, 7, 25, 1 P. 182 'Labeo Trebatius'; D. 33, 7, 26 Iavol. P. 215 'Labeo Trebatius putant'; D. 33, 8, 22, 1 P. 183 'respondi ... quod et Trebatius'; D. 35, 1, 40, 4 P. 186 'Labeo Ofilius Trebatius responderunt'; § 5 'Trebatius respondit'; libro IV D. 28, 8, 11 P. 194 'Trebatius negat'; D. 40, 7, 39, 2 P. 196 'Labeo Trebatius responderunt'; § 4 'Labeo Ofilius responderunt. Trebatius, si ..., idem ...'; libro V D. 18, 1, 79 P. 207 'Labeo et Trebatius negant'; libro VI D. 24, 1, 64 P. 225 'Trebatius ... respondit'; libro VIII D. 26, 2, 33 P. 228 'Trebatius negat'; libro IX D. 49, 15, 27 P. 231 'negant ... Labeo Ofilius Trebatius'; libro X D. 33, 10, 11 P. 233 'Labeo Trebatius putant'), Sextus Pomponius tam libris ad Q. Mucium (libro XXIV D. 41, 6, 3 P. 290 'Trebatius putabat') quam libris ad Sabinum (libro I D. 28, 5, 21 pr. P. 389 'Trebatius ait'; libro III D. 41, 1, 19 = 38, 5, 60 pr. P. 414; libro V D. 35, 1, 8 P. 476 'Trebatius et Labeo aiunt'; libro XVI D. 44, 2, 20 P. 634 'Trebatius ait'; libro XXXII D. 41, 10, 4 pr. P. 769), Gaius libris Rerum cottidianarum (D. 41, 1, 5, 1 P. 491[c] 'Trebatio placuit'), Venuleius Saturninus Interdictorum libris (libro I D. 43, 23, 2 P. 11 'Labeo ait ... idque Ofilio et Trebatio placuisse'), Florentinus Institutionum libris (libro VI D. 41, 1, 16 P. 9 'Trebatius ait'), Iulius Paulus non propria lectione sed secundum veteres, et libris ad Sabinum (libro I D. 30, 5, 1 P. 1606 'Trebatium .. respondisse ... Cassius scripsit'; libro IX D. 47, 7, 1 P. 1803) et ad edictum praetoris (libro XI D. 4, 3, 18, 3 P. 209 'Trebatius de dolo dabat actionem'; § 4 'Trebatius ait de dolo dandum iudicium'; libro XXI D. 6, 1, 33 P. 338 'veriorem putat Pomponius Trebatii opinionem'; libro XXXII D. 17, 1, 22, 10 P. 487 'Trebatius Ofilius Labeo responderunt; libro XXXIII D. 19, 1, 21, 6 P. 514 'Trebatius ait'; libro XLIX D. 39, 3, 11, 5 P. 634 'Trebatius existimat'; libro LIV D. 41, 2, 3, 5 P. 658[a] 'Trebatius probabat'; D. 41, 4, 2, 7 P. 664[a] 'Tre-

batius ait'; libro LX D. 16, 3, 21, 1 P. 722 'Trebatius existimat'; libro LXXVIII D. 39, 2, 25 P. 829 'Trebatius ait'), libris ad edictum aedilium curulium (libro II D. 21, 2, 56, 7 P. 849 'Trebatius ait'), libro de gradibus (D. 38, 10, 10, 15 P. 876 'plerique ... sicut Trebatius'; § 18 'Trebatius ait') et libris ad legem Iuliam et Papiam (libro V D. 31, 49, 2 P. 949 'Labeo refert ... Trebatium respondisse'), Domitius Ulpianus similiter et libris ad Sabinum (libro VII D. 28, 5, 13, 7 P. 2486 'apud eundem' sc. Labeonem 'refertur: ... Trebatius ait'; libro XVII D. 7, 1, 9, 7 P. 2559 'Trebatius scribit'; libro XIX D. 30, 30, 5 P. 2597[g] 'Trebatius existimat'; § 7 'Gallus Aquilius, Ofilius, Trebatius responderunt'; libro XX D. 33, 7, 12, 5 P. 2609 'Trebatius ... putat'; libro XXII D. 33, 9, 3, 2 P. 2641 'Trebatius ... scribit'; libro XXVII D. 40, 7, 3, 11 P. 2697 'Trebatius et Labeo'; § 12 'Trebatius ait'; libro XXVIII D. 18, 6, 1, 2 P. 2717 'Trebatius ait'; libro XL D. 47, 2, 21 pr. P. 2858 'inquit Trebatius') et ad edictum praetoris (libro IV D. 2, 14, 10, 2 P. 251[a] 'Trebatio videtur'; libro IX D. 41, 1, 41 P. 332 'Trebatius et Pegasus'; libro XIII D. 4, 8, 21, 1 P. 457[b] 'Ofilius et Trebatius responderunt'; § 2 'Trebatius videtur sentire'; libro XIX D. 10, 3, 6, 6 P. 639[b] 'Trebatius .. et Labeo ... putant'; libro XXIII D. 9, 3, 5, 1 P. 688[c] 'Trebatius ait'; libro XXV D. 11, 7, 14, 11 P. 752 'Trebatius et Proculus putant'; libro XXX D. 16, 3, 1, 41 P. 896[c] 'ait Trebatius'; libro XXXII D. 19, 1, 13, 22 P. 935 'scribit ... Labeo et Trebatius'; D. 19, 1, 17, 2 P. 938[c] 'distinctio Trebatii'; libro LIII D. 39, 2, 9, 1 P. 1272[b] 'Trebatius refert'; D. 39, 3, 1, 3 P. 1285[a] 'Trebatius ... excepit'; D. 39, 3, 3 pr. P. 1285[b] 'apud Trebatium relatum est'; § 1 'idem Trebatius putat'; libro LVII D. 47, 10, 17, 2 P. 1359[b] 'Trebatio placuit'; libro LXX D. 43, 20, 1, 18 'Trebatius'; libro LXXI D. 43, 24, 1, 7 P. 1592 'Cascellius et Trebatius putant'; libro LXXXI D. 39, 2, 24, 12 P. 1754[a] 'ait Trebatius'), ad edictum aedilium curulium (libro I D. 21, 1, 6, 1 P. 1760[c] 'Trebatius ait'; D. 21, 1,

12, 4 P. 1760[f] 'Trebatius ait'), de officio quaestoris (D. 1, 13, 1, 1 P. 2252 'Iunius et Trebatius et Fenestella scribunt'), Aelius Marcianus libris Institutionum (libro VI D. 34, 5, 14 P. 109 'Trebatius . . . putat') et Regularum (libro IV D. 18, 1, 45 P. 262 'Labeo libro posteriorum scribit . . . Trebatio placere').

Iam iurisperitos referam, qui Trebatii sententias vel acceperunt vel reiecerunt. primum certe locum obtinet Antistius Labeo. haec enim legimus ex altera parte: 'respondi . . . quod et Trebatius' D. 33, 8, 22; 'Trebatius . . Labeo responderunt' D. 17, 1, 12; 'ex consilio Labeonis . . Trebatii' D. 28, 6, 39 pr.; 'Trebatius respondit . . . Labeo Trebatii sententiam probat' D. 35, 1, 40, 5; 'Labeo . . Trebatius . . putant' D. 33, 1, 17 pr.; 33, 7, 4 et 26; 33, 10, 10; 'Trebatius . . et Labeo putant' D. 10, 3, 6, 6; 47, 10, 17, 2; 'Trebatius et Labeo aiunt' D. 35, 1, 8; 'negant . . Labeo Trebatius' D. 49, 15, 27; 'placuit Labeoni Trebatio' D. 24, 3, 66, 1; 'scribit . . Labeo et Trebatius' D. 19, 1, 13, 22; 'Trebatius et Labeo' D. 40, 7, 3, 11; 'Labeo ait idque Trebatio placuisse' D. 43, 22, 1; 'Labeo ait . ., et ita Trebatio placuit' D. 47, 10, 17, 2, ex altera parte haec: 'Blaesus ait Trebatium respondisse . . . ego hoc falsum puto' D. 33, 2, 31; 'Trebatius ait . . . Labeo contra' D. 18, 6, 1, 2; 43, 24, 22, 3; 'Trebatius negat . . . Labeo contra' D. 26, 2, 33; 'Trebatius . . . Labeo contra' D. 41, 1, 19; 'Trebatius probabat . . ., quem Labeo reprehendit' D. 41, 2, 3, 5; 'Cascellius Trebatius negant . . . Labeo id non probat' D. 32, 29 pr.; 'ait Trebatius . . . Labeo autem ait' D. 16, 3, 1, 41. cf. D. 28, 5, 21 pr. et 60 pr.

Masurius Sabinus, in cuius fragmentis Trebatii nomen non reperitur, nihilo minus Trebatii sententiam probasse cognoscitur; nam apud Paulum (D. 41, 2, 3, 5) haec legimus: 'Sabinus scribit . . . idem Trebatius probabat'. Sempronius Proculus aliam Trebatii sententiam probavit (Iavolenus enim D. 35, 1, 40 ait: 'Trebatius respondit . . . Labeo Trebatii sententiam probat . . . idem et ego et

Proculus probamus'), aliam improbavit (D. 32, 100, 2: cf. D. 24, 1, 64). Pegasus Trebatium secutus est ('Trebatius et Pegasus' D. 41, 1, 40), Priscus Fulcinius responsum eius falsum iudicavit (D. 31, 49, 2: 'Labeo refert .. Trebatium respondisse, quod .. Priscus Fulcinius falsum esse aiebat').

Iavolenus Priscus in libris, quos ex Labeonis posterioribus confecit, multas eius sententias probavit, multas reiecit. utriusque generis dicta hic collocavi. 'Trebatius respondit ... Labeo Trebatii sententiam probat ... idem et ego et Proculus probamus' D. 35, 1, 40. 'Trebatius negat ... Labeo contra ... Trebatii sententiam probo' D. 28, 8, 11; 'Trebatius negat ... Labeo contra, Proculus quod Labeo. ego Trebatii sententiam probo' D. 26, 2, 33; 'respondi ... idem et Trebatius' D. 30, 30 pr.; 'respondi ... quod et Trebatius' D. 33, 8, 22; 'existimo ... quod et Trebatius respondit' D. 32, 30, 2; 'Labeo Trebatius responderunt, quod verum est' D. 33, 100, 4; 'Labeo Trebatius putant, idque verum est' D. 24, 3, 66, 2; '... Ofilius ait. Labeo Cascellius Trebatius ..., quod verum puto' D. 33, 7, 28; 'Labeo Trebatius .. putant ..., Cascellius contra. Labeonis sententiam probo' D. 33, 7, 4; 'Labeo Trebatius putant ... ita id verum puto, si ..' D. 33, 7, 26. ubi Iavolenus Trebatii sententias reicit, plerumque aut Labeonem aut Proculum dissentientem sequitur. 'Cascellius Trebatius negant ... Labeo id non probat ... Labeonis sententia vera est' D. 32, 29 pr.; 'Cascellius putat ... Ofilius Trebatius contra. Labeo Cascellii sententiam probat, quod verum puto' D. 32, 100, 1; 'Trebatius aiebat ... Ofilius Cascellius Tubero ... Labeo id probat idque verum est' D. 33, 6, 7 pr., cf. D. 40, 7, 39, 4; 'Trebatius .. respondit ... sed verum est, quod Proculus et Caecilius putant' D. 24, 1, 64; 'Trebatius ... putat, Proculus ..., quod et verum est' D. 32, 100, 2. nonnunquam vel Trebatii vel Labeonis Trebatiique communem sententiam proprio Marte reicit: 'Blaesus ait Trebatium respondisse ... ego hoc falsum

puto' D. 33, 2, 31; 'Labeo et Trebatius negant ... ego contra puto' D. 18, 1, 79; 'Labeo Trebatius responderunt ... ego puto ..' D. 40, 7, 39, 2.

An Iulianus in Iustiniani Digestis Trebatium laudet — D. 6, 1, 33 haec habent 'veriorem putat Pomponius Trebatii opinionem ..., quod et Iuliano placet' —, in incerto relinquendum est.

Sextus vero Pomponius Trebatii sententias nonnunquam confirmat ('distinctio Trebatii probanda est' D. 19, 1, 17, 3; 'verum est, quod Trebatius putabat ...' D. 41, 6, 3; 'Cascellius et Trebatius putant, quod verum est' D. 43, 24, 1, 7; 'Labeo scribit ... Trebatius .. contra scribit, merito' D. 33, 1, 3, 2; 'Labeo scribit .. Trebatio placere ..., quam sententiam et Pomponius probat' D. 18, 1, 45; 'veriorem putat Pomponius Trebatii opinionem' D. 6, 1, 33; 'Trebatius .. putat, quod Pomponius verius esse existimat' D. 34, 5, 14), raro reicit ('Trebatius ...: ego sic puto distinguendum' D. 41, 10, 8; 'Trebatius ait ... Labeo .. recte putat' D. 28, 5, 21 pr.).

Paulus quoque Trebatii sententias modo probat ('Trebatium .. respondisse Cassius scripsit, quod et verius est' D. 30, 5, 1), modo cum Labeone vel Prisco Fulcinio improbat ('Trebatius probabat ... quem Labeo reprehendit ..., quod est verius' D. 41, 2, 3, 5; 'Labeo refert .. Trebatium respondisse, quod merito Priscus Fulcinius falsum esse aiebat' D. 31, 49, 2). Ulpianus denique sententias saepius comprobavit ('Trebatius ait, quod verum est' D. 9, 3, 5, 1; 'Trebatius ait ..., et mihi videtur vera Trebatii sententia' D. 21, 1, 6, 1; 'distinctio Trebatii probanda est' D. 19, 1, 17, 2; 'exceptio doli mihi proderit, ut Trebatio videtur, qui putat ...' D. 2, 14, 10, 2; 'puto, et ita et Trebatius videtur sentire' D. 4, 8, 21, 2; 'Labeo .. scribit ..; Trebatius .. contra scribit, merito' D. 33, 9, 3, 2; 'Cascellius et Trebatius putant, quod verum est' D. 43, 24, 1, 7; 'Trebatius et Labeo ..., quae sententia vera est' D. 40, 7, 3, 11), semel reicit ('Trebatius putat ..., quod verum non est' D, 39, 3, 3, 1).

Principes quoque Trebatii sententias secuti esse videntur: certe cum de codicillorum usu recipiendo dubitaretur, 'dicitur Augustus convocasse prudentes, inter quos Trebatium quoque, cuius tunc auctoritas maxima erat, et quaesisse, an posset hoc recipi nec absonans a iuris ratione codicillorum usus esset, et Trebatium suasisse Augusto, quod diceret utilissimum et necessarium hoc civibus esse propter magnas et longas peregrinationes ... post quae tempora cum et Labeo codicillos fecisset, iam nemini dubium erat, quin codicilli iure optimo admitterentur' Inst. 2, 25 pr. postea divus Pius secundum Trebatii sententiam videtur constituisse: 'in agris limitatis ius alluvionis locum non habere constat, idque et divus Pius constituit et Trebatius ait ..' D. 41, 1, 16.

Trebatii memoria ne quarto quidem p. Ch. saeculo prorsus deleta erat. Ammianus 30, 4, 11 de advocatis narrans haec ait: 'secundum est genus eorum qui iuris professi scientiam ... ut altius videantur iura callere, Trebatium loquuntur et Cascellium ...'. Tribonianus, cum Digesta componeret, Trebatii libros neglexit.

Sententiae eius nonnullae a posteris varie traduntur, quas varietates proponere idoneum videtur.

I.

Gell. 4, 2, 9, 10. De sterili autem muliere, si nativa sterilitate sit, Trebatium contra Labeonem respondisse dicunt. nam cum rethiberi eam Labeo quasi minus sanam putasset, negasse aiunt Trebatium ex edicto agi posse, si ea mulier a principio genitali sterilitate esset. at si valitudo eius offen-

D. 21, 1, 14, 3. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1760[g]). De sterili Caelius distinguere Trebatium dicit, ut, si natura sterilis sit, sana sit, si vitio corporis, contra.

disset exque ea vitium factum esset, ut concipere fetus non posset, tum sanam non videri et esse in causa rethibitionis.

Quod Gellius plenius explicavit, apud Ulpianum breviter comprehenditur. Caelius Sabinus, quem hic laudat, Gellii quoque fons videtur fuisse.

II.

Vat. fr. 70 (Ulp. l. XVII ad Sab.). . . <Trebatius scribit> silvam caeduam po<sse fructuarium caedere, sicut pater familias caedebat>. item ut harundinetum caedat fructuarius, quod caedendi causa paterfamilias alebat, non, puto, prohibetur. item poterit <vendere, licet paterfamilias vendere> non solebat, sed ipse uti: <ad modum enim referendum est, non ad qualitatem uten>di.

D. 7, 1, 9, 7. Idem (Ulpianus) libro XVII ad Sabinum (P. 2559). Trebatius scribit silvam caeduam [et harundinetum] posse fructuarium caedere, sicut pater familias caedebat [et vendere, licet pater familias non solebat vendere, sed ipse uti: ad modum enim referendum est, non ad qualitatem utendi].

Vaticanorum fragmentorum verba partim deleta, quae Iustiniani Digestorum ope restitui potuerunt, id certo docent, Trebatium neque harundinetum nominasse neque dixisse, fructuarium etiam vendere posse, licet pater familias non soleret vendere: utrumque Tribonianum addidisse manifestum est; ex iis addidit quae Ulpianus postea explicavit. harundine Aegyptios pro ligno uti Ulpianus tradidit (D. 32, 55, 5). Cassius Longinus primus de harundineto egit (D. 33, 7, 12, 11). cf. quae apud Servium 36 (p. 178 sq.) adnotavi.

III.

D. 28, 5, 60 pr. Celsus libro sexto decimo Digestorum (P. 126[a]). Liber homo cum tibi serviret, heres institutus iussu tuo adiit. Trebatius esse eum heredem, Labeo tunc non esse heredem, si necessitate id fecerit, non quod alioquin vellet obligari.

D. 41, 1, 19. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 414). Trebatius, si liber homo bona fide serviens iussu eius cui serviet, hereditatem adisset, heredem ipsum fieri nec interesse quid senserit [sed quid fecerit]. Labeo contra, si ex necessitate id fecisset, quod si ita, ut et ipse vellet, ipsum fieri heredem.

IV.

D. 32, 30, 5. Labeo libro II posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 172). 'Uxori meae, dum cum filio meo Capuae erit, heres meus duce*na* dato'; filius a matre migravit. si ambo Capuae habitassent, legatum matri debitu iri putavi, quamvis una non habitassent; sin autem in aliud municipium transissent, unius anni tantummodo debitu iri, quo una habitassent quantolibet tempore, ⟨quod et⟩ Trebatius ait ... sin autem per mulierem mora non est, quominus cum filio habitet, legata ei deberi.

D. 35, 1, 8. Pomponius libro V ad Sabinum (P. 476). Si quis ita legaverit: 'dum uxor mea cum filio erit, heres meus ei tantum dato', [si ea latitans patronum de medio discessit, ut tamen consilium retineret habendi secum liberos,] deberi ei legatum Trebatius et Labeo aiunt, [quia non omne momentum exigendum sit, ut cum liberis sit, sed] si eam mentem [et id propositum] habeat, ne filium a semet dimittat neve per eam stet, quominus cum ea filius educatur.

Legati verba a Iavoleno et a Pomponio allata fere eadem esse nemo non videt. quae vero uterque addit, ita diversa sunt, ut dubitari liceat, num eadem res sit, de qua utroque loco Trebatium dixisse traditur. at Pomponii verba, quae a Triboniano saepe mutata esse iam apud Mucium vidimus (cf. p. 66), hoc quoque loco mutata sunt. adiecit Tribonianus non modo verba: 'si ea latitans patronum de medio discessit, ut tamen consilium retineret habendi secum liberos', sed etiam haec: 'quia non omne momentum exigendum sit, ut cum liberis sit, sed', quod plenius demonstrare opus non esse videtur. id tantum moneo, in Q. Mucii quoque fragmento, in quo agitur de patris familias iussu 'filii filiaeque meae ibi sunto, ubi eos mater sua esse volet', Tribonianum orationem prorsus mutasse. cf. supra p. 86 sq.

Triboniani emblematis eiectis iam de duabus rebus dictum esse palam est: aut 'filius a matre migravit' aut 'mater filium a se dimisit'. quod ad prius attinet, distinguebant, utrum filius aeque atque mater Capuae habitaret necne: 'si ambo Capuae habitassent, legatum matri debitu iri' Iavolenus putavit, 'quamvis una non habitassent'. si mater filium a se dimisit, ei ex legati causa nihil deberi omnes consentiebant. quod ad Trebatium attinet, duo videtur constituisse, primum, quid iuris esset, si mater, Capua derelicta, cum filio in aliud municipium transisset, — 'unius anni tantummodo ducenta debitu iri, quo una ⟨Capuae⟩ habitassent quantolibet tempore', — deinde quid iuris esset, si filius a matre discessisset, cum ipsa eam mentem habuisset, ne filium a semet dimitteret: — deberi ei legatum Trebatius putavit.

Quae Tribonianus deleverit, nescimus. addidit certe hunc casum: si liberta 'latitans patronum de medio discessit' liberis derelictis, 'ut tamen consilium retineret habendi secum liberos': huic quoque uxori legatum deberi statuit, 'quia non omne momentum exigendum sit, ut cum liberis sit'.

I. Responsa.

Trebatium in respondendo multum fuisse apparet: plurima eius responsa feruntur, inter quae nonnulla celeberrima, ex. gr. responsum in causa Maecenatis et Terentiae circa a. 736/18 datum (D. 24, 1, 64 cf. Pernice: Labeo I, 21), de sterili muliere empta contra Labeonem (Gell. 4, 2, 8), denique Octaviano Augusto de codicillorum usu datum (supra p. 392).

Trebatius saepius idem respondisse dicitur quod alii eiusdem aetatis iuris consulti responderunt. Iavolenus enim, Ulpianus, Paulus et Venuleius vel Gallum Aquillium Ofilium Trebatium (D. 30, 30, 7) vel Trebatium Ofilium Labeonem (D. 17, 1, 22, 10) vel Labeonem Ofilium Trebatium (D. 49, 15, 27) vel Ofilium et Trebatium (D. 32, 100, 1; 43, 22, 2, 4; 8, 21, 1) vel Labeonem Trebatium (D. 33, 7, 4 et 25, 1; 33, 10, 11; 33, 100, 1; 32, 29 pr.; 24, 3, 66 pr.; 40, 7, 3, 11 et 40, 7, 39, 2; 16, 1, 79) de variis rebus legatis idem respondisse tradunt. praeterea Iavolenus quendam patrem familias 'ex consilio Labeonis Ofilii Cascellii Trebatii' testamentum fecisse refert (D. 28, 6, 39).

Nonnunquam plures iurisconsulti de simili quaestione iterum atque iterum orta idem statuerunt. nonnunquam vero primo loco nominatus a parte consultus solus quidem responsum dedit, sed ita, ut alios consentire statueret eumque consensum in responso declararet.

Trebatii responsa auditores videntur collegisse, nimirum Blaesus ('Blaesus ait Trebatium respondisse' D. 33, 2, 31), fortasse etiam Cassius Longinus ('Trebatium .. respondisse .. Cassius scripsit' D. 30, 5, 1), inprimis vero Labeo ('Labeo refert .. Trebatium respondisse' D. 31, 49, 2). certe in posterioribus libris multa Trebatii responsa tradidit ('Labeo libro posteriorum scribit .. Trebatio placere' D. 18, 1, 45). cum genuini operis pauca tantum fragmenta servata sint, Iavoleni praesertim epitome testis est (libro I 'respondi ... idem et Trebatius'

D. 32, 30 pr.; libro II 'existimo . . ., quod et Trebatius respondit' D. 32, 30, 2; 'Labeo Trebatius responderunt' D. 33, 100, 4; 'respondi . . ., quod et Trebatius' D. 33, 8, 20, 1; 'Labeo Ofilius Trebatius responderunt' D. 35, 1, 40, 4; 'Trebatius respondit' D. ibid. § 5; libro IV 'Labeo Trebatius responderunt' D. 40, 9, 39, 2; 'Labeo Ofilius responderunt, Trebatius si . . ., idem' D. ibid. § 1; libro VI 'Trebatius respondit' D. 24, 1, 64).

A Trebatii responsis aliae eiusdem sententiae, quas in libris exposuit, certo secerni non ubique possunt.

De testamentis.

1. D. 28, 5, 70. Proculus libro secundo epistularum (P. 4). 'Cornelius et Maevius, uter eorum volet, heres esto'. uterque vult: Trebatius neutrum fore heredem.

2. D. 28, 6, 39 pr. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis (P. 164). Cum ex filio quis duos nepotes impuberes habebat, sed alterum eorum in potestate, alterum non, et vellet utrumque ex aequis partibus heredem habere et, si quis ex his impubes decessisset, ad alterum partem eius transferre: ex consilio Labeonis Ofilii Cascellii Trebatii eum, quem in potestate habebat, solum heredem fecit et ab eo alteri dimidiam partem hereditatis, cum in suam tutelam venisset, legavit: quod si is, qui in potestate sua esset, impubes decessisset, alterum heredem ei substituit.

3ª. D. 28, 5, 60 pr. Celsus libro sexto decimo Digestorum (P. 126). Liber homo cum tibi <bona fide> serviret, heres institutus iussu tuo adiit. Trebatius esse eum heredem.

3ᵇ. D. 41, 1, 19. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 414). Trebatius si liber homo bona fide serviens iussu eius cui serviet hereditatem adisset, heredem ipsum fieri nec interesse quid senserit [sed quid fecerit].

4. D. 30, 5, 1. Paulus libro primo ad Sabinum (P. 1606). ... Labeo ait, cum certa res aut persona legatur ita: 'qui meus erit cum moriar, heres dato' et communis sit, totum deberi. Trebatium vero respondisse partem deberi Cassius scripsit.

5. D. 30, 30, 7. Ulpianus libro nono decimo ad Sabinum (P. 2597[e]). Hanc .. scripturam ('quas pecunias legavi, quibus dies adpositus non est, eas heres meus annua bima trima die dato') non solum ad praecedentia sola legata, sed ad universa quae testamento adscripta sunt extendi Gallus Aquillius, Ofilius, Trebatius responderunt.

De codicillis.

6. Inst. 2, 25 pr. Ante Augusti tempora constat ius codicillorum non fuisse. sed primus Lucius Lentulus, ex cuius persona etiam fideicommissa coeperunt, codicillos introduxit. nam cum decederet in Africa, scripsit codicillos testamento confirmatos, quibus ab Augusto petiit per fideicommissum, ut faceret aliquid, et cum divus Augustus voluntatem eius implesset, deinceps reliqui auctoritatem eius secuti fideicommissa praestabant et filia Lentuli, quae iure non debebat, solvit, dicitur Augustus convocasse prudentes, inter quos Trebatium quoque, cuius tunc auctoritas maxima erat, et quaesisse, an possit hoc recipi nec absonans a iuris ratione codicillorum usus esset, et Trebatium suasisse Augusto, quod diceret utilissimum et necessarium hoc civibus esse propter magnas et longas peregrinationes quae apud veteres *crebr*uissent, ubi, si quis testamentum facere non posset, tamen codicillos posset.

De legatis.

De fundo legato.

7. D. 31, 49, 2. Paulus libro quinto ad legem Iuliam et Papiam (P. 949). Labeo refert agrum, cuius

commercium non habes, legari tibi posse Trebatium respondisse.

8. D. 35, 1, 40, 4. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 186). Qui dotalem fundum nullum habebat, ita legaverat: 'fundum Cornelianum, quem illa mihi doti dedit, ei heres dato'. Labeo Ofilius Trebatius responderunt fundum nihilo minus legatum esse, quia, cum fundus Cornelianus in rerum natura sit, demonstratio falsa legatum non peremit.

De fundi instrumento legato.

9. D. 33, 7, 25, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 182). Quidam cum in fundo figlinas haberet, figulorum opera maiore parte anni ad opus rusticum utebatur, deinde eius fundi instrumentum legaverat. Labeo Trebatius non videri figulos in instrumento fundi esse.

De servo legato.

10. D. 33, 8, 22, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 183). Dominus servum, qui cum eo vicarium communem habebat, testamento manumiserat et peculium ei legaverat, deinde ipsum vicarium, qui communis erat, nominatim et ipsi et libertae suae legaverat. respondi partem quartam libertae, reliquam partem [quartam] liberti futuram, quod et Trebatius.

De vino oleo frumento legato.

11. D. 33, 6, 16. Idem (Proculus?) libro tertio ex posterioribus Labeonis (P. 34). Qui vinum Surrentinum in urnalibus habebat diffusum, is tibi vinum legaverat in amphoris omne. illud quoque vinum, quod in urnalibus fuisset, legatum esse Labeo et Trebatius responderunt.

12. D. 33, 6, 7 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 180). Quidam heredem

damnaverat dare uxori suae vinum oleum frumentum acetum mella salsamenta. Trebatius aiebat ex singulis rebus non amplius deberi, quam quantum heres mulieri dare voluisset, quoniam non adiectum esset, quantum ex quaque re daretur.

De Corinthiis vasis legatis.

13. D. 32, 100, 3. Iavolenus ibid. Cui Corinthia vasa legata essent, *aeneas* *βάσεις*[1] quoque eorum vasorum collocandorum causa paratas deberi Trebatius respondit.

De poculis oleaginibus paribus legatis.

14. D. 32, 30 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 172). Qui quattuor pocula oleaginea habebat, ita legavit: pocula oleaginea paria duo. respondi unum par legatum esse, quia non ita esset: bina paria, neque ita: poculorum paria duo. idem et Trebatius.

De testudineis legatis.

15. D. 32, 100, 4. Iavolenus ibid. Cui testudinea legata essent, ei lectos testudineos pedibus inargentatis deberi Labeo Trebatius responderunt.

De pecunia legata.

16. D. 35, 1, 40, 5. Idem Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 186). Thermus minor quorum arbitratu monumentum sibi fieri vellet testamento scripserat, deinde ita legaverat: 'Luc*io* Publ*io* Corneliis[2] ad monumentum meum aedificandum mille heres meus dato'. Trebatius respondit pro eo habendum ac si ita legatum esset, si satisdedissent se ita id monumentum ex ea pecunia facturos.

17. D. 32, 30, 2. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 172). Cum testamento

1 *Fl.* ἐνβάσεις. 2 *Fl.* Luciis Publiis Corneliis.

scriptum esset: 'Sticho servo meo heres quinque dato et, si Stichus heredi meo biennium servierit, liber esto', post biennium legatum deberi existimo, quia in id tempus et libertas et legatum referri deberet, quod et Trebatius respondit.

De usu fructu legato.

18. D. 33, 2, 31. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 176). Is qui fundum tecum communem habebat, usum fructum uxori legaverat; post mortem eius tecum heres arbitrum communi dividundo petierat. Blaesus ait Trebatium respondisse, si arbiter certis regionibus fundum divisisset, eius partis, quae tibi optigerit, usum fructum mulieri nulla ex parte deberi, sed eius quod heredi optigisset, totius usum fructum eam habiturum.

De libertate relicta.

19. D. 40, 7, 39, 4. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis (P. 196). 'Si Stichus Attiae mille nummos dederit, liber esto'. Attia vivo testatore decessit: non posse Stichum liberum esse Labeo Ofilius responderunt; Trebatius, si ante testamentum factum Attia decessisset, idem: si postea, eum liberum futurum.

20. D. 40, 7, 39, 2. Iavolenus ibid. Si heres servo pecuniam ad negotiandum dedisset, statu liberum eam ipsam numerando liberari ex testamento non posse Labeo Trebatius responderunt, quia reddere eam magis quam dare videretur.

De bonorum possessione secundum tabulas.

21. Cic. ad fam. 7, 21. Cicero Trebatio. — Silii causam te docui. is postea fuit apud me. cum ei dicerem, tibi videri sponsionem illam nos sine periculo facere posse 'si bonorum Turpiliae possessionem

Q. Caepio praetor ex edicto suo mihi dedit', negare aiebat et q. s.

Cic. in Verr. 2, 45, 117: 'si de hereditate ambigitur et tabulae testamenti obsignatae non minus multis signis quam e lege oportet ad me proferentur, secundum tabulam testamenti potissimum possessionem dabo'.

De donatione inter virum et uxorem.

22. D. 24, 3, 66, 1. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis (P. 227). Servis uxoris vir nummos in vestiarium dederat, quo parato deinde intra annum divortium intercesserat. placuit Labeoni Trebatio, qualia vestimenta post divortium essent, talia viro reddi; idem iuris futurum fuisset, si ipsa vestimenta vir emisset et servis dedisset; quod si vestimenta non redderentur, tum virum pretium in dote compensaturum.

23. D. 24, 1, 64. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis (P. 225). Vir mulieri divortio facto quaedam idcirco dederat, ut ad se reverteretur; mulier reversa erat, deinde divortium fecerat. LABEO: Trebatius inter Terentiam et Maecenatem respondit, si verum divortium fuisset, ratam esse donationem, si simulatum, contra.

De emptione venditione.

24. Gell. 4, 2, 9sq. De sterili . . muliere, si nativa sterilitate sit, Trebatium contra Labeonem respondisse dicunt. nam cum rethiberi eam Labeo quasi minus sanam putasset, negasse aiunt Trebatium ex edicto agi posse, si ea mulier a principio genitali sterilitate esset. at si valitudo eius offendisset exque ea vitium factum esset, ut concipere fetus non posset, tum sanam non videri et esse in causa rethibitionis.

De D. 21, 1, 14, 3 v. supra p. 392.

cf. Gell. 4, 3, 2: Spurius Carvilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, divortium cum uxore fecit, quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur.

Mandati vel contra.

25. D. 17, 1, 22, 10. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 487). Si curator bonorum venditionem quidem fecerit, pecuniam autem creditoribus non solverit, Trebatius Ofilius Labeo responderunt his qui praesentes fuerunt competere adversus eum mandati actionem, his autem qui absentes fuerunt negotiorum gestorum actionem esse.

De rebus publicis?

26. D. 41, 1, 41. Ulpianus libro nono ad Sabinum (P. 332). Statuas in civitate positas civium non esse, idque Trebatius ...; dare tamen operam praetorem oportere, ut, quod ea mente in publico positum est, ne liceret privato auferre nec ei qui posuerit.

De arbitro recepto.

27. D. 4, 8, 21, 1. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 457b). Si arbiter ita pronuntiasset nihil videri Titium debere Seio: tametsi Seium non vetuisset petere, tamen si quid petisset, videri contra sententiam arbitri fecisse, et id Ofilius et Trebatius responderunt.

Quod Pomponius § 45 ait: 'Trebatii complures (sc. libri exstant)', et confirmatur et explicatur eis quae Porphyrio (ad Horat. serm. 2, 1) tradit: 'aliquot libros de civili iure composuit et de religionibus novem'. at quomodo verba 'aliquot libros de civili iure composuit' intelligenda sint, de eo dubitari potest. non tam librorum titulum, quam potius argumenta tradi verisimile est, sed utrum unum opus an compluria opera designentur, ignoramus. Krueger p. 68 n. 79. qui res ipsas consideraverit, plura opera de iure privato designari iudicabit.

Quod Pomponius l. c. addit: 'sed minus frequentantur', Puchta Inst. § 97 non recte sic interpretatus est:

„seine Schriften stünden in geringem Ansehen". inter Trebatii et Hadriani tempora intercedunt et Antistius Labeo et Masurius Sabinus et Proculus et Cassius, quorum libri ut aliorum, ex. gr. vel Servii Sulpicii, ita et Trebatii libros oblitteraverunt. Tribonianus nullo eius libro usus est.

At etiam iurisconsultorum fragmenta, quae Trebatium nominant, rara tantum referunt quid Trebatius 'scripserit'. omnia Ulpiani sunt vel ex libris ad Sabinum vel ad edictum praetoris vel de officio quaestoris decerpta ('Trebatius scribit' D. 7, 1, 9, 7 libro XVII ad Sabinum; 'Trebatius .. scribit' D. 33, 9, 3, 2 libro XXII ad Sabinum; 'scribit .. Trebatius' D. 19, 1, 13, 22 libro XXXII ad edictum; 'apud Trebatium relatum est' D. 39, 3, 3 pr. libro LIII ad edictum; 'Iunius et Trebatius et Fenestella scribunt' D. 1, 13, 1, 1 de officio quaestoris).

Quod vero D. 19, 1, 13, 22 legitur: 'scribit Labeo et Trebatius' non omnia Ulpiani esse, sed Tribonianum verba 'et Trebatius' ex Ulpiani posteriori tractatu negligenter addidisse puto, ut rem breviter complecteretur. cf. D. 28, 5, 13, 7 'apud eundem (Labeonem) refertur ... Trebatius ait'; 47, 10, 17, 2 'Labeo ait . . . et ita Trebatio placuit'; D. 33, 9, 3, 2 'Labeo .. scribit ... Trebatius .. scribit', aeque ex Ulpiani libris desumpta.

II. De religionibus libri IX (XI?).

Porphyrio l. c.: 'Trebatius ... de religionibus novem'. cum Macrobius 3, 3, 5 decimum librum nominet, aut XI pro IX scribendum videtur, ut Porphyrionem errasse statuamus, aut liber decimus additicius habendus est.

Liber I.

1. Macrob. sat. 3, 3, 2. *Sacrum est*, ut Trebatius libro primo de religionibus refert, *quicquid est, quod deorum habetur.*

2. Macrob. sat. 3, 3, 4. Trebatius profanum id

proprie dici ait, quod ex religioso vel sacro in hominum usum proprietatemque conversum est.

3. Macrob. sat. 3, 5, 1. Cum .. Trebatius libro primo de religionibus doceat, hostiarum genera esse duo, unum in quo voluntas dei per exta disquiritur, alterum in quo sola anima deo sacratur, unde etiam haruspices animales has hostias vocant, utrumque hostiarum genus in carmine suo Vergilius ostendit.

4. Macrob. sat. 1, 16, 28. Trebatius in libro primo religionum ait, nundinis magistratum posse manumittere iudiciaque addicere.

Liber II.

5. Gell. 7, 12, 5. Trebatius .. in libro de religionibus secundo: *Sacellum est*, inquit, *locus parvus deo sacratus cum ara.* deinde addit verba haec: *sacellum ex duobus verbis arbitror compositum sacri et cellae, quasi sacra cella.* hoc quidem scripsit Trebatius.

Eiusdem libri videtur esse fragmentum quod subieci.

6. Philargyr. ad Verg. Georg. 2, 381. *(Compita)*, ut *Tre*batio[1] placet, locus ex pluribus partibus in se vel in easdem partes ex se via atque itinere dirigens, sive is cum ara sive sine ara sive sub tecto sive sub divo sit, ubi pagani agrestes buccina convocati solent certa inire concilia. hinc et lares compitalicii et feriae compitaliciae.

Liber VII.

7. Serv. ad Aen. 11, 316. ... secundum Trebatium, qui de religionibus libro septimo ait: *Luci qui sunt in agris, qui concilio*[2] *capti sunt, hos lucos eadem caerimonia moreque conquiri*[3] *haberique oportet, ut ceteros lucos qui in antiquo agro sunt.*

1 *emend. Osann. cod.* relatio. 2 *Huschke conicit* quondam bello. 3 coinqui *ci. Salmasius.*

Liber IX.

8. Macrob. sat. 3, 7, 5—8. Hoc loco non alienum videtur de condicione eorum hominum referre, quos leges sacros esse certis diis iubent, quia non ignoro, quibusdam mirum videri, quod cum cetera sacra violari nefas sit, hominem sacrum ius fuerit occidi. cuius rei causa haec est. veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur, sed abigebant ad fines deorum quibus sacrum esset, animas vero sacratorum hominum, quos Graeci ζωάνας vocant, dis debitas aestimabant. quemadmodum igitur quod sacrum ad deos ipsos mitti non poterat, a se dimittere non dubitabant, sic animas, quas sacras in coelum mitti posse arbitrati sunt viduatas corpore, quam primum illo ire voluerunt. disputat de hoc more etiam Trebatius religionum libro nono.

Liber X.

9. Macrob. sat. 3, 3, 5. *Sanctum est*, ut idem Trebatius libro decimo religionum refert, *interdum idem, quod sacrum idemque quod religiosum, interdum aliud, hoc est nec sacrum nec religiosum est.*

10. Arnob. adv. nat. 7, 31. 'Mactus hoc vino inferio esto'. *Inferio*, inquit Trebatius, *verbum ea causa est additum eaque ratione profertur, ne vinum omne omnino quod in cellis atque apothecis est conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum est, esse sacrum incipiat et ex usibus eripiatur humanis.*

III. De iure civili libri ...

Trebatium in hac quidem re Q. Mucii exemplum secutum etiam de iure civili scripsisse docent Pomponii, Pauli, Ulpiani libri ad Sabinum scripti, in quibus Trebatius saepius laudatur. sunt enim Pomponii libri I (D. 28, 5, 21 pr.), V (D. 35, 1, 8), XVI (D. 44, 2, 20), XXXII

(D. 41, 10, 4 pr.), Pauli I (D. 30, 5, 1), IX (D. 47, 7, 1), Ulpiani VII (D. 28, 5, 13, 7), XVII (D. 7, 1, 9, 7), XIX (D. 30, 30, 5. 7), XX (D. 33, 7, 12, 5), XXII (D. 33, 9, 3, 1. 2), XXVII (D. 40, 7, 3, 11. 12), XXVIII (D. 18, 6, 1, 2), LX (D. 37, 2, 21 pr.).

Accedunt alia quae in Labeonis libris posterioribus, in Proculi epistularum et Gaii rerum cotidianarum libris, in Pauli libro singulari de gradibus, in Marciani libris regularum, in Florentini et Marciani institutionibus referuntur. primum vero locum obtinent Labeonis libri illi posteriores, qui ius tantum civile tractarunt. Krueger p. 144. non modo in genuini operis fragmentis, quae pauca sunt (P. 229—240), Trebatius laudatur (D. 28, 5, 13, 7; 18, 1, 45), sed etiam in Iavoleni epitome (libro I D. 28, 6, 39 pr., libro II D. 32, 29 pr. 32, 30 pr. 2. 5. 32, 100, 1—4. 33, 1, 17 pr. 33, 2, 31. 33, 6, 7 pr. 33, 7, 4. 33, 7, 25, 1. 33, 8, 22, 1. 35, 1, 40, 4. 5, libro IV D. 28, 8, 11. 40, 7, 39, 2. 4, libro V D. 18, 1, 79. 33, 7, 26, libro VI D. 24, 1, 64. 24, 3, 60, 1. 2, libro VIII D. 26, 2, 33, libro IX D. 49, 15, 27, libro X D. 33, 10, 11).

Fragmenta, quae a responsis non ubique certo secerni posse monui, secundum Mucianum ordinem disposui.

De testamentis.

1. D. 28, 5, 13, 7. Ulpianus libro septimo ad Sabinum (P. 2486). Apud eundem (sc. Labeonem) refertur: 'Titius ex parte tertia', deinde asse expleto 'idem ex parte sexta': in quattuordecim uncias hereditatem dividendam Trebatius ait.

2. D. 28, 5, 21 pr. Pomponius libro primo ad Sabinum (P. 389). Trebatius ait sic non recte scribi: 'quisquis mihi heres erit, Stichus liber et heres esto', liberum tamen futurum.

cf. Gai. 2, 185 sq.: Sicut autem liberi homines, ita et servi, tam nostri quam alieni, heredes scribi possunt. sed noster servus simul et liber et heres esse iuberi debet, id est hoc modo: 'Stichus servus meus liber heresque esto'.

De legatis.

De fundo cum instrumento legato.

3. D. 33, 7, 4. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 181). Cum quidam duos fundos iunctos haberet et ex altero boves, cum opus fecissent, in alterum reverterentur, utrumque fundum cum instrumento legaverat. Labeo Trebatius boves ei fundo cessuros putant, ubi opus fecissent, non ubi manere consuevissent.

4. D. 33, 7, 12, 5. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2609). Trebatius .. etiam pistorem et tonsorem, qui familiae rusticae causa parati sunt, putat contineri (sc. instrumento legato), item fabrum, qui villae reficiendae causa paratus sit, et mulieres quae panem coquant quaeque villam servent, item molitores, si ad usum rusticum parati sunt, item focariam et vilicam, si modo aliquo officio virum adiuvet, item lanificas quae familiam rusticam vestiunt, et quae pulmentaria rusticis coquant.

De aedibus legatis.

5. D. 33, 7, 26 pr. Idem (Iavolenus) libro quinto ex posterioribus Labeonis (P. 215). Dolia fictilia, item plumbea, quibus terra adgesta est, et in his viridiaria posita aedium esse Labeo Trebatius putant.

De supellectili legata.

6. D. ibid. § 1. Iavolenus ibid. Molas manuarias quidem supellectilis, iumentarias autem instrumenti esse Ofilius ait. Labeo Cascellius Trebatius neutras supellectilis, sed potius instrumenti putant esse.

7. D. 33, 10, 11. Idem (Iavolenus) libro decimo ex posterioribus Labeonis (P. 233). Vasa aenea salientis aquae posita, item si quid aliud magis deliciarum quam usus causa paratum esset, non esse supellectilis Labeo Trebatius putant.

De penu legata.

8. D. 33, 9, 3, 1. 2. Ulpianus libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 2641). Aristo notat etiam quae esui potuique non sunt contineri legato (penoris), ut puta ea, in quibus esse solemus, oleum forte, garum muriam mel ceteraque his similia. plane inquit, si penus esculenta legetur, Labeo libro nono posteriorum .. scribit nihil eorum cedere, quia non haec esse, sed per ea solemus. Trebatius in melle contra scribit.

De veste legata.

9. D. 32, 29 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 171). Qui concubinam habebat, ei vestem prioris concubinae utendam dederat, deinde ita legavit: 'vestem quae eius causa empta parata esset'. Cascellius Trebatius negant ei deberi prioris concubinae causa parata, qu*amvis*[1] alia condicio esset in uxore.

De vino legato.

10. D. 33, 6, 15. Proculus libro secundo epistularum (P. 5). Vinum cum vasis legavit. negat Trebatius quod in doliis sit deberi et sensum testatoris alium putat esse, verborum alium: ceterum dolia in vasis vinariis non esse[nt].

De auro et argento legato.

11. D. 32, 100, 2. Iavolenus ibid. 'Uxori meae vestem, mundum muliebrem, ornamenta omnia, aurum argentum quod eius causa factum paratumque es[se]t omne do lego'. Trebatius haec verba 'quod eius causa factum paratumque est' ad aurum et argentum dumtaxat referri putat.

12. D. 44, 2, 20. Pomponius libro sexto decimo ad Sabinum (P. 634). Si ex testamento actum sit

1 *emend. Pernice; Fl.* quia.

cum herede ab eo, qui, cum totum argentum ei legatum erat, mensas dumtaxat sibi legatas putaret earumque dumtaxat aestimationem in iudicio fecisset, postea eundem petiturum de argento quoque legato Trebatius ait nec obstaturam ei exceptionem, quod non sit petitum [quod nec actor petere putasset nec iudex in iudicio sensisset].

De statuis marmoreis legatis.

13. D. 32, 100, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis (P. 173). Duae statuae marmoreae cuidam nominatim, item omne marmor erat legatum: nullam statuam marmoream praeter duas Cascellius putat deberi; Ofilius Trebatius contra.

De pecunia legata.

14. D. 34, 5, 14. Marcianus libro sexto institutionum (P. 109). Si quis ita scripserit: 'illis, qui testamentum meum signaverint, heres meus decem dato', Trebatius utile legatum esse putat.

15. D. 30, 30, 5. Ulpianus libro nono decimo ad Sabinum (P. 2597). .. Trebatius existimat, si cui legetur, quando annorum viginti erit, vulgarem hanc clausulam (sc. de annua die) cessare.

De annuo legato.

16ª. D. 32, 30, 5. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 172). 'Uxori meae dum cum filio meo Capuae erit, heres meus ducena[1] dato'. [filius a matre migravit. si ambo Capuae habitassent, legatum matri debitu iri putavi, quamvis una non habitassent;] sin [autem] in aliud municipium transisset, unius anni tantummodo debitu iri, quo una habitassent quantolibet tempore, Trebatius ait. [videamus, an his verbis 'dum cum filia Capuae erit', non condicio significetur, sed ea scriptura pro supervacuo debet haberi,

1 *Trib.* ducenta.

quod non probo.] sin autem per mulierem mora non est, quominus cum filio habitet, legata ei deberi.

16[b]. D. 35, 1, 8. Pomponius libro quinto ad Sabinum (P. 476). Si quis ita legaverit: 'dum uxor mea cum filio erit, heres meus ei tantum dato', [si ea latitans patronum de medio discessit, ut tamen consilium retineret habendi secum liberos,] deberi ei legatum Trebatium et Labeo aiunt, [quia non omne momentum exigendum sit ut cum liberis sit, sed] si eam mentem [et id propositum] habeat, ne filium a semet dimittat neve per eam stet, quominus cum ea filius educatur.

cf. supra p. 395.

17. D. 33, 1, 17 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum (P. 174). Legatum ita est: 'Attiae, donec nubat, quinquaginta damnas esto heres meus dare' neque adscriptum est 'in annos singulos'. Labeo Trebatius praesens legatum deberi putat.

De fundi usufructu legato.

18. Vat. fr. 70, 1. (Ulp. l. XVII ad Sab.) ⟨.. Trebatius scribit⟩ silvam caeduam pos⟨se fructuarium caedere, sicut pater familias caedebat⟩.

Quae in Iustiniani Digestis 7, 1, 9, 7 (Ulpianus libro XVII ad Sabinum) leguntur: 'Trebatius scribit silvam caeduam et harundinetum posse fructuarium caedere, sicut pater familias caedebat, et vendere, licet pater familias non solebat vendere, sed ipse uti', Tribonianus ex Ulpiano addidit; nam in Vat. fr. post verba allata haec sequuntur: 'item ut harundinetum caedat fructuarius, quod caedendi causa paterfamilias alebat, non, puto, prohibetur. item poterit ⟨vendere, licet pater familias vendere⟩ non solebat, sed ipse uti ...' cf. supra p. 393.

19. Vat. fr. 70, 2 (Ulp. ibid.). ... cum constet arbores demortuas ad fructuarium pertinere — ceterae-

que materiae — sequuntur, numquid — ad proprietarium spectat ut — Trebatius autem simpliciter — esse eas fructuarii — fructuarium adm —. (similiter de ligno ⟨Labeo ait⟩ usque ad usum suum ⟨et villae posse usufructuarium ferre nec materia eum pro ligno usurum, si⟩ habeat unde utatur li⟨gno. idem ait usurum eum ⟨arboribus evulsis vel vi ventorum⟩ etiam deiectis).

Ulpianum hoc loco partim deleto 'de silva non caedua et de materia' scripsisse Krueger (Collect. libr. III p. 38 n. 1) recte ait. de materia legata iam Servius respondit. cf. supra p. 175.

De libertate relicta.

20. D. 40, 7, 3, 12. Idem (Ulpianus) libro vicensimo septimo ad Sabinum (P. 2697). Si quis sic acceperit libertatem 'cum decem dare poterit, liber esto', Trebatius ait, licet habuerit decem vel idoneus fuerit ad adquirendum et conservandum peculium, tamen non alias ad libertatem perventurum, nisi dederit aut per eum non steterit, quominus det.

21. D. 40, 7, 3, 11. Idem (Ulpianus) libro vicensimo septimo ad Sabinum (P. 2697). (Statu liberos condicioni parere oportet . . . hoc iure utimur in statu libero, ut sufficiat per eum non stare, quominus condicioni pareat.) Si quis heredi in diebus triginta proximis mortis testatoris dare iussus fuerit, deinde heres tardius adierit, Trebatius et Labeo, si sine dolo malo tardius adierit, dantem eum intra dies triginta aditae hereditatis ad libertatem pervenire.

22. D. 28, 8, 11. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis (P. 194). Qui filium libertinum habebat, heredem eum instituerat, deinde ita scripserat: 'si mihi filius nullus erit, qui in suam tutelam veniat, tum Dama servus liber esto'; ⟨nullus nisi⟩ is filius pupillus libertinus erat. quaerebatur, si Dama liber esset. Trebatius negat, quia filii appellatione libertinus quoque contineretur.

De legitimis heredibus.

23. D. 38, 10, 10, 15. Idem (Paulus) libro singulari de gradibus et adfinibus et nominibus eorum (P. 876). Quarto gradu personae continentur octoginta. ... eodem gradu sunt et illi qui vocantur fratres patrueles, item sorores patrueles, amitini amitinae, consobrini consobrinae: hi autem sunt, qui ex fratribus vel sororibus nascuntur. quos quidam ita distinxerunt, ut eos quidem, qui ex fratribus nati sunt, fratres patrueles, item eas, quae ex fratribus natae sunt, sorores patrueles, ex fratre autem et sorore amitinos amitinas, eos vero et eas, qui quaeve ex sororibus nati nataeve sunt, consobrinos consobrinas quasi consororinos; sed plerique hos omnes consobrinos vocant, sicut Trebatius.

24. D. 38, 10, 10, 18. Paulus ibid. His personis avus avia eius, de cuius cognatione quaeritur, propius sobrinis sunt, pater mater sobrinus sobrina: ⟨ipsi⟩ is, de cuius cognatione quaeritur, sobrino natus est: hic proximo nomine definitur parentis sui [sobrinus], ut Trebatius ait, rationemque nominis hanc reddit, quod ultimi cognationum gradus sobrinorum fiunt [itaque sobrini filium recte proximum nomen ab eo ipso huius sobrini filius dicetur,] et ideo eos, qui ex sobrinis nati sunt, inter se proximum nomen appellare: hos enim nullum proprium habere nomen, quo inter se vocentur.

De sumptibus funerum.

25. D. 11, 7, 14, 11. Ulpianus libro vicensimo quinto ad edictum (P. 752). Si quis dum se heredem putat, patrem familias funeraverit, funeraria actione uti non poterit, quia non hoc animo fecit, quasi alienum negotium gerens, et ita Trebatius .. putat.

De dote.

26. D. ibid. § 2. Iavolenus ibid. Filia familias divortio facto dotem patri reddi iusserat, deinde parte

dotis persoluta pater decesserat. reliquam partem, si nec delegata nec promissa [novandi animo] patri fuisset, mulieri solvi debere Labeo Trebatius putant.

De donatione inter virum et uxorem.

27. D. 41, 6, 3. Pomponius libro vigensimo quarto ad Quintum Mucium (P. 290). Si vir uxori vel uxor viro donaverit, si aliena res donata fuerit, ... Trebatius putabat, [si pauperior is qui donasset non fieret,] usucapionem possidenti procedere.

De tutela.

28. D. 26, 2, 33. Iavolenus libro octavo ex posterioribus Labeonis (P. 228). Tutoribus ita datis: 'Lucium Titium tutorem do; si is non vivit, tum Gaium Plautium tutorem do' Titius vixerat et tutelam gesserat, deinde mortuus erat. Trebatius negat ad Plautium pertinere tutelam.

De adquirendo rerum dominio.

29. D. 41, 1, 16. Florentinus libro sexto Institutionum (P. 9). In agris limitatis ius alluvionis locum non habere constat, ... et Trebatius ait agrum, qui hostibus devictis ea condicione concessus sit, ut in civitatem veniret, habere alluvionem neque esse limitatum; agrum autem manu captum limitatum fuisse, ut sciretur, quid cuique datum esset, quid venisset, quid in publico relictum esset.

30. D. 41, 1, 5, 1. Gaius libro secundo rerum cottidianarum sive aureorum (P. 491[c]). Illud quaesitum est, an fera bestia, quae ita vulnerata sit, ut capi possit, statim nostra esse intellegatur. Trebatio placuit statim nostram esse et eo usque nostram videri, donec eam persequamur, quod si desierimus eam persequi, desinere nostram esse et rursus fieri occupantis; itaque si per hoc tempus, quo eam persequimur, alius

eam ceperit eo animo, ut ipse lucrifaceret, furtum videri nobis eum commisisse.

De rei vindicatione.

31. D. 6, 1, 33. Paulus libro vicensimo primo ad edictum (P. 338). Fructus non modo percepti, sed et qui percipi honeste potuerunt aestimandi sunt, et ideo si dolo aut culpa possessoris res petita perierit, veriorem putat Pomponius Trebatii opinionem putantis eo usque fructuum rationem habendam, quo usque haberetur, si non perisset, id est ad rei iudicandae tempus.

De homine libero exhibendo.

32. D. 43, 29, 4, 1. Venuleius libro quarto interdictorum (P. 21). Trebatius . . ait non teneri eum, qui liberum hominem pro servo bona fide emerit et retineat.

Communi dividundo.

33. D. 10, 3, 6, 6. Ulpianus libro nono decimo ad edictum (P. 639[b]). Si quis in communem locum mortuum intulerit, an religiosum fecerit videndum. . . . Trebatius . . et Labeo quamquam putant non esse locum religiosum factum, tamen putant in factum agendum.

Aquae pluviae arcendae.

34. D. 39, 3, 1, 3. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285). De eo opere, quod agri colendi causa aratro factum sit', Quintus Mucius ait non competere hanc actionem. Trebatius autem non quod agri, sed quod frumenti dumtaxat quaerendi causa aratro factum solum excepit.

35. D. 39, 3, 11, 5. 6. Paulus libro quadragensimo nono ad edictum (P. 634). Si ex privato agro in agrum communem aqua immittatur, Ofilius ait socium cum eo agere posse. Trebatius existimat, si de eo

opere agatur, quod manu factum sit, omnimodo restituendum id esse ab eo, cum quo agitur: si vero vi fluminis agger deletus sit aut glarea iniecta aut fossa limo repleta, tunc patientiam dumtaxat praestandam.

36. D. 39, 3, 3, 1. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285[b]). .. Trebatius putat eum, cui aquae fluentes calidae noceant, aquae pluviae arcendae cum vicino agere posse.

37. D. 39, 3, 3 pr. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285[b]). Apud Trebatium relatum est eum, in cuius fundo aqua oritur, fullonicas circa fontem instituisse et ex his aquam in fundum vicini immittere coepisse: ait ergo non teneri eum aquae pluviae arcendae actione.

De pecoris ad aquam adpulsu.

38. D. 43, 20, 1, 18. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1570). Trebatius, cum amplior numerus pecoris ad aquam appelletur, quam debet appelli, posse universum pecus impune prohiberi, quia iunctum pecus ei pecori, cui adpulsus debeatur, totum corrumpat pecoris adpulsum.

De emptione venditione.

De fundo vendito.

39. D. 19, 1, 17, 2. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 938[c]). Fundo vendito vel legato sterculinum et stramenta emptoris *vel*[1] legatarii sunt, ligna autem venditoris vel heredis, quia non sunt fundi, tametsi ad eam rem comparata sunt. in sterculino .. distinctio Trebatii probanda est, ut, si quidem stercorandi agri causa comparatum sit, emptorem sequatur, si vendendi, venditorem[, nisi si aliud actum est]: nec interest, in stabulo iaceat an acervus sit.

1 *Fl.* et.

40. D. 18, 1, 79. Iavolenus libro quinto ex posterioribus Labeonis (P. 207). Fundi partem dimidiam ea lege vendidisti, ut emptor alteram partem, quam retinebas, annis decem certa pecunia in annos singulos conductam habeat. Labeo et Trebatius negant posse ex vendito agi, ut id quod convenerit fiat.

De domo vendita.

41. D. 19, 1, 21, 6. Paulus libro trigensimo tertio ad edictum (P. 514). Qui domum vendebat, excepit sibi habitationem, donec viveret, aut in singulos annos decem: emptor primo anno maluit decem praestare, secundo anno habitationem praestare. Trebatius ait mutandae voluntatis potestatem eum habere singulisque annis alterutrum praestare posse et quamdiu paratus sit alterutrum praestare, petitionem non esse.

42. D. 19, 1, 13, 22. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 935). ... ex vendito agendo consequetur etiam sumptus, qui facti sunt in re distracta, ut puta si quid in aedificia distracta erogatum est: scribit enim .. Trebatius esse ex vendito hoc nomine actionem.

De servis emptis.

43. D. 49, 15, 27. Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis (P. 231). Latrones tibi servum eripuerant: postea is servus ad Germanos pervenerat: inde in bello victis Germanis servus venierat. negant posse usucapi eum ab emptore Labeo Ofilius Trebatius, quia verum esset eum subreptum esse, nec quod hostium fuisset aut postliminio redisset, ei rei impedimento esse.

44. D. 41, 10, 4 pr. Idem (Pomponius) libro trigensimo secundo ad Sabinum (P. 769). Si ancillam furtivam emisti fide bona ⟨quodque⟩ ex ea natum et apud te conceptum est ita possedisti, ut intra *annum*[1]

1 *Fl.* constitutum usucapioni tempus.

cognosceres matrem eius furtivam esse, Trebatius[1] omni modo, quod ita possessum esset, usucaptum esse.

De vestimentis emptis.

45. D. 18, 1, 45. Idem (Marcianus) libro quarto regularum (P. 362). Labeo libro posteriorum scribit, si vestimenta interpola quis pro novis emerit, Trebatio placere ita emptori praestandum quod interest, si ignorans interpola emerit.

cf. Nonius p. 34, 2: interpolare est ... tractum ab arte fullonum, qui poliendo diligenter vetera quaeque quasi in novam speciem mutant.

De dolio empto.

46. D. 18, 6, 1, 2. Ulpianus libro vicensimo octavo ad Sabinum (P. 2717). Si dolium signatum sit ab emptore, Trebatius ait traditum id videri.

De bonis venditis.

47. D. 41, 4, 2, 7. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 664). Eius bona emisti, apud quem mancipia deposita erant: Trebatius ait usu te non capturum, quia empta non sint.

De commodato.

48. D. 4, 3, 18, 3. Paulus libro undecimo ad edictum (P. 209). De eo qui sciens commodasset pondera ⟨iniqua⟩, ut venditor emptori merces adpenderet, Trebatius de dolo dabat actionem.

De furtis.

49. D. 47, 2, 21 pr. Ulpianus libro quadragensimo ad Sabinum (P. 2858). Volgaris est quaestio, an is, qui ex acervo frumenti modium sustulit, totius

1 *Cuiacius* 'Neratius' *legere mavult. cf. Pernice: Labeo II², 402 n. 3, qui dubitat.*

rei furtum faciat an vero eius tantum quod abstulit. Ofilius totius acervi furem esse putat: nam et qui aurem alicuius tetigit, inquit Trebatius totum eum videri tetigisse.

De arboribus furtim caesis.

50. D. 47, 7, 1. Paulus libro nono ad Sabinum (P. 1803). Si furtim arbores caesae sint, et ex lege Aquilia et ex duodecim tabularum dandam actionem Labeo ait; sed Trebatius ita utramque dandam, ut iudex in posteriore deducat id quod ⟨actor?⟩ ex prima consecutus sit et reliquo condemnet.

An extrema verba Triboniani sint (Eisele: Arch. f. d. civ. Praxis LXXIX, 378 n. 40), nescio.

cf. D. 44, 7, 32 Hermogenianus: Cum ex uno delicto plures nascuntur actiones, sicut evenit, cum arbores furtim caesae dicuntur, omnibus experiri permitti post magnas varietates optinuit.

De iniuriis.

51. D. 47, 10, 17, 2. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum (P. 1359^{b}). Servus meus opera vel querella tua flagellis caesus est a magistratu nostro. Mela putat dandam mihi iniuriarum adversus te, in quantum ob eam rem aequum iudici videbitur, et, si servus decesserit, dominum eius agere posse Labeo ait, quia de damno, quod per iniuriam factum est, agatur. et ita Trebatio placuit.

cf. Gai. 3, 224: 'permittitur . . nobis a praetore ipsis iniuriam aestimare et iudex vel tanti condemnat quanti nos aestimaverimus vel minoris, prout ei visum fuerit'.

De dolo malo.

52. D. 4, 3, 18, 4. Paulus libro undecimo ad edictum (P. 209). Dolo cuius effectum est, ut lis

anno et sex mensibus(?)[1] transactis pereat: Trebatius ait de dolo dandum iudicium, non ut arbitrio iudicis res restituatur, sed ut tantum actor consequatur, quanti eius interfuerit id non esse factum, ne aliter observantibus lex circumscribatur.

De pactis et conventionibus.

53. D. 2, 14, 10, 2. Ulpianus libro quarto ad edictum (P. 251). ... si procurator meus paciscatur, exceptio doli mihi proderit, ut Trebatio videtur, qui putat, sicuti pactum procuratoris mihi nocet, ita et prodesse.

De arbitro recepto.

54. D. ibid. § 2. Solutioni diem posse arbitrum statuere puto: et ita et Trebatius videtur sentire.

IV. Ad edictum praetoris.

Trebatium non modo de iure civili, sed etiam ad praetoris edictum libros composuisse Pauli et Ulpiani libri videntur demonstrare ad idem edictum scripti, in quibus Trebatius saepe laudatur. sunt enim Pauli libri XI (D. 4, 3, 18, 3. 4), XXI (D. 6, 1, 33), XXXII (D. 17, 1, 20, 10), XXXIII (D. 19, 1, 21, 6), XLIX (D. 39, 3, 11, 5. 6), LIV (D. 41, 2, 3, 5; 41, 4, 2, 7), LXXVIII (D. 39, 2, 25), Ulpiani libri IV (D. 2, 14, 10, 2), IX (D. 41, 1, 41), XIII (D. 4, 8, 21, 1. 2), XIX (D. 10, 3, 6, 6), XXIII (D. 9, 3, 5, 1), XXV (D. 11, 7, 14, 11), XXXI (D. 16, 3, 1, 41), XXXII (D. 19, 1, 13, 22; 19, 1, 17, 2), LIII (D. 39, 2, 9, 1; 39, 3, 1, 3), LVII (D. 47, 10, 17, 2), LXX (D. 34, 20, 1, 18), LXXI (D. 43, 24, 1, 7), LXXXI (D. 39, 2, 24, 12).

De cloacis.

1. D. 43, 23, 2. Venuleius libro primo interdictorum (P. 11). Quamquam de reficienda cloaca,

[1] *coniecit Lenel. cf. Gai. 4, 105. Trib.* temporibus legitimis.

non etiam de nova facienda hoc interdicto comprehendatur, tamen aeque interdicendum Labeo ait, ne facienti cloacam vis fiat, quia eadem utilitas sit: praetorem enim sic interdixisse 'ne vis fieret, quominus cloacam in publico facere liceret', idque Ofilio et Trebatio placuisse.

Cicero pro Caec. 26, 34: 'praetor de cloacis .. interdicit'.

De flumine Tiberi.

2. D. 39, 2, 9, 1. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1272^{b}). De his .., quae vi fluminis importata sint, an interdictum dari possit, quaeritur. Trebatius refert cum Tiberis abundasset et res multas multorum in aliena aedificia detulisset, interdictum a praetore datum, ne vis fieret dominis, quominus sua tollerent auferrent, si modo damni infecti repromitterent.

Tiberis inundatio, propter quam praetor interdictum dabat, a. 700/54 videtur fuisse, de qua Dio 39, 61. cf. inundationum tabulam ab H. Nisseno (ital. Landeskunde I, 324) propositam.

De his qui deiecerint.

3. D. 9, 3, 5. Ulpianus libro vicensimo tertio ad edictum (P. 688^{c}). Si quis gratuitas habitationes dederit libertis et clientibus vel suis vel uxoris, ipsum eorum nomine teneri Trebatius ait.

De damno infecto.

4. D. 39, 2, 24, 12. Idem (Ulpianus) libro octogensimo primo ad edictum (P. 1754). .. videamus, quando damnum dari videatur: stipulatio enim hoc continet, quod vitio aedium loci operis damnum fit. ut puta in domo mea puteum aperio, quo aperto venae putei ⟨tui⟩ praecisae sunt: an tenear? ait Trebatius non teneri me damni infecti: neque enim existimari

operis mei vitio damnum tibi dari in ea re, in qua iure meo usus sum. si tamen tam alte fodiam in meo, ut paries tuus stare non possit, damni infecti stipulatio committetur.

5. D. 39, 2, 25. Paulus libro septuagensimo octavo ad edictum (P. 829). Trebatius ait etiam eum accipere damnum, cuius aedium luminibus officiatur.

Quod vi aut clam.

6. D. 43, 24, 22, 3. Venuleius libro secundo interdictorum (P. 17). Si stercus per fundum meum tuleris, cum id te facere vetuissem, quamquam nihil damni feceris mihi nec fundi mei mutaveris, tamen teneri te quod vi aut clam Trebatius ait.

Cicero pro Tullio 23, 53: '.. si hodie postulem quod vi aut clam factum sit, tu aut per arbitrum restituas aut sponsione condemneris necesse est'.

7. D. 43, 24, 1, 7. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1592). (Si quis iactu vel minimi lapilli prohibitus facere perseveraverit facere, hunc quoque vi fecisse videri Pedius et Pomponius scribunt . . .) sed et si contra testationem denuntiationemque fecerit, idem esse Cascellius et Trebatius putant.

Depositi vel contra.

8. D. 16, 3, 1, 41. Ulpianus libro trigensimo ad edictum (P. 196°). Si cista signata deposita sit, utrum cista tantum petatur an et species comprehendendae sint? et ait Trebatius cistam repetendam, non singularum rerum depositi agendum.

9. D. 16, 3, 21. Idem (Paulus) libro sexagensimo ad edictum (P. 322). .. Trebatius existimat, etiamsi apud servum depositum sit et manumissus rem teneat, in ipsum dandam actionem, non in dominum, licet ex ceteris causis in manumissum actio non datur.

De precario.

10. D. 41, 2, 3, 5. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 658). Sabinus .. scribit eum qui precario dederit et ipsum possidere et eum qui precario acceperit. idem Trebatius probabat existimans posse alium iuste, alium iniuste possidere; duos iniuste vel duos iuste non posse.

V. Ad edictum aedilium curulium.

Trebatium etiam ad aedilium curulium edictum scripsisse, indicare videntur fragmenta a Paulo et Ulpiano allata. itaque eadem studia secutus est atque Aulus Ofilius, de quo supra p. 344 sq.

De mancipiis vendundis.

Gell. 4, 2, 1. In edicto aedilium curulium, qua parte de mancipiis vendundis cautum est, scriptum sic fuit: 'titulus scriptorum singulorum scriptus sit curato ita, ut intelligi recte possit, quid morbi vitiique cuique sit, quis fugitivus errove sit noxave solutus non sit'.

1. D. 21, 1, 6, 1. Ulpianus libro primo ad edictum curulium (P. 1760[c]). Trebatius ait impetiginosum morbosum non esse, si eo membro, ubi impetigo esset, aeque recte utatur.

2. D. 21, 1, 12, 4. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1750[f]). Is cui os oleat an sanus sit quaesitum est: Trebatius ait non esse morbosum [os alicui olere] veluti hircosum [,strabonem]: hoc enim ex illuvie oris accidere solere.

De duplae stipulatione.

3. D. 21, 2, 56, 7. Paulus libro secundo ad edictum aedilium curulium (P. 849). Pupillo etiam sine tutoris auctoritate posse denuntiari, si tutor non apparet, ex duplae stipulatione benignius receptum esse Trebatius ait.

cf. Varro de r. r. 2, 10, 5: 'in horum (servorum) emptione solet .. stipulatio intercedere sanum eum esse, furtis noxisque solutum aut si mancipio datur, aut dupla promitti aut, si ita pacti, simpli'.

Negotiorum exempla habes in Brunsii fontibus p. 289sq.: 'Dasius Breucus emit mancipioque accepit puerum ... de Bellico Alexandri ... eum puerum sanum traditum esse, furtis noxaque solutum ... si quis eum puerum ... evicerit, ... tunc quantum id erit quod ita ex eo evictum fuerit, t(antam) p(ecuniam) d(uplam) p(robam) r(ecte) d(ari) f(ide) r(ogavit) Dasius Breucus, d(are) f(ide) p(romisit) Bellicus Alexandri'. similiter in emptione 'puellae' vel 'mulieris'.

VI. Incerti argumenti opus.

Trebatium denique de iure publico scripsisse indicant Ulpiani verba quae subieci.

D. 1, 13, 1, 1. Ulpianus libro singulari de officio quaestoris (P. 2252). Et a genere quaerendi quaestores initio dictos et Iunius et Trebatius et Fenestella scribunt.